I. W. Augt. 1861



PRAXIS MEDICA

SYSTEMATICE EXPOSITA

SELECTIS

DIARII NOSOCOMII FREDERICIANI

ILLUSTRATA.

AUCTORE

FREDERICO LUDOVICO BANG M. D.

S. R. M. A CONSILIIS STATUS, MEDICINAE PROFESSORE ORDINARIO IN UNIVERSITATE HAFNIENSI, EQVITE ORDINIS DANNEBROGICI &c. &c.

EDITIO SECUNDA AUCTA ET EMENDATA.

HAFNIÆ.

TYPIS *SCHULTZIANIS.*

MDCCCXVIII.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

PRÆFATIO
AD PRIMAM EDITIONEM.

In omnibus artibus & ſcientiis practicis duplex ſolummodò datur via cognitionem & habitum acqvirendi, inſtructio nempe & exercitium. In artibus inferioribus, ubi cognoſcendæ veritates paucæ ſunt, has inter agendum addiſcere licet & ſufficit. Verum in ſuperioribus ſcientiis practicis, qvæ ampliorem veritatum numerum complectuntur, aliud reqviritur inſtitutionis genus, non modò occaſione exercitii porrigendum, ſed qvod pleniore methodo veritates colligit, ritoqve nexu exponit. Inter poſteriores meritò ponenda eſt medicina practica, ad qvam pertinens inſtructio præſentis operis contentum ſiſtit.

Qvatuor præſertim ſunt qvalitates, qvibus hoc doctrinæ opus, ut ſcopo reſpondeat, adornare ſtudui; ſcilicet: juſtus ordo, plena expoſitio, adæqvata brevitas, & ſufficiens probatio.

Morborum, qvi deſcribendi ſunt, & veritatum, qvas de ſingulis cognoſcere oportet, inſignis eſt copia, ad qvam docendam æqve ac diſcendam exactisſimus reqviritur ordo disſimilia rite diſcernens, & diſtinctis locis proponens, ſimilia conjungens, generalia ſpecialibus præmittens, & cuicunqve materiæ prædicata, qvæ illi competunt, annectens; clasſificationis ordo ab hodiernis medicis præſertim illuſtri Sauvage receptus meritò antiqviori mothodo præferendus eſt; ſimilem igitur docendi viam ſed magis limitatam in præſenti tractatu inivi, atqve tot tantummo do diviſiones morborum, qvot diverſa medendi ratio deſiderat, condere ſtudui; ſpecierum verò immenſum numerum e cauſis deductum, ſingulari medicatione non indigentum, qviqve inutilem prolixitatem & taedio plenam repetitionem creat, vitavi. Verum non tantum in diſponendis morbis, ſed qvoqve in proponendis veritatibus ad ſingulos morbos pertinentibus tam exqviſito ordine uſus fui, adeo ut doctrinæ partes de qvolibet morbo cognoſcendæ ſimili modo diſtinctæ & ſub ſimili titulo traditæ ſint, oculisqve igitur diſcentium & legentium mox & qvaſi ſponte ſeſe offerant.

Alterum ad docendum medicinam practicam reqviſitum habui plenam expoſitionem, nil

omittentem eorum, qvæ ſcopo hujus inſtructionis ſ. ad cognoſcendos, dijudicandos & curandos morbos ſcire opportet. Practicorum ſcripta rarò adminiſtrandam medelam adeo determinatam ſiſtunt, ut diſcentibus pro certa agendi regula inſervire posſit; non ſufficit, medendi genus ſ. indicationes & illis congrua auxilia, atqve medicamina referre, verum etiam cujuslibet remedii in morbo utilis doſin, formam, combinationem cum aliis medicamentis, opportunum tempus & continuandum uſum definire opus eſt; junioribus præſertim medicis, qvi ſemet ipſos proprio marte ducere nec audent, nec posſunt necesſaria eſt talis completa eruditio, & ut negotium rite perficiant, & ut ſeſe recte agere perſvaſi ſint. Hanc igitur inſtructionis partem, ut tyronum ingenio magis, qvam antea factum eſt, accommodatam ſiſterem, anniſus ſum.

Adæqvata brevitas præſentis operis tertia fuit regula; ſcopo inſtructionis, qvem ſemper coram oculos habui, convenientes veritates tradere contentus fui; hypotheſes, ratiocinia, aliorum ſententias, & conſilia, qvæ absqve emolumento chartas implere judicavi, ſtudioſe omiſi, ſciendorum enim, qvæ utilia ſunt, ſat ampla eſt copia & memoriæ difficile opus, longio-

res ambages confundunt & attentionem a veritatibus essentialibus avertunt. Maxime autem brevitatem instruendis adeò commodam procurare studui tam per justum ordinem, qvo veritates convenientissimo ad docendum loco adeo ut repetitio haud reqvisita fuerit, dispositæ sunt, qvam per distinctam tradendorum ideam, qvæ paucis verbis ad sufficientem expressionem opus habet.

Tandem mihi curæ cordiqve fuit, ut asserta convincendi vim haberent; exhibita enim doctrina tanqvam vera æstimata altius menti inprimitur & firmior evadit regula dubitationi per dissensum aliorum medicorum citatæ, & tyronibus saltem valde noxiæ minus subjecta; hanc ob causam principia instructionis per casus morborum individuales e diario nosocomii Fredericiani citatos demonstrare, & illustrare consultum duxi. Nec leve certitudinis argumentum fore spero, qvod præsens praxeos systema superstructum sit experientiæ qvindecim annorum, atqve deductum e viginti mille saltem ægrotorum casibus, qvorum cura præsertim in nosocomio, partimqve inter alios cives mihi commissa fuit, adeo ut nil nisi sæpius expertum, nil mera aliorum autoritate innixum tradiderim.

Præſens inſtitutionis opus imprimis dicatum esſe volo illis, qvi praxin medicam in noſocomio noſtro me ducente addiſcere cupiunt, ut veritates, doctrinæqve partes, qvæ ſub clinicis exercitiis ſparſim, incomplete, & absqve nexu cognoſcuntur, ſyſtematico modo collecta, illuſtrata, demonſtrataqve haberi, ponderari & pro lubitu repeti posſint. Verum qvoqve ampliori uſui, & ut aliis medicinæ extra noſocomium noſtrum ſtudentibus inſerviret, illud accommodavi, qvid! qvod! ſi exercitatiores idem evolvere haud dedignentur, operam non perdendam esſe ſperare audeo.

Junioribus autem medicis monitum maximi momenti huc trahere conducit, qvod nimirum ſibi unicum ſive præſens ſive aliud inſtructionis medicæ ſyſtema pro norma incipientis praxeos eligant, & præceptis ibidem exhibitis certa cum ſiducia obediant; plura enim practicorum ſcripta legendo, eorumqve disſenſus & varias medendi rationes diſcendo haud aliud reportant laboris præmium, qvam qvod de iis, qvæ apud ægrotos judicare & agere oportet, dubii, imo ad præſcriptionem determinandam haud idonei reddantur. Peritiores dein facti imperfectiones & defectus traditæ cognitionis dijudicare valent, illamqve tunc aliorum medicorum ſcripta

investigando corrigere & perficere, qvalia supplementa in chartis vacuis systemati adoptato annexis notare expedit; si hæc medicinæ practicæ studendi regula mihi ipsi perspecta fuisset, ab inutili & molesto labore, qvam in excerpendis permultis libris practicis, præmature suscepi nec debito modo instituere intellexi, liberatus fuissem.

Qvamvis triplice vice systematis hujus elaborationem renovaverim, meis tamen viribus haud adeo confido, ut illud in omnibus partibus completum, perfectumqve æstimarem; verum obvios defectus, ut ignoscant, non minus spero, qvam ut profectus, qvalescumqve sint, benevolo animo excipiant æqvi, ipsiqve periti judices, artis nostræ exercendæ magnam, rite autem describendæ maximam difficultatem cognoscentes.

PRÆFATIO
AD SECUNDAM EDITIONEM.

Triginta elapſi ſunt anni a tempore, qvo doctrinam hanc medicam prima vice in lucem protuli, interea ſatis extenſam praxin feci, cum vero dies diem doceat et experientia præſertim jam expertum, discere cupientem et in obſervando excercitatum inſtruere non deſinat, mihi larga data fuit occaſio videndi non pauca, qvæ ad doctrinam antea ſtabilitam augendam et corrigendam inſerviunt; talia tempore, qvo occurrerunt, literis mandavi aptisqve locis adnotavi, non tamen anteqvam repetito et, qvantum potis eſt, non fallaci experimento mihi certa veraqve reddita fuerint. Hæc ſervare merito conſultum duxi non modo in proprium uſum, ſed etiam ut publici juris facta aliis medicis eorumqve ægrotis utilia forent. Medicamenta nova ab aliis inventa et commendata nec fide prorſus indigna, cautis experimentis ſubjeci, ſed modo in caſibus, qvos antiqva probata juvare non

valuerunt aut valent, horumqve effectum observatum indicavi, illa tamen pauca fuere et minoris numeri a me ipso detecta. (Attamen hoc loco non possum non memorare unguentum, qvod inter formulas sub nomine unguenti sinapini exposui; hoc seriori tempore loco emplastri e cantharidibus semper adhibui multoqve magis commendabile habeo, et qvia citiorem effectum intra tres qvatuorve horas exserit et qvia, minoris pretii, ubique ad manum esse potest). Ars præsertim medica lente procedit in novis inveniendis instrumentis, horumqve licet jam cognitorum perfectior redditus usus vix minus præstat novis.

Ordinem doctrinæ non mutavi, qvia sufficientem mutandi rationem non vidi, nec theorias novas priscis stubstitui, et qvia hac illis non certiores judicavi, et qvia antiqvas superstruendi praxi sat commodas inveni; ceteroqvin aut vanitatis aut lucri librarii causa multas implere paginas infra dignitatem probi viri habui, sufficit mihi utilem esse, nec aliud ab illis, qvi me seqvuntur, timeo judicum.

TABULA MORBORUM.



PROLEGOMENA.

Praxis medica eſt occupatio artificialis in curandis morbis internis.

Curare morbos eſt illam ægris præſcribere diætam, illaqve remedia, qvæ ad præſentes morbos tollendos vel levandos conveniunt.

Functio hæc medici cognoſcenda deſiderat 1. qvis & qvalis ſit præſens morbus, qvem curare opportet, 2. qvæ ſint auxilia ad curandum morbum apta & efficacia.

Cognitio curandi morbi & opis medicatricis acqviritur partim per explorationem ægrotantis ſtatus, partim per doctrinam morborum ſibi in anteceſſum perſpectam redditam; prima via, qvæ præter naturalia phænomena præſto ſint, detegitur; mediante altera novimus, talia phæno-

mena certum deſignare genus vel ſpeciem morborum ejusdemqve medelam reqvirere.

Exploratio ægrotantium tres partes continere debet ſc. examinationem ægroti primam; obſervationem progredientis morbi, & memoriam factorum ſ. hiſtoriæ morbi.

Examinatio prima partim per qvæſtiones ægroto propoſitas, partim per illius propriam narrationem nos in univerſum edoceat:

1. Ætatem ægroti, cujus cognitio qvandoqve ad indolem morbi, ſemper verò ad vim medicaminum rite determinandam inſervit.

2. Durationem morboſi ſtatus, e qva eventum morbi & num curabilis ſit, non rarò deducere opportet.

3. Symptomata ipſa, qvæ tanqvam ſigna morbi ſcitu maxime neceſſaria ſunt, & qvorum igitur ſingula qvoad indolem, tempus, gradum, ſtatum ſive perſeverantem ſive increſcentem ſive decreſcentem rito examine detegi & certa reddi debent; præſertim in acutis morbis conditio lingvæ, pulſus, excretionum maxime alvi fluxus inveſtigari debet; ordo hujus examinis talis ſit, ut primum præterita dein præſentia inqviramus; ſi mox nobis occurrat ſymptoma eſſentiale cujusdam morbi ſignum, ad hujus reliqva ſymptomata invenienda diſqviſitio ſtatim dirigenda eſt; qva via propius & citius ad detegendum præſentem morbum adducimur. Certo ſic manifeſtato morbo-

rum genere vel ſpecie, num aliud præter ſymptomata per detectum morbum posſibilia ſanitatis vitium præſto ſit, qværendum eſt, qvod ſi non adſit, præſens morbus ſimplex & ſufficienter inqviſitus haberi poteſt; in contrario autem caſu alienum obveniens ſymptoma examen priori ſimile deſiderat, qvo modo complicatus morbus ſ. plura morborum genera in ægroto compræſentia innoteſcunt.

4. Cauſas prægreſſas aut vitia diætetica, aut alios morbos antecedentes; harum enim indoles non raró ad morbi præſentis naturam intelligendam inſervit.

5. Adminiſtratam medelam, ejusdemqve effectum proficuum vel noxium vel indifferentem, unde qvid vitare, qvidve continuare oportet concludi ſæpe poteſt.

Obſervatio progredientis morbi conſiſtet in examine ægroti juxta indolem morbi acutam vel chronicam qvotidie vel rarius repetendo, qvo cognoſci debet, num ſtatus & ſymptomata morbi continuent, increſcant, decreſcant vel mutentur, qvisqve ſit effectus applicitæ medelæ.

Memoria factorum ſ. hiſtoriæ morbi non modo in præſente ægroto reqviritur, ut juſta morbi idea ſemper in mente habeatur, illiqve qvadrans medicatio præſcribatur, ſed etiam propter emolumentum, qvod e tali experientia ad alios

ſimiles caſus dijudicandos hauriri poteſt; junioribus medicis vix melius conſulendum eſt, qvam has morborum hiſtorias literis conſcribere, qvo adminiculo decurſus et mutationes morborum plenius & curatius obſervantur menti altius imprimuntur & diutius retinentur, indeqve habitus ſalutem humanam digne & attente procurandi citius & certius acqviritur: verum etiam experti medici, qvibus ob excercitatam vel felicem memoriam minus neceſſarium videretur hoc ſcribendi opus, in caſibus gravioribus, dubiis, diuturnis obſervata litteris mandando rem perfectius agunt.

Doctrina abſtracta morborum alterum eſt reqviſitum medico practico ſcitu neceſſarium; id eſt: cognoſcat morbos posſibiles, caracteres ſingulorum diſtingventes, eventum illorum posſibilem ejusdemqve ſigna præuuntia, atqve tandem medendi methodum ſingulis congruam; obvia enim in ægrotis ſymptomata certum morbum ejusdemqve eventum deſignare atqve certam medicationem deſiderare ignoramus, ni in antecesſum de tali nexu inſtructi ſimus.

Modus acqvirendi animoqve inculcandi talem morborum ſcientiam duplex eſt ad perfectum ſtudium æqve neceſſarius & combinandus, ſc.

1. Inſtructio clinica conſiſtens in autopſia rerum apud ægrotos contingentium & geſtarum, ductuqve alterius experti medici, qvi in exemplis obviis & ipſo actu & verbis tyrones edocet et ex-

plicat, qvænam phænomena præternaturalia habenda ſint, qvæ diagnoſtica, qvæqve prognoſtica ſint ſigna, & qvalis medicatio ſit conveniens; huic inſtructioni optimam occaſionem præbent noſocomia propter omnigenos morborum caſus ibi obvios.

2. Inſtructio ſyſtematica, qvæ veritates ad cognoſcendos & curandos morbos reqviſitas, non in individuis, ſed ab illis abſtractas exponit, aptoqve ordine diſponit. Hæc inſtructionis pars Therapia medica ſpecialis nuncupata præſentis tractatus materiem conſtituit.

Morborum, qvi ad hanc ſcientiam pertinent, immenſus numerus ordinem qvoqve expoſitionis exactisſimum deſiderat, ut tam ampla doctrina viribus ingenii & memoriæ capi & retineri qveat.

De ordine hoc præſertim nuperiores medici merito ſolliciti ſyſtematicam morborum diviſionem, qvam Clasſificationem appellant, formare anniſi ſunt & qvidem ſeqventi ratione.

Totum morborum numerum diviſerunt in cohortes maximas Claſſes dictas, qvarum ſingulis propriæ notæ & nomina, qvibus a ſe invicem diſtingvuntur, attributa ſunt.

Clasſis qvælibet iterum diſpeſcitur in cohortes medias, ordines appellatos, qvi eodem modo ac claſſes a ſe invicem diſtingvuntur.

Ordines ſinguli dividuntur in cohortes minores genera vocatas.

Genera qvandoqve diſtingvuntur in cohortes minimas, qvæ ſpecies appellantur.

Diviſio hæc & ſubdiviſio morborum nititur ſimilitudine minus magisqve completa notarum illis competentium; completisſima ſ. plurimarum notarum ex individuis morboſis abſtractarum ſimilitudo efficit ſpeciem morbi, identitas notarum in pluribus ſpeciebus conſtituit genus, ſimilitudo notarum in pluribus generibus efficit ordinem, & identitas prædicatorum in pluribus ordinibus conſtituit claſſem certam morborum.

Similitudines ſ. notæ ſimiles, juxta qvas allata morborum diviſio inſtituenda eſt, vel internæ vel externæ corporis ægroti affectiones ſ. ſymptomata eſſent, internæ verò ægroti læſiones utpote ſenſibus occultæ pro notis indicantibus & diſtingventibus inſervire neqveunt, ſymptomata igitur huic ſcopo tantummodo qvadrant.

Aberrationes optime diſponantur juxta leges violatas, morbi igitur, qvi aberrationes ſunt, in univerſum referri debent ad tot claſſes, qvot ſunt præcipua attributa ſ. regulæ ſanitatis, qvæ per morbos tolluntur & mutantur. Hoc fundamento generalisſima morborum diviſio qvinqve claſſes complectitur ſc.

1. *Pyrexias* ſc. morbos acutos, qvorum caracterem præcipuum acceleratio pulſus & caloris præternaturalis mutatio ſiſtunt.

2. *Dolores non febriles* ſ. absqve pyrexia.

3. *Neurofes* f. læfiones functicnum cerebro & nervis proprie competentium.

4. *Fluxus vitiatos* f. vitia excretionum.

5. *Cachexias*, in qvibus principale morbi fymptoma in fuperficie corporis hæret & apparet.

Therapeutica expofitio completa cujuslibet morbi continet:

1. Definitionem ejusdem per notas manifeftas conftantes.

2. Symptomata in illo posfibilia, ut fciri posfit, num omnia in ægro obvia phænomena ad unum morbum referri posfint, aut plura alium morbum fimul præfentem indicantia adfint:

3. Caufas externas manifeftas, qvæ ad cognofcendum morbum fæpe inferviunt, qvæqve, ut hic curetur vel præcaveatur, removeri debent..

4. Caufam proximam, cui medela accomodanda eft.

5. Diagnoftica morbi figna.

6. Prognofin f. eventum morbi posfibilem, ejusqve figna.

7. Curationem morbi ipfam, cui qvandoqve annectitur prophylaxis.

CLASSIS I^ma.

PYREXIA

Eſt caloris mutatio præternaturalis cum pulſu freqventi & imminutione virium voluntati ſubditarum.

Pyrexiæ vel junctus eſt dolor fixus certæ corporis partis vel minus, e qvanam differentia duplex formatur ordo ſc.

Pyrexia absqve dolore fixo topico qvæ Febris nominatur.

Pyrexia cum dolore fixo topico Phlegmaſia nuncupata.

ORDO I^mus.

FEBRIS

Eſt pyrexia absqve conjuncto dolore fixo topico.

Symptomata per febrem qvatalem posſibilia ſunt extenſa tam ad qvalitates corporis ſensibiles, qvam ad omnes actiones vitales, animales et naturales ſc.

1. Frigus; horror, rigor, ſæpisſime externus univerſalis, rarius internus partialis, diverſi gradus cum pallore, livore, aſperitate qvandoqve inſenſibilitate peripheriæ, necnon tremore artuum

& maxillæ, temporarium eſt hoc ſymptoma rarò ad plures horas durans communisſime febris initium efficiens, interdum in progreſſu ejusdem recurrens.

2. Æſtus vel ſiccus vel humidus vel urens, horrorem inſeqvens, durabilis, fere ſemper univerſalis cum rubedine & turgeſcentia partium.

3. Oculi mutati in ſplendentes, rubentes, hebetes, lachrymantes.

4. Lingva alterata, humida, vel ſicca impura, albeſcens, flaveſcens, nigreſcens, interdum ulceroſa.

5. Pulſus vix non ſemper naturali freqventior alias parvus v. magnus, durus v. mollis, regularis v. irregularis.

6. Senſus & ſenſationes perturbatæ, appetitus proſtratus tam cibi qvam veneris & aliarum cupediarum ut tabaci & caffè, operationes mentis, attentio, recordatio, judicatio impedita qvandoqve erronea; moleſta ſitis; ſenſatio capitis, lumborum & præcordiorum dolorifica.

7. Motricium virium dejectio conſtans, hinc averſatio motus, ſitus horizontalis, ſtantium vacillatio; reſpiratio minus perfecta, freqvens.

8. Excretiones depravatæ, ſaliva pauca viſcida, alvus rarò naturalis potius ſicca qvàm laxa, urina in frigore pallida aliàs parca rubeſcens vel flaveſcens; perſpiratio v. naturali minor vel largior ad ſudorem usqve, ulcera exſiccata.

9. Sangvis e vena miſſus ſolito denſior, in putridis vero mollior imo plane diſſolutus.

10. Superſtites poſt febrem effectus: fluidorum inopia, ſolidorum laxitas, debilitas.

Gradus febris conſiſtit in vehementia ſymptomatum imprimis eſſentialium, freqventiæ pulſus, æſtus & debilitatis; in omni fere febre pro vario ejusdem tempore gradus in certa ſtadia diſtinqvitur ſc,

1. Incrementum, partem temporis in febre, qva ſymptomata qvoad vehementiam augentur.

2. Statum, partem temporis, qva gradus febris maximus eſt nec increſcens nec decreſcens.

3. Decrementum ſ. partem temporis, qva gradus febris minuitur.

Duratio febris diverſa indefinita raro intra diem finita ſed ad plures dies atqve ſeptimanas extenſa.

Exitus ſ. eventus febris posſibilis eſt triplex ſc:

1. In ſanitatem aut ſenſibili & citiore modo per manifeſto adauctas excretiones, tranſpirationem, diureſin, alvi fluxum, ſalivationem, expectorationem, qvalis benigna febris transmutatio criſis appellari ſolet; aut lentiori progreſſu & ſine notabili excretionum augmento, qvalis terminatio lyſis nuncupatur.

2. In alios morbos ſc. infarctus, inflammationes, ſuppurationes in certis corporis partibus, vel extravaſationem liqvidi morboſi in cavitati-

bus; hæc terminatio febris metaſtaſis audit. Etiam una febris ſpecies in alteram mutari & tranſire poteſt.

3. In mortem vel ſubitò per læſionem viſceris nobilioris vel lentius per conſumtionem virium vitæ.

Cauſæ externæ febris ſ. res, qvæ teſtante experientia febrem producere, conſervare & augere valent, ſunt

1. Ingeſta vel iamiam per ſe acria & irritantia vel illius naturæ, ut in corpore corruptelam nocivam facile ſibi contrahant, uti cibus nimius imprimis carneus, viſcidus, crudus, pingvis, ſalitus, aromaticis conditus, ſemiputridus, vel potus fortiores ſpirituoſi imprimis nimia qvantitate hauſti, vel medicamenta acria calefacientia & venena.

2. Aër & atmoſphæra corpora noſtra circumdans & inhalatus vim ſuam nocivam iisdem communicans varioqve modo febris cauſam ſiſtens.

a) Ob frigus nimium, cui diu corpus exponitur imprimis incaleſcens, vel ejusdem circumſcripta pars, afflanti per rimas anguſtas aere tacta.

b) Ob æſtum nimium, vix in noſtris regionibus naturaliter tantum, ut immediate febrem producat, ſed potius ſenſim humoribus præſertim bili corruptelam & acrimoniam inferendo tale malum efficere valet; artificialis calor minus tempe-

ratus præſertim ad febres jam præſentes augendas efficax eſſe obſervatur.

c) Ob contentas noxias qvalitates ſc. miaſmata contagioſa, varioloſum, morbilloſum, ſcarlatinoſum, peſtiferum, putridum, dyſentericum & ſimilia, qvibus morbi epidemici plurimi haud injuſto adſcribuntur.

3. Excretiones inhibitæ alvi, urinæ, ſudoris, menſtrui fluxus; tali enim vitio materia, qvæ evacuari debet, ſuperflua & acris irritationem inſolitam & mediante illa febrem producere valet.

4. Corporis validiores diuqve continuati motus, qvibus ſangvinis circulus & calor augentur, per ſe ſtatum febrilem licet tranſitorium conſtituentes, verum mediante qvo certæ acrimoniæ aliàs involutæ & inertes evolvi atqve ad efficiendam febrem capaces fieri poſſunt.

5. Animi vehementes affectiones ira, terror, doloresqve fortiores.

6. Fames diuturna, ſitis, defectus ſomni, alimento enim blando non renovatus ſangvis ſponte ſua acreſcit, pervigilium autem nimium inſtar fortioris motus corporei ſangvinis maſſam immutat.

7. Noxii & acres humores certis morbis generati & iam in corpore præſentes, dum in ſangvinis maſſam abſorbentur, irritationem febrificam inferre valent, uti purulenta materia ex abceſſibus, variolis, ſuppuratione qvacunqve interna,

ulceribus conſolidatis, ſcabie exſiccata, nec non corruptum ſerum apud hydropicos vel ſcorbuticos in ſangvinis maſſam reductum.

Cauſæ febris internæ præter irritabilitatem naturalem, ſ. diſpoſitiones qvibus, præſentibus allatæ externæ cauſæ facilius & graviorem febrem efficiunt, ſunt ſangvinis abundantia, præſertim ejusdem iam præſens mala indoles diætæ vitiis contracta, nec non ſyſtematis nervoſi ſingularis ſenſibilitas.

Theoria completa febris non modo continet cognitionem cauſarum antecedentium mox allatarum, verum etiam opus eſt perſpectam habere læſionem corporis principalem ſ. cauſam proximam, in qva febris conſiſtit indeqve declarare ſymptomata & decurſum, qvæ per febrem posſibilia eſſe ſupra diximus.

Cauſa proxima in febribus ut in aliis morbis internis eſt aberratio ſenſibus occulta internarum partium & virium; ſola ideo illam cognoſcendi via eſt concluſio ab ejusdem cauſis prægresſis & effectibus manifeſtis; judicando ſc. illam eſſe febris cauſam proximam, qvæ ex antecedentibus cauſis deduci poteſt, & e qva ſymptomata febris tanqvam effectus e cauſa declarari & intelligi queunt.

Hoc ratiocinio ductus cauſam febris proximam declaro notabilem irritationem ſyſtematis vaſorum, ejusdemqve exinde certo ordine adauctum motum ſeſe primò exſerentem in brevi du-

rante conſtrictione peripherica finium vaſorum, qvam inſeqvitur conſtantius motus incrementum in principio vaſorum ſive cordis.

Nexus hujus cauſæ proximæ cnm antecedentibus externis haud difficulter perſpicitur.

1. Conſtrictio peripherica ſub initio febrium eorumqve frigore & horrore locum habens merito tanqvam effectus ex irritatione & aggreſſu cauſarum febris externarum deducitur, utpote experientia notum eſt, tales horrores fere ſemper eſſe primos naturæ motus in homine ſolitò validius irritato.

2. Cordis adauctus motus principalem & conſtantiorem partem febris efficiens atqve in freqventiore & fortiore contractione conſiſtens facile intelligitur ut effectus e cauſis manifeſtis febris allatis, qvippeqvæ ponunt & producunt debitò magis irritantem ſangvinis qvalitatem, cui conformiter actio cordis increſcit & tamdiu perdurat, donec illa irritans cauſa e corpore eliminetur vel effectum lethalem inferat.

Symptomata & mutationes per febrem poſſibilia etiam ex allata cauſa proxima commode derivantur.

Conſtrictio peripherica duplicem inducit effectum, mediante qvo reliqva ſub febris initio obvia phænomena intelliguntur ſc.

1. In ſuperficie ipſa corporis, cujus vaſa conſtringuntur, unde ſangvinis ibidem & humorum

defectus, adeoqve verum frigus, pallor, & urina limpida.

2. In partibus internis, verfus qvas fangvis ob contractionem & refiftentiam in partibus externis majore copia ruit, ibidemqve moleftam creat abundantiam, qvæ in capite ftuporem fonmolentiam dolores, in pectore difficilem refpirationem & anxietatem efficit.

E motu cordis & arteriarum accelerato, itaque adaucta fangvinis circulatione alia & plurima febris fymptomata eruuntur.

1. Æftus febrilis pro præcipua & conftanti caufa habet evolutionem materiæ calorificæ accelerato fangvinis motui neceffariò conformem & proportionatam; accidentaliter tamen qvoad gradum dependere poteft e fangvinis copia, qvo major enim hæc, eò plures moventur particulæ & eò major evolutio e tenfione & duritie vaforum, motum humorum melius propagante & confervante, ideo ftricti habitus corpora fortiore febre qvam laxiora fubjecta laborant; e qvalitate fangvinis varia minus magisve ad concipiendum calorem apta, ita pingvis & ad putrefcentiam inclinans fangvis æftus febrilis capacior effe obfervatur, qvam aqvofus & minus corruptus.

2. Sitis febrilis effectus æftus vel forfan rectius pro particulari faucium æftu habenda, qvæ junctam fibi habet fitis fenfationem; accidentaliter dependere poteft e fimul præfente humorum

acrimonia, partimqve e defectu secreti liqvidi ad lubricandas hasce partis inservientis.

3. Se & excretiones præsertim serosæ minutæ; hunc febris effectum etiam declarat celeris sangvinis motus, qvatenus per illum serosi humores intimius cum grumosa sangvinis parte mixti tenentur, nec ab illa separari qveunt, utpote separatio hæc promovenda est lentiori sangvinis motu & vi attractiva vasorum secernentium, qvæ non sufficit, dum vehementior sangvinis motus ad aliam & oppositam directionem adest.

4. Langvor febrilis s. virium voluntati subditarum decrementum sub febre vix melius declaratur, qvam ex adaucta earundem applicatione ad motus vitales, svadente solita, qvæ vires hominis determinat, regula, juxta qvam una facultas tantum nisus agendi perdit, qvantum aliis additur, sicuti enim unus animi affectus & appetitus alterum compescit & profligat, ita etiam status febrilis se habere videtur, per hunc enim irritato & commoto systemati vasorum solitò major pars virium applicatur, & aliis partibus & facultatibus detrahitur; cum verò ad omnes appetitus & sensationes etiam certa vis vitæ atqve nervosa reqviratur, etiam horum diminutio ex antecedente causa apte explicatur. Attamen anorexia febrilis etiam e causa magis physica sc. bile per calorem febrilem corrupta intelligi potest.

5. Anxietas, febris non rarum ſymptoma, ſine dubio ipſius cordis moleſta ſenſatio probabiliter producitur ex ejusdem nimia per ſangvinem expanſione; præponderans talis ſangvinis actio triplicem rationem habere poteſt 1. frigus febrile, vi cujus conſtricta vaſa ſangvini e corde propulſo reſiſtunt & ut hoc debita facilitate exoneretur, impediunt, 2. æſtum febrilem, ſub qvo ſangvis rarefactus citoqve permotus haud ſatis celeriter per pulmones moveri poteſt, ideoqve cor debita majore copia diſtendit. 3. Debilitatem ipſius cordis, vel ob malignitatem febris, vel ob ejusdem diuturnitatem, qva ſit, ut affluens ſangvis haud debita vi expelli posſit, ideoqve remora nimia diſtentionem anxiam creet.

6. Cephalalgia febrilis, qvatalis, meritò haberi poteſt pro effectu valide commoti & rareſacti ſangvinis, unde partes nervoſæ debito magis diſtenduntur, qvænam diſtentio præſertim in ſenſibiliore loco, ut v. c. caput cenſendum eſt, dolorem excitat. Accidentaliter etiam e ſordibus primarum viarum per conſenſum oriri cephalalgiam experientia comprobatum eſt.

7. Delirium febrile adſcribendum eſt immutato & irregulari motui fluidi nervoſi, qvi ad animæ functiones peragendas conſpirat; cum enim cerebrum per vaſorum diſtentionem ictusqve enormes inſolito modo comprimitur & movetur, ne-

ceſſario etiam circulatio fluidi cerebralis mutatur, mox & alibi impeditur, mox & in aliis locis validius movetur, unde non poteſt non oriri varia aberratio functionum animæ, utpoteqvæ corpori, qvocum nexa eſt, conformiter agere, ejusdemqve mutationibus certa ratione determinari vix non cogitur.

8. Stupor & ſomnolentia, febri non rarò adjuncta, ſurgunt a notabili congeſtione & rarefactione ſangvinis circa cerebrum, qvo igitur compreſſo ſomnolentus, ut experientia notum eſt, oritur ſtatus. Stupor putridarum febrium gradus majoris eſt probabiliter inductus ex immediata læſione fluidi nervoſi per penetrabilem & mephiticam vim materiæ morbificæ.

9. Pervigilium febrile præſertim derivari debet e violento ſangvinis motu & impetu verſus cerebrum, qvo fluidi nervei debito fortior motus citatur; partim etiam ſimul præſentes & irritantes dolores in culpa eſſe poſſunt.

10. Sudor febrilis oriri poteſt 1. e relaxatione vaſorum tranſpirantium, qvæ effectus eſſe poteſt v. prægreſſæ ſpaſmodicæ conſtrictionis, vel enormis debilitatis. 2. ex humorum natura ad vaſa exhalantia permeanda apta, qvæ aut reſolutioni noxiæ aut ſalutari attenuationi per ita dictam coctionem imputari poteſt. 3. e circulatione ſangvinis a vehementi febrili in moderatiorem converſa; validior enim motus ſeroſos humores cum grumo-

ſa ſangvinis parte commixtos & conjunctos tenet, itaqve ad ſeparationem ineptos reddit; qvisqve hoc proprio exemplo facile comperit; qvamdiu fortius exercetur corpus, vix provenit ſudor, qvi verò dein ſub motu ſenſim imminuto largus erumpit.

11. Hæmorragia febrilis præſertim derivanda eſt ex impetu ſangvinis vehementi, qvo vaſa vel qvoad orificia nimis dilatantur, vel revera disrumpuntur, itaqve ſangvinem permeare ſinunt. Accidentaliter ad eandem producendam conſpirare poteſt ſangvinis diſſolutio, cujusdamqve viſceris laxitas & debilitas.

12. Emaciatio corporis ſub febre & poſt eandem effectus eſt neceſſarius impeditæ nutritionis & adauctæ conſumtionis, qvæ utraqve gradui circulationis præternaturaliter increſcentis reſpondet.

Gradus febrium abſolutus dependet ex cauſis qvoad intentionem vel confluxum diverſis; qvo validior cauſa febris, eo major hæc & vice verſa, e modico refrigerio modica febris, e fortiori gravior exoritur, eadem epidemica febris in uno ſubjecto damnoſior qvam in alio fit, dum ſimul plures febris cauſæ, ut impuritates notabiles primarum viarum vel ſangvinis, conſpirant.

Gradus febris relativus ſ. ſtadia febrilia differenti irritationi per materiam morbificam merito

adſcribuntur; ſic incrementum febris illi materiæ magis magisqve evolutæ & irritanti redditæ; ſtatus perſeveranti & non mutato febrili irritamento, & decrementum potentiæ nocivæ involutæ vel evacuatæ imputari debet.

Duratio febris diverſa pro cauſa habere poteſt 1. locum varium materiæ morbificæ, qvi ejusdem ſeparationem & evacuationem minus magisve difficilem reddit, ſic in primis tantum viis hærens materia facilius & breviori tempore aufertur, qvam ſangvini commixta. 2. Copiam materiæ morbificæ, cui ſat probabiliter reſpondere debet tempus ad talem hoſtem vincendum & profligandum reqviſitum. 3. Indolem potentiæ morboſæ minus magisve ſpiſſam & viſcidam, qvæ ideo minus magisve diuturna naturæ molimina evolventia & ſolventia deſiderat. 4. Vires naturæ diverſas, dum a fortioribus citius, a debilioribus tardius perficitur opus in ſubigendo morbo.

Eventus ſ. exitus febrium pro differente indole etiam diverſam habet cauſam.

Eventus febrium ſalutaris ſ. in ſanitatem adſcribendus eſt actioni ſolidorum imprimis ſyſtematis vaſorum juſto & ſufficienti gradu adauctæ, utpote enim hæc naturali gradu conſtituta inſervit ad ſeparandam & eliminandam noxiam materiam tempore ſanitatis in corpore generatam, ita etiam haud aptior cogitari poteſt cauſa qvam incrementum hujus naturæ actus ad debellandam

& profligandam magis inimicam & morbofam materiem. Hi naturæ motus ad fanationem febris tendentes ad duas operationes, coctionem fc. & crifin nuncupatas, referri poffunt.

Coctionem dico talem materiæ morbificæ immutationem, ut vim irritandi perdat vel ad evacuationem e corpore apta reddatur; motus & calor per febrem adaucti hunc fcopum triplice modo attingunt.

1. Per refolutionem, qva materia morbifica folvitur & attenuatur, itaqve ad vias excretorias permeandas adaptatur.

2. Per diftributionem & dilutionem, dum materia morbifica forfan concentrata cum tota fangvinis maffa commifcetur, itaqve vim agendi & irritandi perdit.

3. Per tranfpofitionem, qva combinatio màteriæ morbificæ cum principiis fangvinis immutatur, ita ut ab aliis divellatur, cum aliis verò commifceatur, & conjungatur.

Crifin appello naturæ actum, qvo materia morbifica e corpore evacuatur; caufam hujus fiftit partim prægreffa coctio, qva materia morbi ita eft refoluta, feparata & mitificata, ut per vias excretorias expelli qveat; partim motus febrilis per coctionem, itaqve fubactam irritantem vim materiæ, minutus; fupra enim monftratum eft, fortiorem febrem nimis unita tenere fangvinis principia, itaqve fe & excretiones impedire;

fracto vero per coctionem irritamento morboſo, indeqve motu febrili decreſcente excretiones melius procedere poſſe intelligitur. Circa criſin obſervanda ſunt ejusdem diverſus progreſſus, locus, atqve tempus.

Ratione progreſſus duplex datur differentia:

1. Criſis ſtricte talis ſc. manifeſta, notabilis, cito perfecta qvandoqve tamen ad plures dies protracta & repetita evacuatio, poſt qvam febris mox ceſſat. Hujus cauſam probabiliter ſiſtunt ſufficientes naturæ vires, nec non materiæ ſolubilis indoles ſeparationi & excretioni minus obſtans.

2. Lyſis ſ. critica & ſalutaris evacuatio minus ſenſibili & manifeſto modo, ſed ſucceſſive ſeſe exſerens, qvæ dependere poteſt e debilioribus naturæ viribus & materia morboſa difficilius extricanda & ſubigenda.

Locus criſeos diverſus: ſæpisſime ſudor & urina, interdum alviſluxus, ſalivatio, expectoratio excretionem criticam conſtituunt; ſudor criticus debet eſſe univerſalis modice calidus; urina critica ſedimentum continere, qvo citius deſidens eo melioris notæ, ſub progreſſu morbi apparens; rarius contingit, qvod notabiliter aucta urinæ copia ſedimenti vices ſuppleat; qvandoqve per unicam excretoriam viam, rarius per plures ſimul criſeos opus perficitur. Diverſus hic excretionis modus derivari poteſt partim ex indole materiæ morbificæ ,qvæ majorem affinitatem cum uno qvam

cum altero excreto habet, partim e laxitate vel debilitate cujusdam organi excretorii, ob qvam irruenti humori facilius cedit.

Tempus criſeos ſ. dies morbi, qvibus critica evacuatio accedere ſolet, in genere certa ratione definiti ſunt, ideoqve dies critici nuncupantur ſc. dies 4tus, 7mus, 9nus, 11mus, 14tus, 17mus, 21mus, 24tus; qvorum uno natura criticum opus communiter exſerit, ſed condita eſt talis ordinis cauſa; neqve noſtris temporibus huic adeo conveniens deprehenditur criticum hoc tempus, ab antiqvis medicis præſertim obſervatum & conſtitutum, forſan vel partim ob efficaciorem, qvam nos adminiſtramus medelam et mutatum vitæ genus.

Exitus ſ. tranſitus febrium in alios morbos produci poteſt.

1. E coctione imperfecta & inſufficienti, dum ſc. materia morbifica haud ita mutatur, ut per vias excretorias educi posſit, ſed tantum a maſſa ſangvinis ſeparatur & in partibus non excernentibus deponitur, ibidemqve tumores, abceſſus, inflammationes producit; qvalis morbi febrilis exitus metaſtaſis audit.

2. E critica excretione imperfecta, dum ſc. pars materiæ morboſæ aufertur, altera autem pars in corpore remanet; hac forſan ratione una febris ſpecies, ut continua, tranſit in intermittentem.

Exitus febrium in mortem triplici ratione fit:

1. Per debilitatem f. virium confumtionem fub febre non vincenda magis magisqve increfcentem demum ad tantum gradum, ut functioni fuæ haud fufficiat cor.

2. Per deftructionem & læfionem notabilem vifceris cujusdam nobilioris imprimis cerebri vel pulmonum, quorum vafa & fubftantia aut vi impetus febrilis disrumpi aut materia morbifica corrumpi poffunt.

3. Per effufionem fangvinis vel materiæ morbificæ in cavitatibus internis, abdominis, pectoris, capitis, unde compresfio vel irritatio funefta vifcerum inducitur.

Diagnoftica figna febris, e qvibus hæc præfto effe concluditur, funt:

1. Pulfus naturali frequentior; hoc fignum certisfimum eft, qvippe infeparabile, id eft: femper febri nexum; & exclufivum, id eft: non in aliis qvam febrilibus morbis præfens, interdum tamen imprimis junioribus medicis minus manifeftum f. obfcurum.

2. Langvor febrilis; frequentisfimum qvidem haud vero infeparabile fignum, haud exclufivum & interdum fat obfcurum.

3. Urina magis naturali tincta; etiam freqvens fignum, verum nec prorfus infeparabile aut exclufivum.

4. Calor naturalis mutatus, initio per frigus febrile minutus, alias naturalem ſuperans; hoc ſignum ſat conſtans, tamen haud inſeparabile eſt.

5. Cephalalgia, anorexia & ſitis ſigna diagnoſtica febrium auxiliaria haberi poſſunt.

Regulæ diagnoſticæ ſ. ex allatis ſignis præſentiam febris concludendi:

1. Pulſus naturali manifeſto celerior ſemper febrem adeſſe indicat, etiamſi alia ſigna ſeſe diſtincte non exſerant.

2. Pulſus diſtincta celeritate non præſente vel appercepta, reliqva ſigna reſpicere oportet atque ex illis præſentem febrem cognoſcere.

Prognoſtica ſigna febrium, e qvibus earundem eventus concludendus & præſagiendus eſt, in univerſum ſunt cauſæ horum eventuum.

Salutaris eventus ſigna ſunt:

1. Vires naturæ qvodammodo valentes & ad criſin peragendam ſufficientes; hinc pulſus fortis, reſpiratio qvodammodo libera, modica debilitas, oculi & facies haud nimis a naturali modo abſcedentes, qvatenus robur naturæ, etiam benignum exinde ſperandum eventum deſignant.

2. Incipientes excretiones ſalutares & revertentis ſanitatis effectus; urina ſedimentoſa, ſudor, alvi fluxus &c., imprimis diebus criticis, celeritas pulſus decreſcens, lingvæ immutatio a ſic-

ca in humidam, ab impura in puram, ſomnus & appetitus redeuntes.

Tranſitum febris in alium morbum, imprimis metaſtaſin, præunnunciant:

1. Difficilis coctionis ſigna ſc. diuturna febris perſeverantia in eodem gradu, utpote quæ naturæ vires ad materiem morbi rite ſubigendam vix ſufficientes monſtrat; nec non urina clara permanens, qvæ indicat materiem morbi haud talis capacem eſſe mutationis, ut per vias excretorias ſolitas educi qveat.

2. Decrementum febris, imprimis celeritatis pulſus absque facta vel concomitante critica evacuatione, qvod demonſtrat materiem morbificam e maſſa ſangvinis eſſe ſeparatam, ſed dum non excernitur, alibi in corpore deponendam.

3. Incipientis metaſtaſeos indicium ſc. dolor & affectio moleſta in certa corporis parte externa vel interna ſub allato ſtatu febris ſupervenienś, unde coucludendum eſt, huc verſus materiem morbi ſolutam tendere atque dirigi.

Funeſti febris eventus ſigna ſunt:

1. Debilitas notabilis, increſcens, ejusdemqve effectus, uti ſtupor enormis ſitus immobilis imprimis in dorſo continuus, magis magisque deorſum tendens, tremor artuum, ſubſultus tendinum, lipothymia in ſitu erecto, pulſus qvotidie debilior, celerior, irregularis, oculi ſemiclauſi immobiles, inæqvales, lachrymantes ſplendore

naturali carentes, excretiones involuntariæ, extremitates frigidæ & viſcide ſudantes.

2. Viſcerum nobiliorum imprimis cerebri & pulmonum afflictio notabilis, unde horum funeſta deſtructio timenda eſt, uti deliratio gravis, inſomnia continua, oculi magni rubri, torvi, convulſiones intercurrentes, reſpiratio freqvens difficilis, anxia, ſtertoroſa. Qvo plura horum utriusque generis ſignorum præſto ſunt, eo majus febris periculum; abſolutum vero inſtantis mortis ſignum tantum exhibent pulſus vix ſenſibilis, artus viſcide & frigide ſudantes, atque ſtertor ſ. ut qvoqve dicitur, ronchus pectoris.

Curatio febrium in univerſum triplicem continet partem, 1. curationem radicalem ſ. principalem, 2. curationem ſymptomaticam, 3. curationem reſtaurantem ſ. convaleſcentium.

Curatio febris radicalis duplicem ſcopum habet, cui adminicula accommodanda ſunt ſc. 1. motus febrilis juſtum & utile moderamen 2. materiæ ſ. irritamenti febrilis debellationem.

Curatio motus febrilis conſiſtit in tali ejusdem determinatione, ut ad materiam morbificam ſubigendam, cui ſcopo optime ipſam inſervire febrem ſupra monſtravimus, ſufficiat, nec nimio impetu læſionem irreparabilem inducat; hæc determinatio obtinetur, minuendo febrilem motum, dum nimius eſt, augendo eundem nimis debi-

lem, & ſuſtentando illum, dum modicus & juſtus eſt.

Nimius motus febrilis, e ſymptomatum febrilium vehementia imprimis pulſu forti, reſpiratione anxia difficili, cephalalgia valida, æſtu & ſiccitate partium, urina rubra cognoſcendus, in univerſum minui debet & poteſt, debilitando cauſas motum ſangvinis excitantes, ſc.:

1. Calorem ſangvinis, utpote cordis præcipuum irritamentum minuendo per auxilia ſic dicta refrigerantia, tam medica qvam diætetica, uti nitroſa, acida & vegetabilia, ſuccum citri, acetum, cremorem tartari, ſal eſſentiale tartari, & mineralia validioris efficaciæ, imprimis ſpiritum vitrioli rite dilutum; potus & cibos vegetabilis indolis, juſcula e frumentis variis parata, poma & prunos cocta, ceraſa & fragas; aerem purum qvodammodo frigidum & integumenta corporis modica haud calefacientia, qvietem corporis & animi.

2. Maſſam ſangvinis minuendo, ita ut pondere ejusdem cor minus irritetur, qvod ſit per venæſectionem, cujus opportunus uſus & repetitio tamen haud generaliter ſed ſecundum ſpecialem febrium indolem definiri debet.

Debilis nimium febrilis motus, & langvore enormi, pulſu depreſſo, nullo vel parvo calore, & conſpirante diuturnitate morbi concludendus, erigi & juvari debet:

1. Augendo & ſuſtentando actionem cordis & vaſorum per remedia ſic dicta roborantia & ſtimulantia, ut corticem peruvianum, camphoram, moſcum, vinum imprimis rhenanum, epiſpastica, veſicatoria.

2. Avertendo & prohibendo uſum debilitantium, qvalia ſunt nitroſa & evacuantia, imprimis ſangvinis misſiones.

Juſtus & ſufficiens febrilis motus, ubi nec ſigna ſupra allata periculoſæ vehementiæ nec enormis debilitatis indicantia adſunt, non minui aut augeri debet, ideoque a medico haud aliud deſiderat qvam ad irritamentum febrile, cujus mentio mox facienda eſt, curationem dirigere.

Curatio materiæ ſ. irritamenti febrilis promovetur mutando, tollendo, avertendo pravam atqve acrem humorem indolem, qva cor ad enormes motus irritatur, ſc.

1. Diluendo ſangvinem per potus ſolito largiorem copiam, ita enim acrimonia in majori maſſa diſtributa redditur minus activa, ſangvis qvoqve illo modo attenuatus excretionibus criticis aptior ſit; multum bibere ideo maximi in febribus momenti regula eſt; qvantitas ingerendi circiter ad duas tresve menſuras nytchemero definiri poteſt; alias ſiti & gradui febris accommodanda; indoles potus ſit blanda, ſiti & æſtui conveniens & qvodammodo nutriens, uti decoctum avenæ vel hordei tenue aut infuſum panis ſecalini, qvibus

acida ut ſuccus citri aut acetum, & ſi placeat, parum ſachari admiſcentur; etiam mera aqva ſimplex frigida v. ſubfrigida, qvæ ſæpius repetita ſed parca doci, ne ventriculus aggravetur, ingeri debet; ſubcalida potus conditio ad citiorem abſorptionem etiam convenire videtur.

2. Promovendo & ſuſtentando excretiones; imprimis primarum viarum; generalis ideo in febribus poteſt eſſe regula, initium curationis facere per harum viarum emetico aut laxante productam purgationem, & dein ſi ipſa natura deficiat, alvum per enemata vel eccoprotica qvotidie vel alternis diebus porrecta apertam tenere; cum enim contenta inteſtinalia, bilis, ingeſta, excrementa ſponte ad putredinem & acrimoniam vergunt, atqve ob calorem febrilem adhuc magis corruptioni obnoxia ſunt, per ſe intelligitur, qvanti ſit emolumenti, haſce materias tempeſtive eliminare. Exacta tamen determinatio talis evacuationis indoli febrium conformanda eſt, ideoqve ad ſpecialem earundem tractatum pertinet.

3. Prohibendo uſum omnium, qvæ irritante & calefaciente vi prædita ſunt, qvalia ſunt carnea, piſces, butyrum, oleoſa, ſpirituoſa, aromata & medicamenta ſic dicta calefacientia.

Curatio ſymptomatica pro ſcopo habet levamen ſymptomatum moleſtiarum; pro maxima parte hanc continet curatio radicalis, utpoteqvæ cauſam ſ. morbum, adeoqve illius effectus ſ. ſymp-

tomata tollere docet, feqventia tamen attentionem mereri poffunt.

1. Frigus febrile, qvamvis fere intolerabile, tamen nulli auxilio ante tempus a natura præfcriptum cedit, potibus calidis tamen blandis parum levatur; integumenta multa nil juvant, & calefacientia varia præfertim a vulgo adhibita frigus non tollunt, fed æftum infeqventem periculofe augent.

2. Siti urgenti fatisfaciunt acida potui admixta & freqvens hauftus.

3. Vomitus & vomituritio indicatis evacuantibus non cedens julapio falino extra effervefcentiam vel fub eadem alternis horis fumta aut pulvere noftro antemetico ad cohleare minus bi v. trihorio levatur, imo tollitur.

4. Capitis moleftæ affectiones fub febre, æftus, dolor, infomnia, deliria auxiliis fangvinem in capite diminuentibus, & ad alias partes derivantibus, qvalia funt hirudines temporibus, epifpaftica artubus, epithemata frigida capiti applicata, levari debent; opiata damnofa funt.

Curatio reftaurans f. convalefcentium, indicata, cum febrilia fymptomata ceffaverint, fomnus & appetitus redierint & urina naturalis obfervetur, pro fcopo habet partium & virium fub febre deperditarum reparationem efficiendam.

1. Nutrimenti apta electione; qvoad qvalitatem hoc fit digeftu facile, ut jufcula carnea tamen haud fortiora, carnes teneriores, agnina, vitulina, gallinacea, pifces non pingves, coctæ vel affatæ; qvoad qvantitatem illa valet regula: pluribus, qvam fanitatis tempore, vicibus alimenta fumere, fed eò parciori copia haud ad plenam faturationem, ne digerentes naturæ vires adhuc debiles fuperet ingeftum, & pravam igitur indolem fibi contrahat.

2. Nutrimenti bonam promovendo concoctionem, qvod fit auxiliis roborantibus ut decocto corticis peruviani, effentia amara, vino rubro vel rhenano, cerevifia fortiori, fpiritu vini aqva mixto, motu corporis modico fenfim adaucto juxta vires convalefcentium; hoc tempore evitandi funt potus multi aqvofi tepidi, qvatenus relaxantes & debilitantes.

Divifio febrium, me judice commodisfima, fex genera continet 1. febrem intermittentem, 2. continuam fimplicem, 3. continuam catarrhalem, 4. continuam putridam, 5. continuam exanthematicam, 6. continuam puerperalem.

GENUS Imum.

FEBRIS INTERMITTENS

Eſt febris certo dierum intervallo præſens, & alio abſens. Tempus, qvo adeſt, paroxysmus, & qvo non adeſt, apyrexia apellatur.

Diviſio intermittentium febrium potisſimum duplex locum habet ſc. ratione apyrexiæ diverſæ & ratione paroxysmi diverſi.

Ratione apyrexiæ ſ. temporis paroxysmos intercedentis minus vel magis diuturni ſive ratione typi febres ſunt:

1. Qvotidiana, cujus paroxysmi qvovis die ad certum circiter tempus redeunt.

2. Tertiana, ubi paroxysmi alternis diebus adſunt, & apyrexia ad integrum circiter diem extenditur.

3. Qvartana, cujus paroxysmi qvarto qvovis die, intermisſis adeoqve duobus apyrexiæ diebus revertuntur; rara habentur exempla febrium ad plures dies, qvinqve, ſex &c. intermittentium.

4. Duplicata, ubi paroxysmi cujusdam ex allatis ſpeciebus ad duplicem vicem redeunt, tempore, qvo in ſimplice febre modo ſemel adſunt vid. Diar. 1785 Junii No. 2.

5. Erratica, cujus typus ſ. apyrexia haud certo ordine gaudet ex. gr. ubi febris mox qvoti-

dianæ, mox tertianæ, mox qvartanæ typum habet, vel prorſus irregularem recurſum.

Ratione paroxysmi diverſi ſ. differentiæ ſymptomatum paroxysmum conſtituentium febris intermittens eſſe poteſt.

1. Benigna, qvæ tentùm ſymptomata ordinaria, ſatis cognita, non periculoſa continet.

2. Maligna, cui præter ſymptomata ordinaria febrilia ſimul aliud inſolitum & periculoſum junctum eſt.

3. Protheiformis, larvata, qvam loco paroxysmi febrilis ordinarii conſtituit alia morboſa affectio periodica ſ. typum febris intermittentis habens.

Symptomata in febre intermittente posſibilia juxta allatam illius differentem indolem optime diſponuntur.

Benignæ ſ. ordinariæ febris ſymptomata ſunt vel eſſentialia vel accidentalia.

Eſſentialia ſymptomata paroxysmum ipſum febrilem efficiunt & ad tria ſtadia referri ſolent.

1. Frigus initium ſ. primum ſtadium paroxysmi conſtituens, gravius & diuturnius qvam in aliis febribus, utraqve tamen ratione diverſum, ſibi juncta habens pallidum & lividum cutis colorem, tremorem artuum imprimis maxillæ inferioris, oſcitationem, pandiculationem, crebram ſæpe anxiam reſpirationem, langvorem, ſomnolen-

tiam, urinam pallidam, pulſum contractum, lumbaginem, interdum vomitum.

2. Æſtus ſiccus, alterum febris ſtadium efficiens, frigus mox ſubſeqvens, & ſecum ducens rubedinem faciei & aliarum partium, elevatum celeremqve pulſum, profundiorem & liberiorem reſpirationem, moleſtam cephalalgiam, ſæpe cum incommoda pulſatione arteriarum temporalium, ſitim inſignem & urinam rubeſcentem.

3. Sudor tertium & ultimum paroxysmi ſtadium ſiſtens, æſtui ſuccedens, univerſalis, largus, ſymptomata æſtus incommoda ſenſim diminuens, tandemqve profugans, pulſus tunc mollis atqve minus celer invenitur, poſteaqve miſſa urina ſedimentum ruffum, ut dicunt, lateritium habet. Duratio cujusvis ſtadii diverſa eſt, totus paroxysmus ad plures horas extenditur. rara datur exceptio, ubi paroxysmus ſine ſudore notabili finitur.

Accidentalia intermittentium ſymptomata etiam apyrexiæ tempore præſentia ſunt communiter anorexia, ſapor amarus, lingva mucoſa, langvor, qvandoqve color faciei pallido-flaveſcens, tumor ædematoſus imprimis crurum vid. diar. 1784 Mart. No. 2 & Jul. No. 2. Obſtructio hepatis ejusqve effectus vid. diar, 1782. Maj. No. 3. 1783. Maj. No. 2. 1786. Maj. No. 2. & 1785. April No. 2.

Maligna intermittens communiter typum tertianæ nec non ordinaria ſymptomata & ſtadia febris habens, ſed præterea aliud inſolitum periculoſum, qvod diverſi generis eſſe poteſt, ſymptoma, uti hæmorrhagias, epilepſiam, apoplexiam tertio paroxysmo lethalem & alia vid. diar. 1783. Octbr. No. 2. & Novbr. No. 3. 1784. Septbr. No. 1. 1787. April No. 2.

Protheiformis febris ſymptomata locum paroxysmi ordinarii ſubeuntia, illumqve tantum qvoad regularem reverſionem referentia, teſtante experientia, fere omnis generis affectiones morboſæ eſſe poſſunt vid. diar. 1783. Maj. Auguſt. Septbr. Octbr. No. 2.

Cauſæ externæ intermittentium febrium partim vulgares & communes, partim perſonales & ſporadicæ ſunt:

Vulgaris cauſa in plures ſimul homines agens non injuſto habetur certa atmoſphæræ humiditas, nam in regionibus ſiccioribus, uti Norvegia, fere nunqvam obſervatur intermittens febris; talis aeris conſtitutio ortum trahit.

1. E locis paludoſis & aqvis ſtagnantibus, ubi febris intermittens teſtante experientia endemicus morbus eſt.

2. Ex anni tempore pluvioſam tempeſtatem potisſimum ſecum ferente, ſic præſertim ver nec non autumnus huic morbo maxime favet.

3. Ex ipſius aeris ſingulari & epidemica conſtitutione, vi cujus hæ febres uno præ alio anno populares redduntur.

Sporadicæ cauſæ intermittentium febrium, qvæ tamen non niſi in connubio cum cauſa vulgari febrem inducunt, eſſe poſſunt.

1, Alimenta pravæ indolis, uti carnes pingves, imprimis lardum, piſces pingves, ut ſcomber, ſalmo, haleces recentes, præſertim, dum mox poſt talia ingeſta cerevifia vel potus aqvoſus bibitur.

2. Impuritates primarum viarum lentius vel per diætæ vitia vel ob debilem concoctionem generatæ.

3. Acrimoniæ retrogreſſæ, ita frigore ſuppreſſa transpiratio non raro febri anſam dat, nec non ſcabies retropulſa vid. diar. 1785. Mart. No. 4. Huc pertinet ſuppuratio interna vid. diar. 1786. Jul. No. 12 et 1787. Maj. No. 8.

4. Animi pathemata fortiora, inprimis ira & terror, qvorum efficaciam ipſe obſervavi.

5. Diſpoſitio ſingularis in corpore ad febrem intermittentem concipiendam, qvam ex hoc morbo antea habito contrahi indubitata probat experientia.

Cauſa proxima febris intermittentis, me judice, e duplice conſpirante cauſſa conſtat, harum altera efficiens in nervis & partibus ſolidis reſidet, altera excitans eſt.

Caufa efficiens, confiftit in certa irritabilitate & pronitate fyftematis nervofi ad illos motus, qvi intermittentem febrem conftituunt; hanc dispofitionem febrilem peculiari modo nervis inhærere concluditur e multiplici analogia febrium intermittentium cum morbis nervofis fc. 1. pathematum fimili influxu in hos morbos producendos & tollendos, 2. fimili valida agitatione in febribus his ac in convulfionibus nervofis, 3. fimili medicatione per remedia roborantia, 4. fimili confvetudinis vi, ob qvam febres intermittentes non minus ac ftricte dicti morbi nervofi adeo recidivantes funt. Hujus difpofitionis obfervari merentur

1. Ortus, partim fine dubio ex humiditate aeris, qva nervi ralaxati ad irregulares motus disponuntur, qvæqve vix alio modo qvam nervorum tonum immutando febrium adeo fecunda caufa effe poteft, partim e confvetudine & fingulari habitu ad motus, qvos nervi antea citarunt, reproducendos, & demum ex congenita, vel hæreditaria teneritudine & mobilitate nervorum, vi cujus certa individua hac febre corripiuntur, dum alia iisdem reliqvis caufis febrium expofita tamen libera manent.

2. Gradus diverfus, ob qvem majorem aut minorem gravior vel levior caufæ excitantis vis ad producendam febrem reqviritur.

Caufæ excitans f. irritamentum febrile ea eft materia vel res, cujus influxu & actione nervi ad

febrem dispositi irritantur & ad illius motus exserendos citantur.

Qvoad indolem irritamentum hoc duplex esse potest sc. accidentale & essentiale.

Accidentale febris irritamentum potest esse qvæcunqve res irritans & stimulus nervos ad febrem dispositos commovens, uti aër frigidus, potus frigidus largus, alimenta fortiora carnea, remedium purgans, animi pathema, e qvibus febrem revocari posse sat certa experientia constat; verum tali irritamento utpote transitorio tantum primus febris paroxysmus adscribi potest, ad inseqventes alia reqviritur causa.

Essentiale febris irritamentum debet esse constans, id est: ad qvemlibet paroxysmum, primo forsan excepto, producendum concurrens; pro hoc irritamento maxima probabilitate statuitur bilis vel corrupta vel naturalis, tamen sub notabili dispositione febrili sufficiens, qvæ sensim collecta & in intestinis effusa demum efficax redditur ad motum nervorum febrilem excitandum; hanc sententiam probant:

1. Bilis læsa conditio fere omni intermittenti febri annexa, unde merito concluditur, illius acrimoniam in culpa esse.

2. Nexus febris cum obstructione hepatis sat frequens & mutua horum morborum successio, ita sc. ut, febre imprimis per adstringentia intempestive adhibita profligata, oriatur obstruc-

tio, & hac ſanata redeat febris; qvod demonſtrat, biliofum irritamentum ad febrem creandam pertinere & ad inteſtina effluere debere vid. diar. 1784. Mart. No. 5. 1785 April No. 2. 1786 Maj. No. 2 & Juli No. 2..

Declaratio ſymptomatum intermittentis febris ex allata cauſa ſeqventi modo fieri poteſt.

1. Frigoris ſtadium eſt effectus irritationis nervorum per bilem, qvæ, etiamſi in primas vias modò agens, non minus tamen valida cenſenda eſt ad motum nervorum univerſalem citandum, qvam alii ſimiles ſtimuli ex. gr. calculi biliarii, e qvo ductum choledochum permeante & irritante & frigus & alios vehementes motus produci ſat certum eſt.

2. Æſtus relaxatis ſub evaneſcente frigore vaſis periphericis, ideoqve fortiter per vim cordis prævalentem irruenti & in vaſis adhuc ſat tenſis vehementer moto ſangvini adſcribendum eſt, dein ſub hoc incipiente æſtu bilis e primis viis in ſangvinis maſſam abſorbetur, & novum irritamentum febrili motui præbet; frigore enim conſtricta vaſa nihil, ſub æſtu autem maxime abſorbent.

3. Sudor, ultimum febris ſtadium, producitur, partim per plenariam relaxationem peripheriæ vaſorum, partim per ipſos febriles motus conſpirante vi ſaponacea & ſolvente bilis, qvibus humores ſolvuntur, attenuantur & ad vias excretorias permeandas aptantur, ſedimentum urinæ

lateritium, haud injuſto bilioſæ materiæ per diureſin ejectæ imputatur.

4. Apyrexia febrium evacuationi irritamenti bilioſi per ſudorem & urinam tribuenda eſt.

5. Reverſio paroxyſmi febrilis e renovata in primis viis collectione bilis ad tantam copiam & gradum, ut ad nervos commovendos ſufficiat, derivanda eſt.

6. Typus febris intermittentis diverſus declarari poteſt.

a) Ex irritamenti diverſa indole, ſpisſitudine vel acrimonia, ob qvam brevius vel diuturnius requiritur tempus ad collectionem ejusdem ſufficienter irritantem, indeqve brevior vel longior apyrexia intelligitur.

b) E diſpoſitione nervorum varia minus magisve ſenſibili, qvæ ideo minorem majoremve, minus vel magis diuturnam collectionem irritamenti deſiderat, ut per illud commoveri posſit.

Diagnoſtica ſigna intermittentium febrium, & aliorum ſimilium periodice recurrentium morborum ſunt in univerſum:

1. Paroxyſmus ipſe aut aliud illius locum ſubiens ſymptoma, qvod per invaſionem ſubitam & ceſſationem periodicæ naturæ præſertim tempore, qvo talis graſſatur morbus, ſignum exhibet, imo pro indicio completo cenſendum eſt, dum gravitas paroxyſmi periculum moræ & exſpectationis facit; qvale exemplum apoplecticæ febris

altera reverſione lethalis ob ignoratam periodicam indolem, ideoqve procraſtinatum corticis uſum refertur; mihi ipſi tamen haud contigit, adeo cito funeſtum periodicum morbum obſervare.

2. Regreſſus ejusdem paroxysmi, vel ſymptomatis ad easdem circiter diei horas, altera talis reverſio fere certum, & tertia indubitatum ſignum periodici morbi porrigit.

3. Urinæ ſedimentum lateritium utplurimum periodicis morbis junctum, ſignum eorundem corroborans æſtimari debet, imprimis utile, ſi recurſus periodicus haud ſatis per ſe manifeſtus videatur, verum haud inſeparabile eſt indicium, adeo ut ab illius abſentia ad abſentiam febris concludi neqveat.

Specialia ſigna diagnoſtica typi ſc. & indolis intermittentium febrium e definitione & deſcriptione ſupra allatis abunde patent, attamen mentione digna ſunt indicia gravis a Werlhoffio imprimis deſcriptæ febris caroſæ ſ. apoplecticæ ſc. ejusdem

1. Prænuntia ſigna, e qvibus periculoſus talis acceſſus timeri poteſt: a) ſomnus notabilis primo vel alteri paroxysmo annexus, tantusqve, ut æger evigilari vix qveat, nec vigilans teneri durante paroxysmo; b) ſtupor notabilis etiam extra paroxysmum continuans; c) talis morbi jam præſens epidemia; d) cardialgia enormis qvaſi ex inflammatio-

ne paroysmo periculofum proxime antecedenti adjuncta.

2. Præfentis talis damnofi paroxysmi figna fub tertia reverfione communisfime fefe monftrant, rarò citius vel ferius, & qvidem fub forma apoplexiæ feu cari, privatione motus & fenfus, fomnoqve non interrumpendo, fæpe per mortem finito, interdum talis paroxysmus innocuus, verum infeqvens lethalis fit; rarisfime hic morbus propriis naturæ viribus absqve noxa ægroti vincitur.

Circa prognofin notari debent.

1. Benignus & in fanitatem tranfitus intermittentium utplurimum fperandus, interdum per proprias naturæ vires, verum per artem fere femper efficiendus eft; qvotidianæ & tertianæ facilius tolluntur, qvartanæ autem præfertim in hyemale tempus incidentes magis pertinaces funt, imo non nifi tempore vernali fanationem admittunt, qvandoqve per fcabiem folvuntur, vid. diar. 1784. Jul. No. 2. 1786. Juli No. 2.

2. In alios morbos imprimis hydropem & obftructionem hepatis (vid. diar. 1784. Mart. No. 3. & 1785. April No. 2.) hæ febres fub prava diæta protractæ vel remediis calefacientibus & adftringentibus imo cortice intempeftive ingefto tractatæ terminari posfunt; rarior faltem apud nos lienis obftructio (*Feberkage* nominata) obfervatur, in Holfatia freqvens.

3. In mortem finiri possunt hæ febres malignæ sic dictæ carosæ & apoplecticæ sc. sibi ipsis relictæ & remedio specifico haud satis tempestive debellatæ; etiam exemplum habetur lethalis eventus per metastasin hydropicam ad pectus; vid. diar. 1785. April. No. 2.

4. Recidivans præ omnibus aliis fere morbis observatur intermittens febris, ita ut illa licet fugata, imo per plures hebdomades absens, modico tamen diætæ vitio, præsertim alimentis carneis maxime bovino & suillo & lacteis, aere frigidiore, animi pathemate revocari possit. Hæc ad febrem dispositio imprimis ad tres qvatuorve septimanas post eandem devictam corpori inhæret &, si vernalis vel æstiva fuerit febris, cessat versus tempus autumnale.

5. Salutaris qvandoqve ad alios præsertim chronicos morbos observata est intermittens febris; Hipocrates jam docuit, & ipse expertus sum, epilepsiam superveniente qvartana curari; palpitationem cordis molestam qvartana sanatam vidi; vertiginem inveteratam febre intermittente adjutam vid. diar. 1785. Jun. No. 2. & dyspnoeam insignem v. diar. 1787. No. 3.

Curatio febris intermittentis radicalis consistit in remotione causæ ejusdem proximæ tam sc. excitantis s. irritamenti febrilis qvam dispositionis febrilis nervis inhærentis. Cui scopo,

confvadentibus ratione & experientia, aptata auxilia funt:

1. Refolventia f. digeftiva & evacuantia medicamina, qvibus materia morbi corrigitur, & aufertur.

2. Roborantia remedia, qvibus difpofitio nervorum febrilis tollitur.

3. Diæta conveniens, qva caufæ febrem producentes, & fuftentantes avertuntur.

Circa digeftiva notari debent.

1. Opportunitas eorundem, qvam conftituunt a) initium febris, utpote vix hæc absqve materia primo debellanda oritur; hoc tempus ad qvintum paroxysmum peractum tutisfime putatur, b) manifefta figna impuritatum primarum viarum plura vel pauciora fc. anorexia, amarities oris, lingva alba, fitis extra paroxysmos, qvæ, qvamdiu exiftant, digeftivis tantum tractari debent, ni altera caufa citiorem opem defiderans & infra declaranda accedat; c) renovata cruditatum figna poft ufum roborantium jam jam inceptum imprimis permanente febre, tunc hisce fubftituenda funt digeftiva.

2. Indoles medicaminum horum falina fit; mea experientia probatus eft pulvis digeftivus fimplex bihorio ad cochleare minus præbitus, cui guftus ergo qvarta circiter pars eleofachari citri apponi poteft; fi alvus fegnis obfervetur, illius loco, qvamdiu opus eft, pulvis digeftivus cum rheo

confert; in qvartanis pulvis digeſtivus ad qvartanam bihorio vel trihorio ſumtus melius convenit; infantibus tinctura aperiens ad qvadraginta guttas trihorio qvadrat; in febribus diu jam protractis etiam ſimul cum allatis reliqvis decoctum reſolvens ad menſuram dimidiam qvotidie hauſtum radicali convenit curationi, & præſertim indicatur, dum ſigna obſtructi cujusdam viſceris præſto ſunt.

Evacuantia remedia febri intermittenti apta tantummodo ſunt emetica, indicata, poſtqvam allata digeſtiva per aliqvot dies adhibita ſunt, & ſi ſigna cruditatum nilominus perſiſtant, nec non dum cortex chinæ per plures dies absqve effectu optato exhibitus fuit; vid. diar. 1783. Aug. & Octbr. No. 2. & 1784. Mart. No. 3. Aut pulvis emeticus ſolitus pro adultis fortioribus, aut ſolutio tartari emetici per cochlearia juxta ætatem ægroti dimidia qvavis hora ad effectum & qvidem die non febrili porrecta conveniunt; vomitum promovet infuſum florum chamomillæ. Alia qvam hæc allata evacuantia ſc. emetica & parca doſis rhabarbari alteri medicinæ ad aperiendam alvum juncta, teſtante experientia, in febre intermittente nocent & non juvant, imo febrem jam ſat diu abſentem revocant.

Roborantia, qvibus altera cauſæ proximæ intermittentium febrium pars ſc. diſpoſitio nervorum febrilis tollenda eſt, potisſimum reducenda ſunt ad unicum corticem chinæ, inter cujus ſpecies

cortex chinæ regius optimus præferendus eſt. Ad utilem hujus applicationem ſciri & attendi debent.

1. Opportunitas hujus remedii ſ. tempus & conditiones morbi, ſub qvibus adhiberi debet ſc.

a) Perſeverantia febris poſt allata digeſtiva & evacuantia adhibita, qvintumqve paroxysmum abſolutum, & ſigna cruditatum in primis viis ſublata, ita ut lingva, ſapor. alvus, appetitus naturali modo aliqvatenus ſe habeant. Qvandoqve tamen ſigna candidatum poſt dictum tempus & factas evacuationes permanentia per uſum corticis ſimul cum febre tolluntur.

b) Abſentia obſtructionis viſcerum, hepatis vel lienis; qvamdiu enim hujus ſigna permanent, ſecurius eſt, ſolis reſolventibus inſiſtere, & demum poſt perfectam reſolutionem, ſi febris tamen ſuperſit, corticis uſum aggredi. Minutis per longum reſolventium uſum obſtructionis ſignis, continuantem febrem cortice ſupprimere licet & dein ſi opus ſit, reſolventia repetere. v. diar. 1783. Maj. No. 3. 1787. Mart. No. 2.

c) Periculoſum aliqvod ſymptoma febri annexum ſive apoplexia, ſive hæmorrhagia, ſive aliud exceptionem facit a præparatione antea laudata, & ut febris, qvo citius, eo melius, per corticem ſupprimatur, deſiderat.

d) Periodicæ affectiones, qvæcunqve ſc. regulari tempore revertuntur, forma tamen ordinariæ febris haud indutæ, ni ſigna cruditatum præ-

ſto ſint, etiam absqve præparatione per corticem debellari poſſunt, atqve debent.

e) Apyrexia ſ. tempus, qvo paroxysmi febriles ſilent, putandum a ſtadio ſudoris aliqvatenus finito ad unam alteramve horam ante paroxysmum proxime inſecuturum; primo, qvo cortex contra febres in uſum trahebatur, tempore a nonnullis ſub ipſa invaſione febris præbitus fuit, ſed lethalem inde ſurrexiſſe effectum refertur, qvapropter hæc rejecta eſt methodus.

f) Recidivans febris corticis uſum mox deſiderat, nec niſi notabiliora cruditatum ſigna adſint, opus eſt præmittere digeſtiva & evacuantia.

g) Præſens menſtruatio non prohibet corticis uſum.

2. Forma corticis ingerendi varia eſſe poteſt.

a) Pulvis illius ipſe, ſ. ut dicitur, in ſubſtantia merito efficacisſimus cenſendus, vel qvatalis aqva mixtus, vel mediante ſyrupo qvodam in electuarium, aut per mucilaginem gummi arabici in pilulas formatus.

b) Decoctum chinæ ſimplex apud debiles v. infantes pulvere ipſo qvandoqve præſtantius, vel guſtus ergo huic præferendum.

c) Sub clyſmate etiam applicari poteſt, vel decoctum, vel pulvis aqva mixtus; tunc primo per clyſma evacuans inteſtina purgari debent, & dein corticis clyſma, cui, ut melius retineatur,

ſcrupulus laudani liqvidi apponitur, injiciendum eſt ſc. qvinqve unciæ decocti pro adultis, & duæ pro infantibus tripla vice per diem; verum hæc methodus & minus efficax & incommoda cenſeri debet. Aliæ præparationes corticis, ſc. ejusdem extractum & eſſentia vim debellandi febrem, quod me docuit experientia, non habent.

3. Conjunctio corticis cum aliis remediis juxta ſeqventes regulas inſtituenda eſt.

a) Simplex cortex qvadrat & ſufficit lingva prorſus pura & alvo parum ad laxitatem prona.

b) Cum radicis rhei octava parte combinatus cortex convenit in nonnullis, præſertim lingva non prorſus pura & alvo ſtrictiori.

c) Cum ſale ammoniaco atqve rheo ſimul maritatus cortex ſub titulo pulveris corticis ad qvartanam præſtat imprimis contra febres qvartanas, nec non ſi ſigna obſtructi viſceris prægreſſa fuerint, ut vis corticis adſtringens magis inſons ſit.

d) Cum corticis caſcarillæ octava parte junctus cortex chinæ, ſi febrem diarrhoea comitetur, eligi poteſt; pertinaciori hac, opium convenit ſc, laudani liqvidi Sydh. guttæ qvinqve ter qvaterve per diem; ſi decoctum corticis adhibetur, mucilago gummi arabici illi apponenda eſt.

4. Qvantitatem corticis ingerendi qvod attinet, drachma dimidia bihorio in tertianis & qvartanis, omni hora in qvotidianis qvovis intervallo apyreto confumenda eft, donec nullum veftigium febris recurrat; tunc feponitur ejus ufus, feptimo vero die repetitur, itaqve triplici vice, ut qvovis feptimo die poft febrem fugatam dimidia corticis drachma bihorio ingeratur. Si fub largo corticis ufu paroxysmi febris tamen eadem circiter vi aliqvoties recurrant, adhibita emetica corticem efficacem reddere qveunt vid. diar. 1783. Aug. & Octbr. No. 2. & 1784 Mart. No. 3 Utplurimum febris sumto dicta dofi cortice mox fugatur, rarius fenfim decrescendo, qvandoqve paroxysmus proximus ab incepto corticis ufu gravior, faltem non minutus, obfervatur, deinceps tamen continuato cortici cedens.

Qvæ cætera remedia vi corticis febrifuga qvodammodo gaudere dicuntur, uti cortex hippocaftani, falicis, quercus, radix gei urbani, herbæ qvædam amaræ, coffea cæteraqve, minus fecura, cortici longe inferiora, fæpius fpem fallunt. Arfenicum, certa experientia tefte, valde damnofum eft.

Diæta in febre intermittente, & qvamdiu durat, & ad duas vel tres circiter hebdomades poft eandem elapfas obfervanda refpectum habet:

1. Ad aerem, qvi temperatus fit; humida & frigida tempeftas vitanda eft; libero aere, fi æftivus non humidus fit, frui non nocet.

2. Ad alimenta; vegetabilia qvævis, olera mollia, pifces recentes, non pingves, haleces faliti conveniunt & innocua funt; verum pifces pingves, caro, indeqve confecta jufcula fortiora, ova, lac, butyrum nocent, febrem fuftentant, ejusqve reverfioni anfam dant; elapfis qvatuordecim circiter poft febrem diebus concedenda eft caro, initio tenerior vitulina, gallinacea, agnina, femper tamen modice ingerenda, bene mafticata, & fale non pauco condita.

3. Ad motus corporis & animi; ex utroqve genere nimis violento febrem revocari poffe expertum eft, ideoqve ab his convalefcentibus caveri debet.

Curatio fymptomatica affectiones morbofas febri intermittenti, haud qvatali, fed accidentaliter annexas refpicit fc.

1. Apoplecticum f. carofum ftatum in malignis præfentem, contra qvem eadem fub paroxysmo adhiberi debet medela, ac in apoplexia non febrili, venæfectio, hirudines temporales, epifpatica, clysma.

2. Dolores fixos, pectus vel hypochondria occupantes, tempore apyreto, graduqve notabili timorem inflammationis exhibente, continuantes,

qvales in certa epidemia vernali mihi obvios, venæſectio etiam crebrius inſtituta, & veſicatorium dein affectæ parti applicitum absqve augmento febris juvarunt.

3. Scorbutum febri junctum; tunc utriqve morbo convenientia remedia, cortex chinæ cum pomis citrinis aut ſucco herbarum recentium antiſcorbuticarum ſimul in uſum trahi debent.

4. Diarrhoeam adjunctam: tunc pro digeſtivo inſervit anima rhabarbari ad guttas ſexaginta bihorio; pro evacuante radix ipecachuannæ; & pro febrifugo cortex allato modo cum caſcarilla vel cum opio combinatus; interdum ſub uſu corticis oritur diarrhoea, qvæ modica, ut ſalutaris, toleranda eſt, gravior per compoſitionem e cortice chinæ & caſcarillæ domanda; & demum febre jam fugata, ſi oriatur diarrhoea, per animam rhei cum qvarta parte liqvoris anodini mineralis ad guttas ſexaginta ter qvaterve indies hæc tollitur.

5. Alvi obſtipationem; qvæ ſub corticis uſu licet triduum durans nullo auxilio indiget, diuturnior aut clysmate aut pulveris rhei granis qvinqve ſingulis corticis doſibus appoſitis.

6. Vomitum; qvi corticem rejiciens avertitur laudani liquidi Sydh. guttis qvinqve ad qvadrantem circiter horæ ante corticis ingeſtionem ſumtis.

7. Obſtructionem viſcerum imprimis hepatis annexam; tunc hæc ante ipſius febris per cor-

ticem ſanationem debellanda & tollenda eſt, per tincturam aperientem, decoctum radicum graminis & taraxaci atqve pilulas reſolventes, qvæ ſimul in uſum trahuntur. Hepatalgia ab qve ſignis obſtructionis & metaſtatica habenda per veſicatorium cito abigitur. Febri forſan adjunctus icterus ſine hepatis dolore corticis uſum non prohibet, ſed illi ſimul cum febre cedit.

8. Tumorem oedematoſum crurum, qvi non raro febri decreſcenti & præterlapſæ ſuccedit; qvandoqve debilitatis effectus, interdum vere metaſtaticus hic tumor ſub continuato corticis uſu freqventer ceſſat, qvod ſi non eveniat & vires ægroti ſatis reſtauratæ ſint, pilulas ſqvilliticas numero qvinqve omni veſpera, interdiu tamen triplice vice porrecto cortice, exhibere juvat, verum præmaturus hujus diureticæ medicinæ uſus febrem revocare valet. Non raro infuſum e baccis juniperi & ſumitatibus abſinthii talem tumorem fugat, tutiusqve pilulis habendum eſt. Hydrops verus febri male tractatæ vel nimis protractæ ſuperveniens remediis antihydropicis tractandus eſt nec raro redeunte febre tollitur (vid. diarr. 1784 Mart. No. 3. & 1785. Junii No. 2.) Hydropem junctum febri, cujus paroxyſmi ſudore carebant, pulvere temperante camphorato ſub æſtu porrecto indeqve provocato ſudore ſublatum vidi

9. Alias reliqvias poſt fugatam febrem; ſic ſuperſtites artuum dolores apud alterum per ſuc-

cum herbarum antiſcorbuticarum (vid. diaria 1784. Mart. No. 3.) & in altero per ſuccum citri (diar. 1784. April No. 2.) tollebantur; frigus dorſi continuum febri ſuccedens veſicatorio diu ſuppurante juvabatur (vid. diar. 1782. Januar. No. 2.) & tusſis moleſtisſima eodem topico inter ſcapulas applicito ſanata fuit (diar. 1785. Junii No. 2.) in altero poſt veſicatorium fruſtra adhibitum flores zinci opem ferebant. — Dyspepsia, poſt febrem & corticis uſum non ceſſans, ope tincturæ aperientis amaræ ad guttas ſexaginta ter per diem tollitur.

GENUS IIdum.

FEBRIS CONTINUA SIMPLEX

Eſt febris ſine intervallo apyreto, ab initio ad finem continuans, tantùmqve ſimplicem ſ. communem febris ideam habens.

Symptomata & ſigna ſunt:

1. Communia febrilia, frigus initio, dein continuò durantia æſtus, ſitis, pulſus celer elevatus, reſpiratio freqvens.

2. Abſentia ſignorum aliam febrium infra definiendarum ſpeciem indicantium; raro ſaltem apud nos occurrit febris continua ſimplex revera talis, qvandoqve autem initium alterius continuæ

febris faciem ſimplicis habet & inſeqventi tempore in magis determinatam indolem evolvitur.

Cauſæ externæ hujus febris ſunt qvæcunqve ſangvinem valide agitantes, ſpirituoſa largiter ingeſta, animi corporisqve vehementes motus, grave refrigerium, æſtus ſolis, ſuppresſio ſubita ſangvifluxus ſoliti.

Cauſa proxima proinde putandus eſt ſangvinis enormis per allatas cauſas incitatus motus & calor.

Qvoad prognoſin ſciendum eſt:

1. Durationem hujus febris variam eſſe, qvandoqve intra unicum diem finiri, qvalis febris ephemera dicitur, qvandoqve ad ſeptem vel qvatuordecim dies extendi.

2. Eventum utplurimum benignum eſſe, atqve excretionibus manifeſtis hæmorrhagia, ſudore, diarrhoea citò perfici.

3. Tranſitum illius ſæpe fieri in aliam continuam, aut putridam, aut inflammatoriam, aut exanthematicam aut rheumaticam.

Curatio peragenda eſt febriles motus juxta regulas huic ſcopo in univerſum convenientes & ſupra allatas moderando ſc.

a. Diæta antifebrili ſc. potu & alimentis vegetabilibus atqve aëre temperato.

b. Remediis temperantibus imprimis talis indolis, qvæ ad qvascunqve alias continuas febres ſub larva continuæ ſimplicis forſan celatas apta

eſt, cuinam ſcopo optime qvadrant cremor tartari ad drachmam dimidiam porrectus biborio vel trihorio aut mixtura acida vegetabilis vel julapium ſalinum ad cochleare majus bihorio.

c. Obtemperando excretionibus, cum occurrant, criticis, illasqve nullo modo impediendo vel ſupprimendo.

d. Attendendo ad tranſitum hujus febris in alias continuas, ut hisce tempeſtiva & idonea medela opponi qveat; tutisſima eſt praxis in omni febre continua absqve ſignis inflammationis deprehenſa, præbere emeticum, qvod nunqvam nocet & ſæpe hoſtem celatum tempeſtive debellando certius vincit.

GENUS III^tium.

FEBRIS CATARRHALIS

Eſt febris continua cum moleſto affluxu ſeroſo ad tunicam Schneiderianam, qvæ ſc. nares, fauces, & vaſa aërea pulmonis obtegit.

Symptomata & ſigna ſunt:

1. Communia febrilia; frigus initio, qvandoqve in progreſſu recurrens, alias æſtus, ſitis, cephalalgia tenſiva præſertim frontalis, interdum lumbago, & horum exacerbatio veſpertina.

2. Singularia ſeſe in variis tunicæ Schneiderianæ partibus exſerentia ſc. in naribus per coryzam humidam vel ſiccam, in ore per largam ſalivationem, in faucibus per raucedinem, & nonnullum dolorem, in pectore per tusſim, initio fere ſiccam, dein humidiorem cum ſputo ſenſim ſpisſiore, flaveſcente, levatorio; qvandoqve plura horum ſimul junguntur, vel ſucceſſive accedunt, initium in capite & finem in pectore habentia.

Cauſa externa in genere refrigerium eſt per mutationem aëris vel veſtimenti calidioris in frigidum, aut per frigus imprimis humidum pedum contractum, qvænam cauſa maxime tempore vernali efficax obſervatur; etiam ex epidemica conſtitutione aëris ſæpe generatur (vid. diar. 1782. April & Maj. No. 2.)

Cauſa proxima meritò habenda eſt materia qvædam peregrina acris ad tunicam Schneiderianam depoſita illamqve irritando inſolitum ſeri & muci affluxum, tenſionem partium dolorificam, atqve febriles motus creans; perinde eſt, ſive morbifica materies immediate ex atmoſphoera corpori communicetur, qvali modo epidemia agere videtur, ſive e perſpirabili cutaneo per frigus retento & ad partes internas converſo ortum trahat.

Prognoſis

1. Communiter læta eſſe poteſt, ſæpius intra paucos, ut ſeptem dies finitur largo ſudore,

rarò diutius durat & tunc potisſimum ſolvitur expectoratione larga ſpiſſa flava, qvæ, licet ad plures hebdomades protracta, præſertim abſente pectoris dolore & rita adhibita medela, nullum periculum portendit. Interdum diarrhoea critica in diuturna hac febre obſervatur & qvatalis tractari debet.

2. Minus benignus hujus morbi exitus etiam posſibilis eſt, vel ob pravam diætam ſc. curatrici mox memorandæ oppoſitam, vel in ægrotis ad phtiſin jam diſpoſitis, vel ob neglectam attentionem ad celatam inflammationem pectoris, qvæ huic morbo juncta eſſe, ſed ob exiguum dolorem vix animadverti, poteſt; ſub hisce conditionibus catarrhalis febris phtiſi initium & anſam præbere valet.

Curationis ſcopus eſt moderatio febris & promotio excretionum ſalutarium; huic congrua auxilia ſunt:

1. Remedia temperantia cum diaphoreticis juncta, uti pulvis temperans camphoratus ad cochleare minus ter die ſumtus, vel ſolus, vel ſi alvus ſegnior ſit, cum granis decem lactis ſulphuris junctus; emulſio camphorata v. mixtura camphorata nitroſa cum mucilagine gummi arabici bihorio ad cochlearia duo; vel mixtura diapnoica ad cochleare majus aliqvoties per diem, præcipue illis propinanda, qvi camphoram ægre ferunt;

infufum e floribus fambuci cum femine foeniculi eidem fcopo infervit.

2. Diæta antifebrilis fc. victus potisfimum vegetabilis, aër temperatus; calor lecti ad transpirationem falutarem promovendam aptus commendari debet.

3. Venæfectio, qvæ qvidem, fi pectus ab omni fenfatione molefta immune fit, haud reqviritur; verum fi tenfivus ejusdem vel punctorius dolor, etiamfi vagus, adfit, & præfertim in ægrotis ad phtifin difpofitis, venam, etiam pluries, fecare opus eft.

4. Expectorantia; in plurimis allata medela fufficit vel appofitum mixturæ camphoratæ oxymell fqvilliticum; apud nonnullos diuturnior permanet tusfis, tunc juvat decoctum radicis fenegæ bihorio vel trihorio ad cochlearia duo, nec non jufculum fecalinum mane bibendum &, fi denum, decrefcente tusfi, debilitas notabilis fiat, decoctum chinæ cum fenega alterius loco præftat.

Epidemia catarrhalis, qvæ anno 1782 Hafniam ut alias Europæ regiones percurrebat, omnes totqve fimul invafit homines, ut nec medici, nec medicamenta ægrotis fufficerent; auxilia, qvæ præfentibus & abfentibus fvadebam, mere diætetica erant, fc. calor cubiculi, & fi affectio gravior effet, lecti, abftinentia a carneis & calefacientibus, potus largus tepidus decocti avenæ;

omnes ita faufte evadebant, plurimi per fudorem largum qvarto die judicati.

GENUS IVtum.

FEBRIS PUTRIDA

Eft febris continua cum vertigine, fapore pravo, langvore f. depresfione virium notabili (*).

Symptomata in febre putrida posfibilia ad qvatuor genera referri posfunt fc. fymptomata febrilia communia, fymptomata biliofa, fymptomata putrefcentiæ, & fymptomata debilitatis f. nervofa.

Communia febrilia fymptomata, tamen ob peculiarem febris indolem fingulari qvodam modo comparata funt:

1. Frigus initium faciens, in genere levius, qvam in aliis morbis febrilibus, qvandoqve vix fenfibile, interdum primis morbi diebus recurrens, & cum æftu alternans.

2. Æftus varii gradus, fub certo morbi ftadio fingularis urens, qvandoqve naturali vix major, imo minor; fitis fefe eodem fere modo habet.

(*) Hanc febrem, typhum qvoqve dictam, non igitur putridam voco, qvia fempər putrefcentiam fecum ducit, fed qvia ad eandem præ aliis febribus inclinat.

3. Pulſus ut plurimum naturali celerior ad varium tamen minorem majoremve gradum, qvandoqve vix celerior, aliàs depreſſus mollis, imo irregularis, qvandoqve tenſionem nonnullam habens.

4. Urina varia, initio communiter aurantia clara, interdum virideſcens, imo nigreſcens, ſub progrediente & decreſcente morbo ſedimentum album mucoſum deponens, qvandoqve citrina clara.

5. Cephalalgia varii gradus, ſemper vertiginoſa, alias vel mitis, vel gravior, imprimis tempore æſtivo cum deliratione, æſtu & rubedine faciei & oculorum (vid. diar. 1782 Jun. & Jul. & 1784 Jun, & Septbr.) qvandoqve cephalalgia primis diebus intenſior, progrediente morbo, in vertiginem converſa.

Symptomata bilioſa ſc. ſapor vitiatus, vel ſpontaneus, vel ingeſtis annexus, amarus, putridus, raro dulcis, qvandoqve halitus foetidus ex ore ſpirans, eructationes maleſapidæ, lingva muco ſæpius flaveſcenti obducta imo qvodammodo aphthoſa. non raró oppresſio nonnulla cardiæ, nauſea, vomituritio, vomitus ſpontaneus bilioſus, anorexia, & faſtidium ciborum, appetitus acidi.

Symptomata veræ putreſcentiæ

1. In primis viis; lingva, labia, dentes cruſta obſita nigra, illi putreſcentem carnem obducenti non abſimili; flatus & dejectiones alvinæ

foetidisſima, vel ſangvinis putreſcentis: expanſio notabilis abdominis, metheorismus vulgo dicta, putreſcentiæ contentorum indeqve rarefacto aëri meritò adſcribenda, (vid. diar. 1783 Octbr. No. 1.)

2. In reliqvo corpore; maculæ lividæ petechiæ appellatæ, vibices liveſcentes majores, maculæ ſphacelatæ, & verus ſphacelus, imprimis in lumbis ſeſe exſerens, hæmorrhagiæ e variis locis copioſæ, ſangvis miſſus mollis, urina ſæpe foetidisſima, qvæ omnia diſſolutionem ſangvinis, & qvidem e cauſa putrida conteſtantur, huc qvoqve æſtus urens referri debet.

Symptomata debilitatis ſ. nervoſa.

1. Externorum ſenſuum diminuta vis & applicatio; oculi hebetes, auditus ſæpe gravis, incuria omnium, appetentiæ proſtratæ, & vix ipſius morbi, qvamvis gravisſimi, ſenſatio.

2. Interni ſenſus ſimilis affectiò ſ. ſtupiditas; nulla ad interrogata attentio, factorum oblivio, deliratio in genere mitis, qvandoqve furibunda, ſomno ſimilis ſtatus absqve vero ſomno.

3. Motrices voluntati ſubditæ vires notabiliter fractæ; qvidam mox initio tantum, qvem nunqvam antea perceperunt, ſenſum qveruntur debilitatis, qvandoqve dolorificæ, omnium artuum; ſitus erectus corporis intolerabilis lipothymiam infert vel minatur, lingva ex ore miſſa, artusqve ſub motu tremunt, & tendines involuntariò mo-

veri deprehenduntur f. fubfiliunt, fingultus qvandoqve & convulfivi motus accedunt.

4. Motus vitalis ipfe in aliis febribus naturalem normam fuperans, in putrida non raro debitò debilior per pulfum langvidum depreffum, irregularem & frigus artuum fefe exferens.

5. Functiones naturales eadem laborant debilitate, per excretiones alvi & urinæ involuntarias fæpe obvias, vi fphincterum infirmatæ merito adfcribendas, denotata.

Gradus febris putridæ, revera & juxta experientiam diverfus, ad triplicem differentiam referri poteft, fc.

1. Ad febrem biliofam, qvam conftituunt fymptomata febrilia communia, nec non allata biliofa, & modica debilitas.

2. Ad febrem putridam ftricte dictam, ubi fimul cum aliis febrilibus & biliofis fymptomatibus adfunt allata veræ putrefcentiæ fymptomata & adaucta debilitas.

3. Ad febrem putrido-nervofam, in qva fymptomata putrefcentiæ & allata nervofa conjunguntur; qvandoqve fymptomata putrefcentiæ nullius fere momenti funt, in qvo cafu febrem mere nervofam nonnulli medici nuncupant.

Progreffus ratio in febre putrida etiam differt.

1. Communiter initium illius conſtituit febris cum ſymptomatibus bilioſis, qvæ non ſublata tranſeunt in majorem morbi gradum ſ. febrem ſtricte putridam & nervoſam.

2. Interdum validiore vi aggreditur febris mox ab initio & bilioſis & putreſcentiæ ſymptomatibus ſtipata; nervoſa autem ſymptomata rarisſime niſi in progreſſu ſeſe oſtendunt.

Cauſæ externæ febris putridæ, teſte experientia, eſſe poſſunt.

1. Atmoſphoeræ ſ. aëris corrupta indoles variam originem habens ſc.

a) E vaporibus putreſcentium impuritatum poſt inundationes relictarum, vel in paludibus fere exſiccatis contentarum; ipſe fui teſtis talis febris in oppido rurali ſubito exortæ e vaporibus magnæ paludis æſtivo calore fere exſiccatæ, qvæqve tantum incolas in ea regione habitantes, verſus qvam ventus ſpirabat, invaſit.

b) Ex animalibus putrefactis, ſic poſt prælia ex interfectis & non ſepultis; huc referri posſunt venenatæ exhalationes e ſepulchris apertis provenire obſervatæ; per foetorem e tumulo tali putridisſimum exſurgentem ducentos, qvi præſto erant, homines putrida febre correptos fuiſſe refertur.

c) Ex inclusis &, exhalationibus hominum sive ægrotantium sive non ægrotantium repletis habitaculis, hinc febris carcerum originem & nomen habet. Ante plures annos ad nosocomium Fridericianum portabantur qvatuor sutores junioris ætatis, qvi fine mensis Octobris calceos parabant in cubiculo, ubi hypocaustum sine apertis fenestris prima vice calefactum fuit, horum tres confestim, qvartus post elapsum triduum in febrem putridam incidebant, & illorum unus sub malignissimis symptomatibus septimo die exspirabat; plurimi putrida laborantes febre & in nosocomio suscepti miseris & augustis habitaculis, qvæ etiam cum aliis familiis ob paupertatem communia habuerunt, inclusi erant.

d) Ex ægrotis putrida febre decumbentibus; hinc emanans contagium aëriqve vicino communicatum sat certa crebraqve experientia probatum est; sæpe sæpius non modo plures personas ejusdem familiæ sed & alias in eadem domu morantes, aut qvæ ægrotos inviserunt, hoc morbo correptas observavi; infectione tali & ipse & plures alii medici hunc morbum nobis contraximus, nec improbabile est, imo experientia ductus credo, lecti strata diu non renovata imprimis ad putride ægrotantes continendos adhibita tamdem exhalationibus malignis adeo repleri, ut alii ibidem decumbentes hoc morbo infici qveant.

e) Ex occulta qvalitate aëris forſan locis, e qvibus advenit, adſcribenda, & epidemice agente, vi cujus ſub ceteris conditionibus paribus morbus hic, uno anno præ alio freqvens obſervatur. (conf. diar. Noſc. Frid.)

2. Victus pravæ indolis ad putreſcentiam nimis pronus, & eidem haud debite reſiſtens.

3. Inopia boni alimenti, potus & ſomni, qvibus blandities humorum promoveri & conſervari debet, eorumqve pronitas ad putredinem præcaveri. Huic cauſæ febris noſtra in oppidis obſesſis, navibus & apud pauperes ſæpius orta & propagata jure adſcribitur; contigit mihi obſervare, vomitu hectico laborantes demum putrida interire febre ob defectum nutrimenti, ſpontaneam humorum putreſcentiam correcturi.

4. Excretiones inhibitæ, imprimis cutanea perſpiratio ſuppreſſa, nec non alvina evacuatio, retenta hinc materia nociva putredinoſæ indolis febri ejusdem indolis, conteſtantibus ratione & experientia, anſam dare poteſt. (vid. diar. 1786. Julii 1.)

5. Materiæ acris morboſæ e parte qvadam corporis, ubi depoſita fuit, reſorptio, ut hydropicæ, ſcabioſæ, metaſtaticæ (vid. diar. 1786. Auguſt 1. & Sptbr. 1. & 87. Februar. 1. & Mart. 1. & Auguſt. 1. & 84 Octbr. 1.)

6. Animi mæror diuturnus & anxia conſtitutio debilitando nervos & concoctiones atqve ex-

cretiones impediendo, conſentiente etiam experientia, putridæ febri occaſionem, imo originem, præbere valet.

7. Conjunctio plurium allatarum cauſarum eò certius & efficacius ad producendum hunc morbum agit; ſic, qvi multis memoratis diætæ vitiis debilitatus eſt, præ aliis ad febrem putridam e contagio ſuſcipiendam diſponitur.

Pronitas ad hunc morbum major in hominibus eundem non paſſis, qvam in aliis præſertim notabiliori illius gradu antea affectis; raro eundem hominem febris putrida plus ſimplici vice aggreditur & tunc minus periculoſa.

Cauſa proxima febris putridæ qvoad indolem meritò habenda eſt putredinoſa humorum conſtitutio, qvænam ſententia probatur 1.) e cauſis externis hujus morbi qvæ putreſcentem naturam habent, adeoqve ſimilem effectum ſ. putredinoſum morbum inducere debent, 2.) ex effectibus ſ. ſymptomatibus hujus morbi, qvæ notam putreſcentiæ manifeſtam præ ſe ferunt, qvalia ſunt putridus ſapor, putridus foetor excretionum, facilisqve ſphaceloſa partium corruptio, & demum 3.) e remediis antiputredinoſis huic morbo maxime congruis, cum vero morbus oppoſitus ſit auxiliis, qvibus juvatur, nil probabilius eſt, qvam morbum, qvi antiputredinoſis remediis tollitur, oppoſitam ſ. putredinoſam habere indolem.

Cauſæ hujus proximæ ſedes triplex vel ſeparata vel conjuncta eſſe poteſt:

1. In primis viis ſc. ventriculo & inteſtinis, qvorum contenta vix non in omni putrida febre ad putreſcentiam vergunt, qvandoqve ſolum, reliqvis ſc. corporis partibus incorruptis, in qvo caſu febris merè bilioſa eſt.

2. In maſſa ipſius ſangvinis, dum phænomena ex hujns labe modo declaranda, uti æſtus urens, hæmorrhagiæ, petechiæ, maculæ ſphacelatæ, adſunt.

3. In ſyſtemate nervoſo & encephalo, in qvas partes penetraviſſe jure creditur ſubtile morbi miasma, ſpiritusqve vitales functioni qvodammodo ineptos & acres reddidiſſe, qvando motus nervorum irregulares & debilitates varii generis cum morbo noſtro junguntur.

Diagnoſtica ſigna, qvibus febris putrida indicatur, ad duo genera referri debent ſc. eſſentialia & accidentalia.

Eſſentialia ſigna vix non ſemper præſentia & excluſiva ſ. alteri morbo qvam putridæ febri non competentia ſunt ſeqventia ſimul ſumta ſc.

1. Vertigo in ſitu erecto imprimis percepta vix unqvam in aliis febribus obvia, exceptis qvandoqve exanthematicis.

2. Sapor oris vitiatus amarus vel putridus cum lingva utplurimum ſordida.

3. Langvor & depresſio virium initium morbi mox concomitans, ejusdemqve major in hac, qvam in alia febre qverela.

4. Oppresſio nonnulla regionem cardiæ moleſtans in permultis qvidem adeſt, verum haud prorſus conſtans, aut pathognomonicum ſignum cenſeri debet.

Accidentalia ſigna putridæ febris talia ſunt illius ſymptomata, qvæ non ſemper præſto ſunt, verum, dum occurrunt, hunc morbum indicant ſc.

1. Obauditio ſ. gravis auditus, cujus cum febre continua combinatio indubitatum ſiſtit ſignum putridæ indolis, utpote hoc ſymptoma nulli alii febri ſupervenit.

2. Stuporis & debilitatis notabilis gradus, ſub qvo ægroti ſeſe erectos ſuſtentare neqveunt, nec morbi rationem reddere; modicus ſtupor expertis qvidem medicis pro ſigno inſervit, verum minus expertis tantum major illius gradus characterem morbi oſtendit.

3. Cauſæ morbi prægreſſæ, imprimis illius ortus poſt commercium cum aliis putrida febre laborantibus habitum, unde ſaltem certitudo de putrida morbi indole augetur.

Diagnoſtica ſigna gradus febris putridæ ſunt ſymptomata ſupra allata cuicunqve gradui hujus morbi competentia.

Regulæ diagnoſticæ hinc fluentes ſunt.

1. Febris continua cum ſapore malo, vertigine, debilitate, putredinoſæ indolis cenſenda eſt & qvoad gradum bilioſa, ſive allata ſola, ſive ſimul alia ſymptomata, bilioſa nuncupata, adſint.

2. Febris continua cum memoratis ſignis, ſimulqve obſervatis ſymptomatibus putreſcentiæ pluribus vel paucioribus, ſtricte putrida judicanda &, ſi nervoſa ſymptomata jungantur, putrida nervoſa nuncupanda eſt.

3. Febris continua cum adjuncta obauditione, aut ſtuporis & debilitatis notabili ſupra deſcripto gradu, etiam febris putrida & qvidem ſenſu ſtricto cenſenda eſt, qvamvis ægroti, ut ſæpe obvenit, reliqvi ſtatus præſentis & præteriti rationem reddere neqveant.

4. Febris continua dictis caracteribus eſſentialibus deſignata putrida ſimplex habenda eſt, qvando nulla alterius febris vel inflammationis indicia ſub inſtituto examine deteguntur.

Diagnoſtica ſigna putridæ febris complicatæ ɔ: cum alio febrili morbo junctæ, ſunt in univerſum combinata ſigna utriusqve talis morbi, ſic exiſtunt:

1. Febris putrida varioloſa, ubi præter variolas adſunt ſymptomata putrida; virium inſignis proſtratio, cardialgia moleſta, hæmorrhagiæ, maculæ lividæ in puſtulis varioloſis ipſis vel inter easdem diſperſæ; hujus mentio ulterior ad tractatum de variolis pertinet.

2. Febris putrida anginofa, ubi fimul cum fymptomatibus putridis adfunt anginæ indicia (vid. diar. 1784. Septbr. & 1785. Junii No. 1.)

3. Febris putrida rheumatica, ubi dolores vagi artuum cum putrida febre juncti inveniuntur (vid. diar. 1783. Aug. No. 1. & 1785. Novbr. No. 2.)

4. Febris putrida cum pleuritide fpuria aut vera.

a) Febris putrida cum pleuritide fpuria f. pleuritis putrida, vel biliofa vocata, ubi nulla vera pectoris inflammatio adeft, fed modo fymptomata illam mentientia, a caufa putrida vel rheumatica dependentia, illaqve fublata evanefcentia; talem complicationem indicant, 1.) juncta fymptomata & putrida & pleuritica, 2.) prævalentior prioris & minor gradus pofterioris fymptomatum generis, fc. vertigo, ftupor debilitas, impuritas oris notabilis & manifefta; e contra dolor & dyfpnoea modica; qvandoqve dolor vagus vel inconftans eft, & tunc minus fallax; 3.) frigus, qvo febris aggreffa fuit, qvod in vera inflammatione gravius effe folet, in putridis communiter modicum; 4.) pulfus in pleuritide biliofa fæpius parum celer, imo mollis, in vera inflammatione celerior & tenfus; 5.) jam præfens epidemica talis complicatio. (Exempl. vid. diar. 1785. Decbr. No. 1. 1787 Nov. No. 1.

b. Febris putrida cum pleuritide vera; illa cenſenda eſt complicatio, ubi ſymptomata putrida ſ. biliofa minoris gradus adſunt, pleuritica autem graviora & manifeſta, pulſus celer tenſus, dolor conſtans & gravis, frigus prægreſſum validius, ſitis notabilis, ſputum ſangvine mixtum, ſangvis e vena miſſus vere phlogiſticus. (vid. diar. 1784. Jul. No. 1.)

5. Febris putrida cum hepatitide ſ. inflammatione hepatis, indicatur per ſymptomata putrida juncta cum dolore gravi regionis hepatis, præſertim poſt emeticum adaucto, colore icterico urinæ & cutis, & qvandoqve illis annexo ſingultu. (vid. diar. 1783. Jun. No. 1.)

Prognoſis febris putridæ duplice judicio conſtat ſc. de duratione & eventu ejusdem.

Duratio febris putridæ indefinita & diverſa eſt, & e gradu ſymptomatum præſertim deducenda; bilioſus tantum gradus citius finitur, imprimis ſi apta evacuantia mox notabile levamen afferant, tunc intra qvatuordecim dies talis febris ſæpius ceſſat; vere putridum autem vel nerovoſum gradum habens febris vix intra 17mum diem terminatur, qvandoqve ad tres, qvatuor, ſex, imo plures hebdomades protrahitur; terminus tamen, ſi funeſtus ſit, breviori tempore compleri ſolet.

Eventus ſ. exitus febris putridæ triplex eſſe poteſt, 1. in ſanitatem, 2. in alios morbos, 3. immediate in mortem.

Eventum benignum portendunt.

1. Gradus morbi modicus ejusdemqve ſimplicitas; mere biliofa febris periculo caret, imprimis absqve complicatione cum inflammatione internæ cujusdem partis.

2. Conſtitutio ægroti prægreſſa bona, non nimis ſucculenta, nec plethorica, obeſa, cacochymica, ubi putreſcentia facilior, & gravior timeri poteſt.

3. Levamen notabile poſt adhibita apta evacuantia.

4. Symptomatum in naturalem normam ſenſim factus & obſervatus tranſitus ſc. pulſus celeris & debilis in tardiorem & magis elevatum; lingvæ ſordidæ ſiccæ in mollem & puriorem; ſtupidi habitus in alacrem; ſomnolentiæ ſpuriæ in verum ſomnum, qvi tardeſcente pulſu optimi ominis eſt; inqvietudinis & motus nervorum irregularis in tranqvillitatem.

5. Evacuationes levatoriæ & ſalutares, ſub qvibus morbi decrementum obſervari ſolet; uti modica alvi laxitas (vid. diaria 1783. Febr. No. 1. & 1785. No. 1.) urina antea clara dein ſedimentoſa, ſalivatio multa (diar. 1785. Sept. No. 1. & Novbr. No. 1.), huc etiam aphtæ referri poſſunt (v. diar. 1785. Jul. No. 1.) & ſat crebro obvia exſpectoratio.

Exitus febris putridæ in alios morbos duplex, qvandoqve ſc. in febres intermittentes (vid.

diar. 1782. April No. 2. & 1783. Mart. Aug. Sptbr. No. 2. 1784. Sptbr. No. 1.,) multo autem crebrius in metaſtaſes.

Metaſtaſis ſ. depoſitio & collectio materiae morbificae in certa corporis parte, indeqve citata localis affectio, febri ipſi putridae decreſenti vel evaneſcenti ſuccedens, notanda habet:

1. Signa talem metaſtaſin praeſagientia ſc. diuturnitas & gravitas morbi, urina interea clara permanens, ſubitum febris decrementum absqve notabili excretione, & qvandoqve obſervata epidemica morbi pronitas ad hanc terminationem (vid. diar. 1783. Junii No. 1. & 1784. Octbr. No. 1.)

2. Locum diverſum, ubi teſtante experientia metaſtaſis fieri poteſt. ſc.

a) Ad encephalum ipſum (vid. diar. 1785. Januar. No. 1.)

b) Ad parotides vel alterutram vel utramqve (vid. diar. 1783. Sptbr. No. 1. April & Jun. No. 1. & 1784. Octbr. No. 1. 1785. Sptbr. & Octbr. No. 1.)

c) Ad glandulas ſubmaxillares (v. diar. 1784. Octbr. No. 1.)

d) Ad pectus & pulmones (vid. diar. 1783. Mart., April, Junii, Octbr. No. 1. & 1785. Aug. No. 1. &c.); admodum freqvens eſt haec metaſtaſis.

e) Ad hepar (vid. diar. 1783. Sptbr. No. 1. & 1784. April No. 1.)

f) Ad inteſtina, (vid. diar. 1784. Jul. No. 1. Nctbr. No. 1. & 1785. Januar. No. 1.)

g) Ad extremitates imprimis inferiores, (vid. diar. 1783. Febr. Novbr. Decbr. No. 1. & 1784. Octbr. No. 1.)

h) Ad oſſa ipſa crurum (vid. diar. 1785. Octbr. No. 1.)

3. Modum affectionis diverſum partibus tali metaſtaſi inductum ſc.

a) Veram inflammationem (vid. diar. 1783. Octbr. No. 1. 1784. Octbr. No. 1. 1785. Januar. No. 1. & Aug. No. 1.)

b) Suppurationem immediatam ſeu abceſſum ſine prægreſſa inflammatione. (vid. diar. 1782. Mart. No. 5. & 1784. Novbr. No. 9.)

c) Sphacelum (vid. diar. 1784. Octbr. No. 1. & 1783. Maj., Sptbr. & Decbr. No. 1.)

d) Seroſam collectionem (vid. diar. 1783. Februar. Novbr. Decbr. No. 1. & 1785. Januar No. 1.)

4. Eventum varium; ad encephalum facta metaſtaſis maxime periculoſa; non multo melius de parotide duplici judicandum, (exceptiones vid. diar. 1782. Novbr. 1, 85. Septembr. 1 & Octbr. 1, & 86. Junii 1 & Decembr. 1, & 87. Mart. 1 & Decembr. 1); metaſtaſis ad pulmones utplurimum per expectorationem fauſte abſolvitur, ad

viſcera abdominalia dubius eſt depoſitionis eventus; ad extremitates facta metaſtaſis utplurimum ſalutaris, ni ſphaceloſa ſit (vid. ſupra allata exempla diarii ad locum metaſtaſeos varium). Etiam efflorescentia ſcarlatinoſa v. partialis v. ſenſim univerſalis, in vigore morbi orta & metaſtatica cenſenda, dubii plerumqve eſt eventus.

Terminatio febris putridæ immediate in mortem fieri poteſt.

1. Per læſionem encephali apoplecticam vel ſimilem, qvæ timeri poteſt e congeſtione gravi & continua ſangvinis ad caput, aptis remediis non minuenda, facie & oculis rubris, ſtupore, delirio, tremore & convulſivis motibus artuum (vid. diar. 1782. Januar 1783. Februar & Jul., Mart. & Auguſt. 1785. Januar. Februar. Jul. Auguſt. Septbr. No. 1.)

2. Per excretiones enormes imprimis hæmorrhagias e pulmonibus, ano, utero (vid. diar. 1782. April. 1783. April. 1785. Sptbr. No. 1,) nec non diarrhoeam profuſam (vid. diar. 1782. Novbr. No. 1.)

3. Per meram debilitatem ſub protracto & nulla arte tollendo morbo ad lethalem gradum perductam (vid. diar. 1783. Jul. Aug. & 1785. Aug. No. 1,) ſigna talis exitus ſunt ſudores frigidi, excretiones involuntariæ, pulſus exilis & demum deficiens, metheorismus partim putredini contentorum partimqve reſolutioni nervorum inte-

ſtinalium adſcribendus; in univerſum autem ſig-
na prænuntia mortis in febre putrida haud prorſus abſoluta certaqve ſunt, ſed æger qvandoqve ſub periculoſisſimo debilitatis ſtatu evadere poteſt.

Curationis ſcopi ſ. indicationes, qvibus auxilia in febre putrida accommodari debent, ſunt:

1. Auferre materiem morbificam in primis viis ſtabulantem per apta evacuantia, emetica aut purgantia.

1. Debellare putreſcentiam contentorum & humorum per remedia ſic dicta antiſeptica ſ. antiputredinoſa.

3. Suſtentare & erigere labentes naturæ vires per remedia roborantia & excitantia.

4. Oppugnare ſymptomata moleſta & periculoſa in morbo inſurgentia.

5. Eligere & præſcribere diætam allatis ſcopis convenientem.

Emeticorum uſus in putridis maximi momenti eſt cenſendus, & ob manifeſtum communiter inde productum juvamen, & qvia utilem præparationem ad effectum optatum alterius medicinæ efficit; rita eorundem applicatio reſpicienda præbet:

1. Opportunum tempus, qvo adhiberi debent.

a) Initium morbi, ut materia noxia in ventriculo & duodeno hærens mox & brevisſima via auferri, atqve, ne per remoram & diſtributionem

in toto inteſtinorum tractu reſorbeatur, impediri posſit; ſi morbi gradus modicus ſit, impuritatum reſolutionem & præparationem per cremorem tartari ad cochleare minus bihorio uno alterove die promoveo, & deinceps emeticum præbeo, ſi vero gravior ſit morbi vis, vel alvi pronitas ad laxitatem, primò, qvo posſibile eſt, mane emeſis producenda eſt.

b) Progresſus & duratio morbi, etiamſi ad duas tresve hebdomades, emeticum iamiam neglectum vel ſine deſiderato effectu porrectum permittit, imo deſiderat, dummodo vires haud nimium debilitatæ obſervantur; verum ſi æger jaceat admodum ſtupidus & immobilis cum pulſu debili & lingva ſicca, porrectum emeticum vix vomitum citat, ſed non rarò laxitatem alvi debilitantem & noxiam producit.

c) Impuritatum primarum viarum ſigna ſc. mucoſitas lingvæ, pravus ſapor, & qvandoqve vomituritio poſt primum emeticum qvodammodo perſiſtentia, vel ſub progrediente morbo iterum exſurgentia, ni ſupra deſcriptus debilitatis ſtatus obſtet, repetitionem emetici, expoſcunt, imo ad plures vices; neqvidem ſingultus aut aphthæ tunc temporis contraindicantia emeſeos æſtimanda ſunt utpote interdum talium impuritatum effectus.

2. Indolem eetici putrida febre eligendi; aptisſimum merito illud cenſeatur, qvod certam, ſufficientem & maxime ſurſum verſus eva-

cuationem efficit & dirigit; in fortioribus & ubi contagium nuper fufceptum eft, validior emefis movenda eft per ipecacuanhæ fcrupulum cum uno alterove grano tartari emetici; in debilioribus & fenfibilibus tutior eft folutio tartari emetui partitis dofibus porrecta; ipecacuanha fola haud fatis largam excretionem producit, nec, nifi diarrhoea morbo adjuncta, convenit.

Laxantia & eccoprotica variæ indolis fecundum gradum & tempus morbi determinanda funt.

1. Cremor tartari, optima in hac febre medicina, illius tamen gradui primo potisfimum conveniens, poft peractam emefin biborio exhibendus, non raro fub modica alvi fubductione ad fanationem complendam fufficiens; qvandoqve in gradu debilitatis & ftricte putrido, dum lingva admodum fordida & alvus fegnior eft, nec non fub æftu urenti & pulfu elevato apprime convenit, alternatim cum decocto roborante corticis exhibitus; fi vero debilitas minor judicetur absqve notabili ftupore & pulfu haud adeo depreffo, mixtura camphorata acida alternatim cum cremore tartari omni hora fumta, vel cremor tartari cum camphora mixtus permultos absqve alia medicina ad integram reftitutionem perducit.

2. Cremor tartari cum dimidia parte radicis rhei minutis dofibus ad cochleare minus bihorio vel trihorio fumtus etiam biliofo morbi ftadio optime qvadrat, fub alvo fegniori, donec hæc li-

qvidior fiat, cremori tartari soli substituendus, cui scopo etiam convenit solutio salis anglicani ad unciam bihorio; peracta emesi absqve catharsi, etiam hæc medicina qvo citius, eo melius qvadrat ad plenam intestinorum expurgationem, qvandoqve enim sordes excrementitiæ perdiu collectæ adsunt, qvarum neglectæ vel insufficienti sub morbi initio evacuationi merito adscribenda est diarrhoea sub progressu morbi accedens sæpe periculosa, imo funesta.

3. Pulvis radicis rhei cum dupla parte corticis chinæ f. noster eccoprotico-tonicus ad alvum, si non sponte fluat, sub majori debilitatis gradu aperiendam eligi potest, & ad cochleare minus bihorio vel trihorio ad effectum porrigi; decrescente tamen morbo potissimum convenit.

4. Clysmata convenire possunt, & initio morbi, si alvus per plures dies obstipata fuerit; tunc, anteqvam emeticum præbetur, alvum clysmate exonerare utile est; & dein in majore debilitatis gradu tutius est, mediante hoc auxilio alvum subducere, qvam per supra allata eccoprotica, e qvibus nimiam alvi laxitatem & funestam debilitatem oriri posse certò observavi.

Antiseptica merè talia f. acida, uti in universum putrescentiæ opposita, sic etiam putridæ febri, svadentibus ratione & experientia, apta sunt auxilia sc.

1. Acida vegetabilia, non modo cremor tartari fupra allato modo exhibendus, fed & alia, ut fuccus citri, aurantiorum, acetum vini, fructusqve acidi, qvæ fere femper copiofe ingerere juvat.

1. Acida mineralia; fc. fpiritus vitrioli poft debitas evacuationes optime convenit vel folus aqva fufficiente aux decocto avenæ dilutus, vel fub forma mixturæ acidæ mineralis ad cochleare majus bihorio; increfcente debilitate præferendum eft elixir aromaticum acidum cum dimidia parte liqvoris anodini miner. Hoffmanni ad guttas triginta bihorio, qvo remedio fæpe tota febris biliofæ cura perficitur. In majore debilitatis & putrefcentiæ gradu vel acidum fulphuricum concentratum ad guttas LX vel acidi falis oxygenati drachmæ duæ fub forma clysmatis in decocto avenæ laudantur. Adjungitur qvoqve cortici acidum noftrum fub forma mox memoranda.

Antifepticam fimulqve roborantem vim posfidens cortex peruvianus v. chinæ; duplici ideo principali in febre putrida indicationi fatisfaciens merito egregium cenfendum eft auxilium, etiam experientia fufficienter probatum; circa illius ufum refpicienda funt:

1. Opportunum tempus, qvo adhiberi debet; hoc conftituunt: 1) præmiffæ evacuationes & methodus antibiliofa fupra laudatæ, 2) increfcens tamen pofthac debilitas e pulfu depreffo,

ſtupore notabili, impotentia corpus erectum tenendi, imprimis menſuranda; ſi accideret medico nimis ſerò vocato tam enormem ægroti debilitatem obſervare, absqve prægreſſa evacuatione opportet roborantem inire methodum.

2. Forma hujus remedii ſit liqvida ſc. illius decoctum; prorſus enim improbabile eſt, inteſtina nil aliud ſub hoc morbo digerentia utile pulveris extractum efficere poſſe; duplex tale corticis peruviani decoctum mihi in uſu eſt, ſc. ſimplex absqve & acidum cum ſpiritu vitrioli compoſitum; ultimum, ut validius, præfero &, exceptis tantum nonnullis caſibus in ſymptomatum cura memorandis, exhibere ſoleo.

3. Qvantitas & continuatio decocti corticis gradui & perſeverantiæ morbi accomodandæ ſunt; uncia, vel ſimplex vel raro ſub inſigni debilitate duplex, bihorio porrigenda eſt; decreſcente febre minuatur doſis demum ad triplam modo die vicem; mihi tamen rara obvenerunt ægrotorum exempla, ubi e corticis uſu morbus pejor eſt redditus cum adauctis ſc. febre, inqvietudine & ſiccitate lingvæ, prudentis eſt medici tales animadvertere effectus & medicinam ſuſpectam ſeponere.

Antiſeptica & ſimul nervina virtute varia pollent remedia, noſtro igitur morbo congrua ſc.

1. Camphora ſub forma mixturæ camphoratæ acidæ exhibita, cujus uncia bihorio porrigenda eſt; illius opportunitas duplex eſt.

a) Sub gradu febris, ut ita dicam, intermedio ſc. bilioſo poſt debitas peractas evacuationes, ob debilitatem modice increſcentem ad gradum ſtricte putridum vel nervoſum vergente, tunc convenit mixtura camphorata vel alternatim, ut ſupra dixi, cum cremore tartari, vel ſi alvus laxior ſit, ſolâ exhibenda.

b) Sub gradu ſtricte putrido & nervoſo ſemper qvadrat hæc medicina omni hora alternatim cum laudato corticis decocto porrecta.

E liqvore nervino ad guttas viginti bihorio porrecto & alternatim cum elixirio aromatico acido, ſi non æqvalem, tamen haud contemnendam utilitatem percepi; imprimis in affectibus ſpasmodicis faucium ſub hoc morbo accedentibus qvaſi ſpecificum ſeſe præſtitit liqvor nervinus (vid. diar. 82. Junii 1. & 83. Februarii 1. & 86. December 1.).

2. Moſcus in putrida febre egregium & manifeſta experientia probatum remedium (vid. diar. 1785. Decbr. No. 1.) ſub debilitate & ſtupore notabilis gradus, & imprimis accedentibus ſymptomatibus nervoſis, tremore artuum, ſubſultu tendinum, ſingultu convenit atqve reqviritur; grana qvatuor hujus remedii unciis octo mixturæ cam-

phoratæ acidæ apponere foleo atqve e tam parca dofi vix minorem utilitatem qvam e duplo vel qvadruplo majori porrecta obfervavi.

3. Vinum præfertim rhenanum fub fummo debilitatis gradu, pulfu depreffo, facie & extremitatibus pallidis frigefcentibus mirabiles qvandoqve edidit effectus, five cum alia fupra laudata medicina, five folum propinatum, five cum guttis viginta liqvoris nervini in cochleari vini omni hora vel bihorio, dum forfan alia medicamenta recufant ægroti, (vid. diar. 1784. Jul. No. 1.) ad dimidiam menfuram nycthemero tolerari poteft; fi vero congeftio notabilis ad caput fc. illius æftus rubedo, deliratio adfint vel exfurgant, vinum haud qvadrat.

4. Fermentum cerevifiæ ad cochlearia duo minora cerevifia diluta poft debitas evacuationes alternatim cum mixtura camphorata acida vel fub majore debilitate cum decocto chinæ porrectum fæpius imo in defperatis cafibus efficacisfimum eft remedium.

Remedia aromatica, uti radicem ferpentariæ, valerianæ, calami aromatici, cet., qvæ alii collaudant, minus efficacia inveni.

Stimulantia f. excitantia externa, uti ungventum finapinum vel veficatoria extremitatibus, brachiis, aut cruribus applicita progrediente morbo conveniunt, & ob increfcentem debilitatem præcipue illam, qvæ magis e malignitate, qvam

diuturnitate morbi derivari poteſt, & ob congeſtionem ad partes corporis nobiles imprimis caput, & ad avertendas metaſtaſes.

Curatio ſymptomatica notabilem medicationis partem in febre putrida efficit, variisqve, qvæ in hoc morbo ſurgere qveunt, ſymptomatibus accomodanda eſt; huc pertinent:

1. Capitis moleſta affectio & illud verſus facta inſignis ſangvinis congeſtio, æſtu & rubedine faciei & oculorum atqve deliratione cognoſcenda, hæc triplici auxilio debellanda eſt, ſc. hirudinibus ad tempora applicitis, ni pulſus debilis ſit; diligenti uſu epithematis frigidi, ſc. linteo per acetum & aqvam frigidam humectato & capiti imprimis deraſo freqventer impoſito; atqve demum veſicatoriis ad brachia vel ſimul ad crura admotis (vid. diar. 1784. Junii & Septbr. No. 1. &c.)

2. Parotidum ſ. unius ſ. utriusqve exſurgens tumor nullis topicis tractandus eſt, ſed ſibi ipſi relinqvendus, donec vel ſponte disſipatus vel converſus ſit in ſuppurationem & absceſſum, qvi tunc incidi & ut alius absceſſus deligari debet; ab aliis receptam methodum tales tumores cataplaſmate emolliente tractandi ipſe ſecutus ſed minus tutam compertus fui; loco enim attractionis ſæpe contrarium emollitione cataplaſmatis efficitur, ſc. ut materia depoſita reſolvatur, itaqve in ſangvinis maſſam cum funeſto effectu reſorbeatur; certisſime hoc valet de parotide duplici, in qvo caſu

modò agendum eſt per valida derivantia & evacuantia, uti veſicatoria tam in brachiis qvam in ſuris cum ſuppuratione diutius promota; nec non per pulverem eccoprotico-tonicum, ita totiesqve exhibitum, ut alvus qvotidie ter qvatuorve aperiatur (vid. diar. 1782. Novbr. No. 1. & 1785. Sptbr. & Octbr. No. 1.) Parotidis ſuppuratæ iterumqve conſolidatæ reſurgens tumor in uno ægroto ſub applicito cataplaſmate ſaturnino & exſudatione largi ſeri pone aurem ſenſim evanuit (vid. diar. 1784. Januar No. 1.) in altero per cataplaſma emolliens disſipatus fuit (vid. diar. 1785. Junii No. 1.) Inflammatio parotidis enormis congeſtionem ſangvinis verſus caput periculoſam cum delirio efficiens ſangviſugio hirudinum fauſte compeſcitur.

3. Angina febri putridæ adjuncta; fauces ſunt explorandæ earumqve ſtatus, ſi mere inflammatorius notabiliter deglutitioni obſtans, per hirudines circa laryngem debellandus eſt. Angina ulceroſa decocto chinæ aeido bihorio alternatim cum mixtura camphorata acida ſanatur.

4. Pleuritis putrida ſ. bilioſa ſupra deſcripta & deſignata mox inſtar febris putridæ ſimplicis eſt tractanda, (vid. diar. 1785. Decbr. No. 1.) & ſub ſuſpecta doloris indole rheumatica veſicatorium affecto loco mox applicandum.

5. Pleuritis vera cum putridæ ſignis combinata ab initio ut vera inflammatio tractanda eſt, (vid. diar. 1784. Jul. No. 1.); attendendum ſimul

eſt ad morbi inſeqventem mutationem, depoſita enim inflammatoria indole, non raró evolvitur putrida, cui obſervatæ apta tunc apponenda eſt medela.

6. Pleuritis metaſtatica ſub decreſcente febre oborta inſtar veræ pleuritidis ſc. venæſectione etiam repetita, camphoratis & veſicatorio demum in parte dolenti applicito ſananda eſt, (vid. diar. 1783. Octobr. No. 1. & 1785. Auguſt No. 1.) Cæteris fruſtra adhibitis, cataplasma emolliens ſæpe cum uſu adhibetur.

7. Expectoratio ſub progreſſu morbi accedens vix non ſemper ſalutaris, ſive critica, ſive metaſtatica nuncupanda, communiter puriformis, conſervari & promoveri debet; medicationem huic ſcopo convenientem qvandoqve decoctum chinæ cum ſenega ad cochlearia duo biborio porrectum per ſe efficit; ſub difficultate expectorationis interdum alternatim cum allato decocto profuit, & opus fuit, kermes mineralis granum ſachari, vel ſi alvus laxior fuerit, gummi arabici ſcrupulo commixtum, nec non veſicatorium magnum medio pectori applicitum, & ſi tusſis diuturna reddatur, juſculum ſecalinum omni mane ſumendum, (vid. Mart. April. Junii 1783. & plura loca diar. de febre putridá). Maximi qvoqve intereſt in hoc caſu ad expectoratum ex ore educendum, qvod qvandoqve erectione corporis melius procedit, asſiſtere ægrotis, qvi alias ſtupore

obruti ſputum deglutiendo febrem reproducunt cum lethali eventu, (vid. diar. 1784. Decbr. No. 1. & 1785. April No. 1.); in ſummis anguſtiis etiam emeticum tentari poteſt (vid. diar. 1785. April. No. 1.) Interdum in hoc caſu flores zinci cum optimo effectu præſcribuntur.

8. Febris putrida cum hepatitide rara qvidem, ſed cognitu difficilis, complicatio; hæc enim ſub oppresſione cardiæ febri putridæ eſſentialiter pertinente celari poteſt; attamen ſi ſupra allatis ſignis haud appareat, poſt præbitum emeticum ſaltem manifeſtatur ſc. per dolorem notabiliter adauctum, vomitum freqventem ſpontaneum, & qvandoqve junctum colorem ictericum, qvibus obſervatis venæſectio & camphorata in uſum trahi debent, (vid. diar. 1783. Junii No. 1.)

9. Febris putrida cum rheumatica ſ. dolore artuum, ſive minus ſive magis notabili juncta, ut putrida ſimplex absqve reſpectu ad alios dolores tractari debet, (vid. diar. 1783. Aug. No. 1. & 1785. Novbr. No. 1.)

10. Vomitus ſpontaneus noſtro morbo adjunctus poſt rita adhibita evacuantia perdurans, initio morbi julapio ſalino in efferveſcentia vel extra eandem porrecto bihorio vel omni hora tractari debet. Infuſum radicis ſaleb eodem modo porrectum qvandoqve præſtantius obſervatur, imprimis ſi aphthæ ſimul adſint; ſub debilitatis incremento, ubi decoctum cor-

ticis desideratur, hujus unciis octo appositæ liqvoris nervini drachmæ duæ contra vomitum prosunt; nec non sacculus aromaticus vino & aceto calefactis humectatus & cardiæ freqventer impositus; sub decrescente febre etiam adeo sensibilis fieri potest ventriculus forsan muco spoliatus, ut ingestis fere omnibus ad vomitum excitetur, in hoc casu tantum blandissima, ut merum avenæ decoctum & qvidem parva dosi ingeri debent, (vid. diar. 1785. Jul. No. 1.).

11. Singultus, utplurimum nervosum symptoma mosco indigens, verum etiam e cruditatibus produci potest emeticis juvandum, (vid. diar. 1785. Decbr. No. 1.) qvandoqve effectus aphthosæ intestinorum constitutionis, mucilaginosa reqvirens, uti decoctum chinæ simplex cum qvarta parte mucilaginis gummi arabici vel infusum salab.

12. Diarrhoea post ritas evacuationes institutas continuans & debilitatem notabiliorem secum ducens allato decocto corticis peruviani cum admixto liqvore nervino vel melius decocto & mixturæ addita mucilagine gummi arabici loco alterius medicinæ compescitur (vid. diar. 1783. Febr. No. 1. & 1785. Novbr. No. 1; qvod qvoqve, si aphtæ adjunctæ sint, eligi debet.

13. Dysentericus fluxus adjunctus præsertim juvatur electuario antidysenterico pro alia medicina præbito omni hora vel bihorio (vid. diar. 1783. Jul. & Octbr. No. 1.).

14. Metheorismus ſuperveniens, ſi alvus rite fluat, nil præter methodum in univerſum valentem deſiderat, ſi verò alvus ſegnior ſit, pulvere eccoprotico-tonico omni hora alternatim cum mixtura camphorato-moſcata debellari debet (vid. diar. 1783. Octbr. No. 1.) Egregium autem effectum exſerunt clysmata repetita vel ex aqva ſimplici frigida vel infuſo chamomillæ cum aceti vini uncia vel præſertim acidi ſulphurici drachma.

15. Enteritis metaſtatica etiamſi cum fluxu alvi juncta venæſectione repetita & emulſione camphorata tractari debet (vid. diar. 1784. Jul. & Octbr. No. 1.)

16. Hæmorrhagiæ, ſive narium, ſive aliarum partium, largum uſum ſpiritus vitrioli & potui ad tolerabilem aciditatem admixti, & ſub forma mixturæ acidæ omni hora ingerendæ; ſi debilitas, qvod ſæpius obſervatur, hæmorrhagias concomitetur, decoctum corticis peruviani cum acido vitrioli maritatum qvam maxime indicatur ſimul cum ſero lactis aluminoſo ad unciam bihorio porrecto (vid. diar. 1784. Octbr. No. 1. & 1785. Septbr. No. 1.)

17. Metaſtaſes ad partes corporis externas juxta differentem indolem curandæ ſunt; oedema unius vel utriusqve cruris ſi non ſponte ſub incremento virium & motu corporis evaneſcat, pilulis ſqvilliticis omni veſpera ſumtis tolli poteſt; tumor talis maculis ſcorbuticis notatus antiſcor-

butica desiderat; tumor durus circumscriptus emolliente cataplasmate sensim resolvitur & dissipatur; in abscessum tendens eodem topico maturandus & dein aperiendus est, indeqve ortum ulcus haud nimis cito consolidari debet; tophis similes tumores in partibus osseis exsurgentes ungvento neapolitano dissipantur; sphacelosa partium læsio præsertim in lumbis occurrens decoctum corticis peruviani & extus simul cum ungvento terebinthinato diligenter applicitum & intus copiose sumtum desiderat. (vid. diar. 1783. Februar. Novbr. Decbr. 1784. Octbr. & 1785. Octbr. N. 1.) In universum indoles grassantis febris est respicienda, qvandoqve singulariter metastatica, qva observata per vesicatoria tempestive artubus admota materiam deponendam huc versus trahere & a partibus internis & nobilibus avertere conandum est.

18. Aphthæ in regione oris qvandoqve pauciores vel nulla ope indigentes vel linctu boracino illito aut collutorii instar admixta aqvâ adhibito, facile deterguntur, qvandoqve admodum copiosæ imo fauces obdurantes, suffocationem & apoplexiam inducere valentes cura medici exacta opus habent sc. freqventi detersione per allatum linctum, nec non injectione crebra collutorii per syringam, sæpius tamen linctus boracinus ad cochlearia duo minora bihorio alternatim cum decocto chinæ sine alia oris collutione sufficit. Intus decoctum chi-

næ ſimplex cum mucilagine gummi arabici pro vitanda irritatione reqviritur, vel ſi hoc ferri neqveat infuſum radicis ſaleb.

19. Salivatio interdum ſat larga occurrens & critica habenda ſingularem medicinæ determinationem non deſiderat.

20. Tranſitu febris bilioſæ vel putridæ in periodicas ſ. prorſus intermittentes ſ. notabiliter remittentes cum manifeſtis paroxysmis obſervato, eadem medicatio ac in febre intermittenti adhibenda eſt.

21. Stupores notabiles, ut obnubilatio viſus, vertigo, veſania poſt febrem devictam remanentia per veſicatorium in nucha applicitum ſpecifico qvaſi modo juvantur; liqvor nervinus ad guttas viginti ter die etiam qvadrat (vid. diar. 1784. Mart. & 1785. Junii. Julii. Auguſt. Septbr. No. 1.) qvinimo obſervavi excretiones, ob hanc ſtupiditatem involuntario procedentes poſt effectum talis veſicatorii mox naturales redditas. Hoc qvoqve remedio ſanatur aphonia ex ſimili cauſa orta. In duobus exemplis amauroſis ſeqvela erat hujus morbi; altera ex his ægrotis junior ſangviſugio hirudinum e temporibus & veſicatorio nuchæ melior verum non prorſus reſtituta fiebat, altera coeca parmanebat. Mihi etiam occurrit inflammatio pertinax unius oculi imo cum incipiente ſuppuratione in margine inferiore tunicæ corneæ, qvater opus erat applicare hirudines circa ocu-

oculum, nec non veſicatorium in nucha, dein pone aurem, tandem in brachio, atqve cataplasma ſaturninum oculo continuo impoſitum, qvibus oculus demum prorſus ſanatus fuit.

22. Convulſivi motus utplurimum ſub ſtadio nervoſo putrido accidentes moscho & clysmate ex aſa foetida compeſcendi ſunt, eosdem tamen & ſingularem fere convulſivam inqvietudinem extremitatum inferiorum ſub ſtadio bilioſo emeſi ſedatos vidi. Obſervavi qvoqve fæminam in ſummo morbi gradu talibus convulſionibus & tetanica rigiditate artuum & dorſi afflictam, qvæ poſt ſupradicta antiſpasmodica fruſtra adhibita veſicatorio in nucha renovato & ſumtis laudani liqvidi guttis qvinqve cum gvadruplo liqvoris cornu cervi ſuccinati omni hora alternatim cum moschi granis duabus ex orci faucibus erepta fuit.

Diæta in febre putrida talis eligenda & præſcribenda eſt, qvæ putreſcentiæ reſiſtit; huic ſcopo accommodanda ſunt.

1. Aer ſ. atmoſphæra in habitaculis ægrotorum, qvi ſit purus & ſubfrigidus; ſpatioſa hinc præferenda ſunt cubicula, aperiantur vel, ſaltem æſtivo tempore, apertæ teneantur feneſtræ vel janua; tempore hyemali hypocauſtum vel modice vel prorſus non caleſiat, acetum frigidum diligenter in vicinia ægrotorum effundatur. Optime depuratur aer vaporibus acidorum mineralium. Affunditur nempe acidum ſulphuricum concentra-

tum duplæ parti nitri vel ſalis comunis vaſis vitreis aut lapideis excepti; vel ſenſim & repetitis vicibus vel unica vice perficitur hæc affuſio ſed caute præſertim in ultimo caſu ad avertendam noxam mox aſcendentis & concentrati vaporis; qvantitas totius maſſæ ſalinæ ratione ſpatii depurandi ſit circiter unciarum decem pro cubiculo viginti lectos ægrorum continente, juxta qvam menſuram determinari poteſt proportio deſiderata ad alia ſpatia minora vel majora. Efficacior redditur hæc evaporatio, ſed pulmonibus minus amica, ſi ſali comuni apponatur qvinta pars magneſii pulverati, qvalis igitur compoſitio præſertim qvadrat ad depuranda habitacula ab hominibus vacua. Svadent alii magno hujus morbi gradu ægrotantes aeri libero exponere, qvod experimentum, verum absqve ullo obſervato emolumento, inſtitui.

2. Potus, qvi ſint aciduli per admixtum acetum, ſuccum citri & ſimilia tales redditi, decocta avenæ, hordei, ceraſorum, infuſum panis toſti materiam potus præbere poſſunt; ſubfrigidi imo ſub increſcente æſtu prorſus frigidi, largi potisſimum in primo & ſecundo morbi gradu, dum dilutio & refrigeratio præſertim indicata ſunt, ſub nervoſa autem morbi ſtatu haud tanta copia potus convenit, utpote vim roborantem & nervinam medicaminum debitans.

3. Alimenta, qvæ durante febre tantum e regno vegetabili depromenda ſunt, ut allata decocta, fructus horæi, poma, vel pruni cocta; devicta tandem febre & appetitu viribusqve redeuntibus, carnea initio teneriora & modica qvantitate permittantur; fami ægrotorum poſt hunc morbum ſæpius enormi caute obtemperandum eſt, ut recidiva avertatur.

4. Lectus ægroti ita parandus, ne hic nimis incaleſcat; tegumenta ideo e plumis confecta minus qvam alia conveniunt, lectus præterea ad omnia latera ſit apertus, nullis involucris acceſſum aeris liberi impedientibus circumdatus; famuli ſitum ægroti in lecto ſæpius mutent &, ut mox in dorſo, mox in alterutro latere ſit, attendant ne exulceratio partium, in qvibus decumbunt ægroti, alias in hoc morbo adeo facilis producatur; qva nilominus orta coronamentum (*Krands*) e pilis elaſticis pelle involutis paratum ægrotis ſubſternendum eſt, & ulcus balſamo univerſali deligandum; exulceratio talis diligenti lotione ægroti per aqvam frigidam qvandoqve præcaveri poteſt.

Vitanda in febre putrida omnia allatis auxiliis ſive medicis ſive diæteticis oppoſita ſc. putredinem promoventia & debilitantia, inter qvæ utpote præſertim damnoſa nominari debent nitrum & venæſectio, qvorum prius nunqvam, & poſterior tantummodo ſub certis & ſupra definitis mor-

-bi conditionibus & mutationibus locum habere debet.

Curatio prophylactica contra febrem putridam inprimis epidemice grassantem, cujusqve contagiosa vis satis probata est, seqventia desiderat præcepta: 1) opportet sanos vitare conversationem non necessariam cum ægrotis & usum vestium lectorumqve in tali morbo adhibitorum, anteqvam lotione alioqve modo sufficienter depurata sunt. 2) Atmosphæra circa ægrotos perflatione aeris liberi & vapore acidoe minerali diligenter depuranda est. 3) Medici & famuli ægrotis assistentes contra susceptionem contagii se munire debent salivatione crebra, stimulantibus in ore retentis promota, elutione oris per aqvam aceto, vel acido minerali vel spiritu vini mixtam, inprimis ante ingerendos cibos; victu bene nutriente potuqve confortanti spirituoso, animo hilari & cautione a refrigerio. 4) Qvam primum contagio expositi & hunc morbum antea non passi affectionem aliqvam qveruntur insolitam febrilis qvodammodo indolis, uti frigus, cephalalgiam debilitatem, anorexiam cum vel sine reliqvis symptomatibus biliosis, rheumaticosve aut catarrhales affectus, subrepentem angvem suspicari oportet, emetico & qvidem validiori, imo si minus larga exinde evacuatio videatur, repetito fugandum.

Febris epidemica, qvam cholericam vocavi, ad genus bilioso-putridum pertinet, & descripta

invenitur in diario anni 1787. imprimis menſis Decembris.

GENUS Vtum.

FEBRIS EXANTHEMATICA

Eſt febris continua, qvacum eſſentialiter juncta eſt efflorefcentia cutanea, qvæ exanthematis vel exanthematum nomine inſigniri ſolet.

Diviſio febrium huc pertiuentium juxta differentiam annexi exanthematis in tres ſpecies fieri poteſt ſc. febrem varioloſam, morbilloſam, ſcarlatinoſam.

Species Ima.

FEBRIS VARIOLOSA

Eſt febris continua cum adjunctis puſtulis cutaneis ſuppurantibus, ſ. qvæ certo morbi tempore ut tubercula inflammata in cute apparent, & dein abſceſſuum minorum adinſtar pus concipiunt.

Symptomata febris varioloſæ ad eſſentialia ſ. conſtantia, & ad accidentalia ſ. varietatis referri poſſunt.

Essentialia symptomata hujus morbi commode in qvatuor stadia s. tempora, sibi succedentia dividuntur, qvorum singula certam morbi & symptomatum conditionem & mutationem continent & monstrant.

1. Stadium invasionis complectitur tempus a primo morbi aggressu ad ipsam exanthematum s. variolarum eruptionem ad tres aut qvatuor dies durans. Symptomata huc pertinentia sunt, frigus & horripilatio, dolor omnium artuum imprimis dorsi, lumborum, qvandoqve faucium, nec non capitis, pulsus celer tensus, sitis, æstus, vomitus vel vomituritio, cardialgia, pronitas ad sudorem in adultis, somnolentia apud juniores, & insultus convulsivi apud infantes non raro obvii.

2. Stadium eruptionis a die morbi tertio vel qvarto ad octavum, circa qvod notanda sunt: a) facies pustularum tunc erumpentium, qvæ initio apparent parvæ, rubræ, parum elevatæ, puncto albo in medio notatæ, sensim latiores redditæ, magisqve albescentes vel flavescentes, b) ordo eruptionis talis, ut primò in facie, dein in collo, pectore & brachiis tandemqve in artubus inferioribus proveniant, c) remissio febris sensim major juxta absolutam eruptionem.

3. Stadium suppurationis a die septimo vel octavo ad undecimum diem se extendens; morbi symptomata tunc temporis constituunt a) variolarum ipsarum mutatio sc. incrementum, flavescens

color, & aſperitas, b) tumor rubens dolens ſenſim increſcens, primo faciem dein artus ſuperiores occupans, gradu vario communiter copiæ variolarum adæqvato, roſeum colorem habens; oculi etiam hujus inflammationis participes redduntur, c) reverſio febris poſt factam eruptionem diminutæ vel fere ſublatæ, æſtum, ſitim, inqvietudinem & inſomniam ſecum ducentis.

4. Stadium exſiccationis ab undecima circiter die incipiens ad plures non definiendos dies ſe extendens, tunc ſiccantur puſtulæ, cruſtaqve obducuntur dura tandem decidua, tumor allatus ſenſim & febrilis ſtatus evaneſcunt: qvandoqve imprimis, ubi copioſæ ſunt vcriolæ, ſub hoc ſtadio nova exſurgit febris, ſecundaria dicta, reſorptioni materiæ varioloſæ merito adſcribenda, non raro vehemens & periculoſa.

Accidentalia ſymptomata varioloſæ febris ſ. varietates qvoad puſtulas ipſas, concomitantem febrem & alia incommoda locum habere poſſunt.

Variolæ ipſæ qvoad faciem differunt & diſtingvuntur.

1. In variolas diſcretas, qvarum ſingulæ proprium locum habent, ſc. mediante interſtitio libero a ſe invicem diſtant; talis variolarum discretarum caracter faciei tantum competit, & indifferens eſt earundem conditio in reliqvo corpo-

re; hisce attributum effentiale eft tempus eruptionis qvarto morbi die incidens.

2. In variolas confluentes, qvarum plures vel omnes in facie junguntur ad unicam efflorescentiam conftituendam; prædicata hisce competentia funt, a) tempus eruptionis vel citius fe tertio die vel ferius qvarto die inveniens, b) modus eruptionis, qvæ non, ut in difcretis, fenfim procedit, fed qvafi una vice & magno numero apparet; c) figura eruptionis, qvæ mox efflorefcentiam eryfipelatofam refert, dein ad unam pelliculam, qvæ faciem obducit, rubri coloris confluit, poft octavum diem afpera fufca redditur, nec ante diem 15tum, vel 20mum exficcatur.

3. In variolas decoloratas, qvæ folito colore non gaudent; huc pertinent: variolæ nigræ, variolæ fangvineæ, qvæ fangvinem continere videntur, variolæ chryftallinæ, qvæ fero replentur, variolæ verrucofæ fubftantiam duriorem uti verrucæ habentes.

Febris variolas comitans variæ indolis effe poteft fc.

1. Benigna & folita, qvæ in primo ftadio modica poft factam eruptionem ceffat, fub tertio ftadio revertens, & tamen tolerabilis eft.

2. Inflammatoria gravem æftum fecum ducens, inqvietudinem, cephalalgiam, dolorem moleftum faucium, dorfi, pulfum fortem & tenfum,

respirationem difficilem, imo inflammationem pulmonum.

3. Putrida langvore notabili, pulsu debili, vertigine, tremore artuum, maculis petechialibus, hæmorrhagia, imprimis mictu cruento, nullo vel non sufficienti tumore faciei & artuum designata.

Alia symptomata sc. 1) Salivatio apud adultos sub numerosis imprimis confluentibus variolis obveniens, circa eruptionis tempus incipiens, copiosa tenuis, versus undecimum diem spissior, exscreatu difficilis, &, ni tumor faciei atqve manuum bene procedat, periculosa, ægrotum non raro suffocans. 2) Diarrhoea apud infantes salivationis vices subiens. 3) Reliqviæ post devictum morbum, ut inflammatio oculorum, abscessus, tussis, hectica febris, oedema crurum; qvæ omnia materiæ variolosæ resorptæ & ad varias corporis partes depositæ adscribi debent.

Causa febris variolosæ duplice constat parte. cujus conspiratio necessaria est, sc.

1. Dispositione certa corporis ad hunc morbum suscipiendum; hæc omni ætati communis est, omnibusqve fere hominibus, qvi illum morbum haud antea passi sunt, semel autem devictum altera aggredi vice nulla fida experientia docuit, rarissima sunt exempla eorum, qvi licet infectioni subjecti ab illo intacti manent.

2. Contagio ipſo varioloſo, qvod proprium eſt hominibus, ceteris animalibus vix nocens; ſpecificum ſ. ſemper ejusdem effectus, haud alium morbum producens, qvam variolas & qvidem ſimpliciter tales absqve complicatione, ita ut variolæ malignæ haud pejus ac benignæ ſpargant contagium; multiplicativum, ita ut minima pars materiæ varioloſæ corpori communicata ſui ſimile vitium integræ humorum maſſæ inducere valeat; vaporoſum, qvod vaporis inſenſibilis adinſtar atmoſphoera ſuſcipi, contineri, & mediante illa ad disſita transferri poteſt; qvodammodo perdurabile, qvod ſc. peregrinis corporibus imprimis veſtimentis laneis diu ſalva inficiendi vi adhærere valet.

Cauſa varietatum febris varioloſæ, hanc ſc. in aliis leviorem reddens, non ipſi competit contagio, qvod teſte experientia nil præter variolas qvatales efficit, ſed aliis accidentaliter nexis circumſtantiis, conſtitutioni corporum minus ſanæ vel conſpirationi aliorum morborum; etiam variolas nationem prima vice aggredientes malignioris eſſe indolis, mitiores autem fieri erga poſteros obſervatum eſt.

Diagnoſtica varioloſæ febris ſigna depromuntur.

1. E ſymptomatibus eſſentialibus, ſc. ipſo exanthemate ſupra definito & alias ſatis per ſe cognito; occurrit qvidem alia effloreſcentia febri-

lis, varicellæ nuncupata, variolis qvidem ſimilis, haud difficulter tamen diſcernenda partim, qvia vera ſuppuratione caret partim qvia ſtadia variolarum ſolita haud percurrit, ſed cito in conſpectum venit, citoqve exſiccatur & demum, qvia febre nullius momenti ſtipatur.

2. E cauſis, jam ſc. graſſante epidemia variolosa ideoqve contagio præſente, atqve conſpirante ægroti diſpoſitione, unde febrem in primo ſtadio eruptione nondum deſignatam ad variolas tendere ſuſpicandum eſt.

Prognoſtica ſ. eventus ſigna:

1. Bona, a) tempus, qvo aggreditur; initium & decrementum epidemiæ mitioris indolis habetur, æſtas & hyems benigniorem facit morbum, qvam ver vel autumnus, b) ægroti conſtitutio ſc. ætas a qvarto anno ad 25tum, temperamentum laxum *(Blonder)* potius qvam ſtrictum *(Brunetter)* variolas ſuffert, prægreſſa diæta, unde laudabilis humorum indoles exſpectari poteſt, c) variolarum indoles, dum diſcretæ benigniores ſunt & qvo pauciores, eo levior & minus periculoſus morbus.

2. Mala, qvæ minus fauſtum eventum portendunt.

a) Febris adjuncta valida ſive inflammatoria ſive putrida imprimis cum congeſtione notabili ad partes nobiles caput vel pectus, in ſecundo ſtadio non remittens.

b) Varioloſi exanthematis indoles; confluentes in genere periculoſæ, imprimis ſi non pure repleantur, ſed depreſſæ maneant, vel nigreſcant, periculuſæ itidem ſunt chryſtallinæ & verrucoſæ; maculæ petechiales variolis intermixtæ, vel hæ ſangvineæ, aut nigreſcentes, periculoſisſimæ ſunt.

c) Urina pallida ſub valida ſangvinis congeſtione ad caput & micturitio freqvens fere inanis, periculoſam affectionem encephali annunciant.

d) Hæmorrhagiæ periculoſæ, qvam maxime mictus cruentus, vix unqvam non lethalis ad petechialem ſtatum pertinens.

e) Diarrhoea cum admixta excretione purulenta & expanſo abdomine lethalis, alia diarrhoea modica infantum ſæpe ſalutaris.

f) Salivatio & tumor faciei evaneſcentes absqve ſubſeqvente tumore manuum pesſimi ominis ſunt.

Curatio varioloſæ febris, me judice, commode ad duplicem partem referri poteſt ſc. generalem ad omnia illius morbi tempora & conditiones convenientem, & ſpecialem ſtadiis ſingularibus & varietatibus accomodandum.

Generalem in variolis medendi methodum conſtituit regimen frigidum ſc.

1. Aer frigidior, purus, per ſpatioſa cubicula & apertas, ſi anni tempus illud permittat, feneſtras conciliandus, æger etiam extra lectum,

juſto tamen obſervato moderamine, teneri poteſt: & in lecto leviter modo tectus ſit; tempore hyemali nullus aut vix ullus hypocauſti calor opus eſt.

2. Victus & potus vegetabilis indolis, acidulus, largus, uti ſerum lactis, juſcula e granis cerealibus parata, fructus horei maturi.

3. Abſtinentia a calefacientinm omni genere & qvoad diætam & medicamina.

Specialis cura ſtadiis ſingulis adaptanda eſt.

Primi ſtadii medicatio continet:

a) Evacuationem primarum viarum, aut mediante emetico, ſi ſapor malus, ſordities lingvæ, vomituritio impurum ſtomachum monſtrent, aut ſi hæc ſigna abſint, per laxans antiphlogiſticum, ut aqvam laxativam viennenſem cum vel absqve ſale medio, inſeqventi tempore etiam alvus, ni ſponte fluat, per artem imprimis clysma qvotidie vel alternis diebus præbendum aperienda eſt.

b) Febris juſtam moderationem, modicæ tolerabili ſufficit laudatum regimen frigidum, gravior inflammatoriæ indolis cum pulſu duro & affectione moleſta topica venæſectionem & mixturam camphorato acidam deſiderat; febri ad putridam vergenti, in hoc ſtadio adhuc modicæ poſt peractam emeſin cremor tartari opponendus eſt, petechialis verò qvandoqve mox ſe exſerens cum hæmorrhagiis largum uſum decocti chinæ cum ſpiritu vitrioli, ut in morbo

maculoſo hæmorrhagico per omnia ſtadia continuandum deſiderat.

c) Derivationem humorum & vis morbi a partibus corporis ſuperioribus ad inferiores, qvod ſit harum balneis tepidis aut fomentatione tali freqventi atqve applicitis ibidem ſinapismis, dum illæ e contra ſc. caput, oculi, facies aqva frigida diligenter lavantur.

d) Convulſionum infantilium tractationem; & ad has prævertendas, &, ſi præſto ſint, tollendas commendo uſum ſyrupi, e manna v. althæa, cujus unciæ grana duo moſci orientalis adjuncta ſunt, infantibus verſus eruptionis tempus ad cochleare minus bihorio vel omni hora præbendi, qvo non ſufficiente balneum tepidum univerſale, capite interea per epithema frigidum tecto, nec non hirudines temporibus applicitæ deſiderantur & juvant.

Secundi ſtadii medicatio præſertim ad febrem concomitantem reſpectum habet; ſi hæc modica ſit, nil præter curam generalem opus eſt; ſi nimis langvida ad promovendam eruptionem vix ſufficiens e pulſu exili indicetur, mixtura camphorata & infantibus ſyrupus moſcatus convenit, ſi inflammatorius ſtatus notabilis ſit, venæſectio haud timenda eſt; ſi febris putridæ incrementum obſervetur, huic apta remedia cortex, camphora, moſcus in uſum trahantur.

Tertii ſtadii cura debellabit:

1. Febrem, vel reſurgentem inflammatoriæ indolis ex adaucta inflammatione variolarum ortam, earumqve numero proportionatam, cui potus multus acidulus & mixtura camphorata acida conveniunt; vel continuantem putridæ indolis, in hoc ſtadio increſcentem, qvæ debellari debet aut per laudatum decoctum corticis cum ſpiritu vitrioli, aut per mixturam camphoratam cum moſco ſimul adhibendam, ſi ſymptomata nervoſa accedant.

2. Symptomata moleſta in hoc ſtadio præſertim ſeſe exſerentia, qvalia ſunt:

a) Salivatio antea facilis, in fine hujus ſtadii difficilis, ſpiſſa, ſuffocationem minitans; hujus ergo potus largus ſit, os diligenter colluatur ſub ſputo ſpiſſo per aqvam oxymelle ſcillitico mixtam, derivantia remedia etiam commendantur, uti ſinapiſmi circa juncturas manuum, vel pedum, lenia laxantia, ſpiritus ſalis dulcis, qvatenus diureticum, ad guttas 50 ter indies; imo ſi periculum ſuffocationis inſtet, ſolutio tartari emetici ad vomitum citandum ſvadetur.

b) Diarrhoea apud infantes locum ſalivationis ſubiens, modica ſalutaris cenſenda, nec minuenda eſt; ſi nimia videretur, præberi poteſt ſyrupi diacodii, mucilaginis gummi arabici ana unciæ, moſci grana tria ad cochleare minus bihorio; contra immoderatam talem adultorum cum detu-

mefcentia periculofa faciei & artuum, juvamen, fi posfibile fit, e mucilaginofis cum opiatis junctis ex. gr. infufo faleb omni hora alternatim cum liqvore anodino minerali & dimidia parte laudani liqvidi producendum eft.

c) Retrogresfio variolarum f. depletio earundem fubita periculofa ex animi pathemate, aut forti refrigerio ortum trahens, remedia ftimulantia & cardiaca reqvirit: ut emeticum, poft-eaqve mofcum, camphoram, vinum rhenanum, & fi diarrhoea adfit, alia contra illam laudata remedia.

d) Urinæ fuppresfio juvatur, dum æger torum relinqvit & obambulat, imprimis in aere frigidiori.

e) Infomnia diuturna molefta juxta qvorundam confilium pauxillo opii lenienda eft, me judice potius, ut non periculofa, toleranda, imprimis fub congeftione fangvinis & humorum ad caput.

f) Oculi dolentes, rubentes, lachrymantes nil nifi lotione diligenti per lac tepidum aqva mixtum opus habent.

Qvarti f. exficcationis ftadii cura confiftit in debellanda fecundaria febre, qvæ e pure variolarum in maffam fangvinis reforpto producitur, hoc fcopo:

a) Impedienda erat talis reforptio per punctionem f. incifionem variolarum & puris abfter-

ſionem, qvod etiam ad foedas cicatrices avertendas aptum judicatur.

b) Evacuari debet reſorpta materies, qvod modo laxantibus perfici poteſt; undecimo die incipienda eſt talis methodus purgans per aqvam laxativam viennenſem, tertio qvovis deinceps die repetenda ad qvinqve aut ſex vices; diebus interpoſitis ingeſtio ſeri lactis convenit; cavendum tamen eſt a fortiori purgatione, qvæ materiam varioloſam ad interiora convertere poteſt.

c) Effectus morboſi reſorptæ materiæ tollendi ſunt, ſi motus febriles modici ſint, allata methodus ſufficit; ſi gravior ſit febris absqve indiciis localis inflammationis, decoctum corticis cum ſpiritu vitrioli convenit; ſi verò dolor exſurgat topicus inflammatorius, mixtura camphorata acida, & venæſectio deſiderantur.

d) Cruſtæ variolarum duræ moleſtæ leniri poſſunt inungendo oleum amygdalarum dulcium aut cremorem lactis.

Reliqviæ morboſæ poſt devictas variolas conſiſtunt in læſione unius vel alterius partis a materia ibidem depoſita, ſc.

a) Absceſſus externi, iam maturati, cito aperiendi, vel non maturati & duri emollientibus ſolitis topicis tractandi, atqve ad ſuppurationem perducendi, ulcera inde orta haud nimis cito conſolidanda ſunt, & ſi diutius durant, uſu corticis peruviani opus habent.

b) Dolores interiores in vicinia osfium timorem materiæ ibidem deponendæ habentes, curatam reqvirunt explorationem, numne ullibi talis collectionis adfit veftigium, qvod tunc emollientibus tempeftive tractari debet, vel fi tale non adfit, venæfectio, & laxantia repetita adhibenda funt.

c) Ophtalmiæ fupervenientes venæfectione, fangvifugio hirudinum, laxantibus, veficatorio in nucha diutius fuppurante, & cataplasmate ex aqva vegeto minerali cum mica panis parato juvandæ funt.

d) Tusfis purulenta decoctum corticis cum fenega & jufculum fecalinum reqvirit.

Inoculatio

Eft operatio medica, per qvam materia variolofa vifibilis corpori humano applicatur, & mediante qva variolæ producuntur. Auxilium hoc ad periculum variolofi morbi avertendum fufficienti experientia probatum eft, ideoqve ab hodiernis medicis fere omnibus & in plurimis regionibus receptum. Faufta hujus remedii applicatio feqventia refpicienda habet:

1) Conditiones, qvibus convenit, vel non convenit, qvales funt:

a) Ætas; prima infantum, anteqvam dentes prorumpunt, admodum apta judicanda eft; reliqvæ ætates excepta forfan fenili etiam conve-

niunt; inſtans autem vel præſens dentitio, non rarò per ſe periculoſa, non modo varioloſum morbum tunc ſimul adjunctum pejorem reddere valet; ſed etiam damnum ex illa natum variolis immeritò tribui poterat, & ut inoculationis, qvamvis inſontis, effectus æſtimari.

b) Anni tempus opportunum, ſi electio prorſus libera ſit, vernale imprimis menſis Majus cenſendum eſt; alia qvoqve tempora convenire posſunt, ſi certis de cauſis exempli gratia ad prævertendum naturalas variolas jam graſſantes deſideratur. Sub epidemia aliarum febrium, ſcarlatinæ, aut morbilioſæ ſubjecta illis diſpoſita & expoſita inoculare nefas eſt, dum conſpiratio peregrini morbi timeri poteſt, indeqve majus periculum febris varioloſæ.

c) Conſtitutio ſanitatis qvodammodo bona qvoqve reqviritur; perſonæ aliis morbis jamjam laborantes uti ſcorbuto, phtiſi, vermibus, obſtructione viſcerum, convulſionibus aut ante inoculationem curandæ ſunt, aut ſi hoc fieri neqveat, haud inoculandæ.

2) Præparationem ſubjectorum ipſi inoculationi per octo vel decem dies præmittendam, tendentem ad talem corporis & humorum ſtatum producendum, qvalis nec ad inflammationem nec ad putreſcentiam inclinat, utpote ex his cauſis periculum varioloſi morbi præſertim dependet, huic ſcopo conveniunt.

a) Venæſectio imprimis apud adultos & plethoricos.

b) Purgatio primarum viarum per laxans lenitivum, uti aqvam laxativam viennenſem cum ſale neutro, initio præparationis, & altera vice die proximo inſtituendæ inoculationi porrigendam.

c) Victus vegetabilis, potus largus imprimis ſeri lactis, abſtinentia a calefacientibus vino, caffe, carne.

d) Derivantia, qvibus ſangvis a ſuperioribus ad inferiores partes dirigitur, ſc. pediluvia tepida, capitis autem & faciei lavacra frigida crebra.

Præparatio ſimilis etiam convenit & ſvadenda eſt illis, qvi graſſantibus variolis expoſiti inoculationem non admittunt.

3. Materiem inoculandam, qvæ e variolis maturis ſive naturalibus ſive artificialibus depromi poteſt, verum ſimul apud ſana ſubjecta, qvæ nullo alio contagioſo morbo laborare nobis cognitum eſt; modus hanc materiem colligendi præſertim duplex in uſu eſt ſc.

a) Recens materia e variolis inciſis educi, in vitrea lagenula collegi ibidemqve mediante obturaculo ſat diu ad uſum conſervari poteſt.

b) Fila per variolas traducta & materie ſufficienter madefacta diu qvoqve vim varioloſam retinent, præſertim in vitro bene clauſo conſervata.

4. Partes inoculandas, pro qvibus communiter eliguntur brachia & qvidem loca eorum pro fonticulis ſolita; in hisce ambobus operatio inſtituitur ſecuritatis ergo, ut ſi in uno forſan deficeret, effectus tamen in altero procederet; interſtitio inter pollicem & indicem inſitioni etiam convenire poſſunt, qvæ tamen ob inſeqventem ſuppurationem minus apta judico.

5. Modum inoculandi ſ. materiem varioloſam dictis partibus applicandi, qvi duplex eſt.

a) Materia recens ſi applicanda ſit, lanceola vel acu ordinaria epidermis ſolvitur vel abraditur a cute adeo leviter, ut vix ſangvis appareat, huic aperturæ materiæ pauxillum vel guttula mediante eadem vel magis obtuſa acu imponitur; brachia dein nuda permaneant, donec impoſita materia exſiccata ſit, & nulla alia deligatio opus eſt.

b) Filum ſi adhibeatur, obliqva & profundior fiat inciſio per lanceolam inter epidermidem & cutim, in qvo facto foramine filum intromittitur; pro hoc figendo imponitur linteum carptum & dein emplaſtrum ut diachylon compoſitum; poſt duos dies hæc deligatio aufertur, & non renovatur.

6. Progreſſum varioloſi morbi per inoculationem orientis.

a) Tertio vel qvarto die poſt inoculationem, etiamſi prægresſis diebus exſiccatum ulcusculum parum qvoad margines rubet cum linea alba in medio apparente, unde facta infectio mox cognoſcitur, die qvinto & ſexto inflammatio manifeſtior ſit, & dolor nonnullus in brachiis & axillis ſæpe ſentitur.

b. Septimo vel octavo die, qvandoqve ſerius motus febriles exſurgunt, frigus cum æſtu alternans, cephalalgia, lumbago, anorexia, amarities oris, ſomnus inqvietus, vomituritio vel vomitus, qvænam minoris vel majoris gradus poſtea continuant.

c) Decimo vel undecimo die, rarò ſerius variolæ erumpunt, febriles motus ceſſant & ulcus pus maturam habet.

d) Diebus ſeqventibus decimo qvarto vel qvinto & deinceps variolæ in ſuppurationem vertuntur, ulcus brachiorum ſiccatur, ſenſimqve ipſæ variolæ.

Interdum nulla ſit eruptio, ſed ulcus brachiorum bene ſuppurat cum adjunctis qvibusdam motibus febrilibus, qvinam caſus vices morbi vere varioloſi ſupplet, verum ſi nec ulcus ſuppuraverit, nec variolæ provenerint, inoculatioem nullius fuiſſe effectus judicandum eſt.

7. Curam morbi varioloſi inoculati, qvæ in univerſum eadem eſt ac cura variolarum naturali-

um, attamen in priori caſu multo leviori medela etiam ad ſeqventia puncta limitari poteſt.

a) Aëre qvam maxime libero fruatur æger, qvænam regula præſertim valet de tempore eruptionem præcedente, qvinimo obſervatur, febrili æſtu & inqvietudine moleſtatum ægrum optime, dum aëri libero exponitur, lavari. Decubitus in lecto, qvem æger langvidus maxime appetit, non tamen niſi noctu concedendus eſt, & tunc ſubſtragulis levioribus.

b) Alimenta & potus ſint acidula & vegetabilis indolis.

c) Apertura alvi, ni ſponte procedit, manna vel aqva laxativa viennenſi modice promovenda eſt, & dum exſiccantur variolæ, purgatio eodem modo, ac in variolis naturalibus ſæpius repetenda eſt.

d) Symptomata qvædam moleſta, ſi inciderent, ſimili medela, ac de naturalibus dictum eſt, tractari debent, ulcus brachiorum ex inciſione natum ſæpius ſponte ſenſimqve exſiccatur, ſi forſan largius ſuppurat, balſamo univerſali deligandum eſt, & ſi abſceſſus jungantur, emplaſtris & cataplasmate emollientibus ad ſuppurationem promoveri debent.

Vaccinatio

Dicitur operatio, qva vel materia in certis puſtulis mammas vaccarum qvandoqve obſidentibus generata corpori humano inſeritur illiqve puſtulas primitivis ſimiles in loco inſitionis infert, vel ex his ultimis depromta materia applicatur ſimili vi comunicativa gaudens. Púſtulæ tali modo productæ variolæ vaccinæ dicuntur optimumqve ſiſtunt remedium ad variolas humanas non ſolum præcavendas ſed prorſus e terris fugandas. A qvo tempore primum obſervata et divulgata eſt efficacia hujus remedii, jam per viginti annos numeroſiſſima experimenta, ubiqve regionum facta et per materiam e vaccinis humanis ſumtum inſtituta, egregiam, nunqvam fallentem hujus remedii contra variolas vim prophylacticam luculenter probarunt nam innumeri et omnes hoc adminiculo usi contagio varioloſo, cui variis modis exponebantur, non infecti fuere.

Ut ſuccedat operatio, hæc reſpicienda ſunt

1. Materies idonea depromenda e veris vaccinis inprimis humanis certo dum florent tempore ad octavum nonum vel decimum diem a facta inſitione computato, qvo materia vel ſtatim, qvalis certiſſimæ eſt efficaciæ, applicitur, vel ad uſum ſeriorem et transportationem conſervari debet immediate collecta et depoſita vel in cylindro vitreo vel inter lamellas vitreas, qvarum alteri cavitas lenticularis ad ſuſcipiendam materiam im-

pressa est, qvarumqve margines cera allinuntur, dicto modo materies inprimis dum a nimio frigore, calore et solis lumine caveatur, per plures menses essica sirvari potest; applicanda debet vapore aqvæ calidæ solvi, itaqve duabus tribusve personis inferi, ut infectio forsan in uno deficiens in altero succedat.

2. Methodus operationis in eo consistens, ut dicta materies mediante lanceola vel acu commoda sub levi solutione epidermidis intèr hanc et cutim inferatur præfertim in brachiis, in qvibus singulis duo vel tres tales punctus dimidium pollicem a se in vicem distantes instituuntur; brevi dein nuda teneantur brachia ne insita materia abstergatur, nec sangvis forsan proveniens auferatur.

Succedentem operationem indicant variolæ vaccinæ veræ inde productæ, sc. tuberculum intense rubrum qvarto nempe die in loco insitionis apparens, qvod die sexto formam sibi propriam accipit, sc. ambitum lenticulæ, depressionem fuscam in medio, marginem album argenteum humore limpido plenum, extra cinctum circulo rubro, qvi inseqventibus diebus ad nonum usqve sub augmento ipsius pustulæ magis extenditur cum aliqvali intumescentia adjunctisqve interdum pruritu, dolore subaxillari, levi sensatione febrili et æstu, qvæ tamen, illæso somno et appetitu, intra unum alterumve diem cessant; die duodecimo vaccinæ exsiccari incipiunt cum crusta obscure

fusca versus diem vigesimum secundum vel serius decidente; rarissime observantur eruptiones vaccinis minus magisqve similes in aliis qvam insitionis loco; æqve raro pustulæ non ante nonum diem vel serius post factam insitionem erumpunt, in qvo casu vaccinæ tamen genuinæ habendæ sunt, si supradicta ratione procedant.

Præterea utilissimam illam variolas humans præcavendi virtutem, plura sunt, qvibus vaccinatio excellit, sic nullum secum ducit periculum nullaqve morbi symptomata medicinam postulantia; a contagio spontaneo immunis est facilisqve ipsa operatio a qvolibet licet artis non perito instituenda; in omni tale, sanitatisqve modo et anni tempore æqve insons et utilis, tenelli infantes si excipiantur, in qvibus operatio qvandoqve frustranea est.

Raro descriptarum vaccinarum loco profere rumpunt variolæ vaccinæ spuriæ, prophylactica illa verarum vi vix gaudentes, ortæ ut credunt, e materia vel debito serius a veris vaccinis depromta vel justo diutius servata vel deniqve ab aliis spuriis hausta: distingvuntur a veris 1. præcoci eruptione die primo, secundo, tertio port insitionem, 2. forma pustulæ in medio non depressa, sed elevata 3. indole contenti humoris non limpidi sed spissioris puriformis 4. exsiccatione celeri ad septimum circiter diem.

Species II^da.

FEBRIS MORBILLOSA

Eſt febris continua cum maculis parvis, diſcretis, rubris, parum elevatis, primò in facie, deinceps in reliqvo corpore ſeſe monſtrantibus.

Symptomata hujus morbi ſunt.

1. Generalia febrilia ſc. frigus, vel tantum initio, vel diuturnius cum æſtu alternans, ſitis, cephalalgia imprimis frontalis, ſomnolentia, lingva alba, qvandoqve vomitus, diarrhoea, hæmorrhagia narium, pulſus celer.

2. Specialia catarrhalis indolis, uti oculorum dolor, rubor, & qvandoqve lachrymatio, ſternutatio freqvens, coryza, oppreſſio pectoris, tuſſis ſicca vel humida, qvandoqve faucium dolor.

3. Eruptio ipſa hujus exanthematis haud ad certum tempus determinata, ſæpiſſime tamen qvarto die eveniens, alias ſerius, vel ocyus intra qvintum diem; primò in facie apparent maculæ morſus pulicum adinſtar, obſcuræ rubræ, panxillum elevatæ, raro confluentes, nullam materiem viſibilem continentes: ipſe cum aliis medicis febrem vere morbilloſam absqve ullo exanthemate obſervavi.

4. Continuatio ſymptomatum, licet gradus minoris, poſt factam eruptionem ad ſeptimum præterlapſum diem; maculæ tunc ſenſim palle-

ſcunt & evaneſcunt absqve deſqvamatione, qvandoqve epidermis ſub forma farinæ abſcedit; moleſtiæ pectoris imprimis oppreſſio facta eruptione notabiliter minuuntur, tuſſis qvandoqve remanet inflammationem & phthiſin ſecum ducere valens.

Cauſa febris morbilloſæ duplici parte conſtat.

1. Miasmata contagioſa epidemica, qvod incertis annis & anni temporibus populum invadit.

2. Diſpoſitione certa ægrotantium omnibus hunc morbum haud antea paſſis communi, ad juniorem ætatem imprimis pertinente.

Diagnoſtica ſigna ſunt partim allata ſymptomata, imprimis ſpecialia catarrhalia, affectio oculorum ſemper dolorifica qvandoqve admodum mitis ſub affulgente clariore luce tantummodo ſe exſerens atqve exanthema, partim cauſæ ſc. ſæviens iam illa febris, & diſpoſitio ad illam ſuſcipiendam.

Prognoſis.

1. Proſper utplurimum ſperari poteſt eventus ſub rita morbi tractatione; hæmorrhagia narium levatoria eſt, diarrhoea aut ſudor ſub finem morbi accedentes ſalutares ſunt.

2. Periculoſus cenſeatur morbus, ſi exanthematis eruptio haud bene procedat, oppreſſio pectoris gravis ſit & poſt eruptionem talis permaneat; maxime autem ſi exanthema ſubito evaneſcat cum inſeqventi deliratione & pectoris oppresſione.

Curatio febris morbillofæ triplicem fcopum continet, fc. inflammationi obftare, exanthema, qvod criticum haberi debet, confervare & promovere, fymptomata incidentia debellare, qvibus indicationibus conveniunt.

1. Venæfectio, fi nimirum pectoris oppreffio notabilioris gradus videatur; modica verò talis affectio illo auxilio non indiget, utpote poft eruptionem fæpius evanefcit, fi verò continuet, venæfectio uti contra inflammationes ad levamen usqve repetenda eft.

2. Diapnoica temperantibus juncta, uti pulvis temperans camphoratus, vel mixtura camphorata aut emulfio bihorio exhibita; calor lecti, qvi in variolis minus convenit, contrariô modo in morbillis falutaris habendus eft pro exanthemate confervando.

3. Alvi apertura ingrediente morbo et fub eodem promovetur mixtura camphorata laxativa partitis dofibus ad effectum defideratum porrecta. Sæpius, abacta febre, unica purgatio fufficit fed in epidemia morbillofa Hafniæ 1791 graffante, admodum gravi, ad reliqvias evacuandas et metaftafes præcavendas freqvens purgatio poft morbum opus erat, ut in fcarlatina.

4. Symptomata incidentia: hæmorrhagia narium falutaris fibi committenda eft; vomitus julapio falino bihorio loco alterius medicinæ compefcitur; diarrhoea emulfionem camphoratam &

potum mucilaginoſum exigit; tusſis ſub morbo moleſta uſu ſyrupi pectoralis lenitur, continuans & juncta cum ſignis inflammationis pulmonalis huic convenientem medelam deſiderat, vel ſi jam purulenta materies expectoretur, antiphthiſica ſolita, juſculum ſecalinum, aqva ſelterana cum lacte &c. adhibenda ſint (vid. diar. 1784. Novbr. & Decbr. no. 2.) Congeſtio periculoſa ad caput, cephalalgia vel delirio indicata, nec epiſtaxi ſpontanea mitigata hirudines, ad tempora et veſicatoria ad ſuras poſtulat. Exanthema non rite proveniens aut retrocedens præſertim cum adjunctis moleſtiis pectoris vel capitis camphoram, moſchum, veſicatoria vel ungventum ſinapinum reqvirunt; affectio oculorum vix ullo alio remedio indiget qvam abſtinentia a clariore luce, utplurimum ſimul cum febre ceſſans, raro ſuperſtes aqva ſaturnina tolli ſolet.

Species IIItia.

FEBRIS SCARLATINA

Eſt febris continua cum adjuncto exanthemate rubro, lato, vix elevato qvaſi ab inuncto ſyrupo ribeſiæ rubræ.

Symptomata duplicis generis ſunt ſc. conſtituentia, ſeu ipſa febris, & conſecutiva, qvæ devictam febrem inſeqvuntur, vel inſeqvi poſſunt.

Conſtituentia ſymptomata ſcarlatinæ febris ſunt:

1. Communia febrilia, frigus initio, dein æſtus ſolito magis urens, ſitis, cephalalgia vertiginoſa, gravativa, pulſus celerior, qvam in aliis febribus, urina aurantia mox ſedimentoſa.

2. Specialia.

a) Faucium dolorifica affectio, rarisſime deficiens cum impedita deglutitione, tumore, & rubore tonſillarum, in qvibus qvandoque ſimul maculæ apparent v. albæ benignæ, v. atrolividæ ulceroſæ latius proſerpentes, malignæ & gangrænoſæ indolis ſignum.

b) Exanthema ipſum inter primum & qvartum diem ſeſe monſtrans, communisſime die tertio, lata, rubra, fere glabra, aut totum corpus, aut certas tantum illius partes tingens, qvandoque puſtulæ parvæ inſtar purpuræ albæ ſimul ſub progreſſu morbi adſunt; etiam absque exanthemate febris ſcarlatinoſa exiſtit.

c) Ceſſatio febris ad diem ſeptimum vel octavum.

d) Desqvamatio epidermidis manifeſta, vel mox poſt febrem, vel tardius inſeqvens.

3. Accidentalia & incerta, vomitus ſæpe ſub aggrediente morbo, diarrhoea, hæmorrhagia narium, deliratio, inflammatio pectoris, etiam in certis epidemiis adjuncta putrida febris obſervata eſt.

Confecutiva fymptomata febris fcarlatinæ etiam incerta, multos non invadentia, communiter poft qvatuordecim a febre exactos dies fefe exferentia variæ indolis fc.

1. Hydropicus corporis ftatus & tumor faciem primo & crura occupans, dein magis univerfalis cum dyfpnoea & urina parca, qvandoque obfcure rubra et nigrefcens, tamen non mali ominis.

2. Parotidum tumor, qvandoque fimul cum hydrope, qvandoque poft illum apparens, inflammatoriæ indolis, imo fibi ipfi relictus ad fuppurationem facile pronus.

3. Infaniam & convulfiones etiam, licet rarius, ut effectus hujus morbi obfervavi.

Caufa fcarlatinæ febris ut in fupra allatis exanthematicis febribus duplice parte componitur fc.

1. Irritamento fc. miafmate contagiofo epidemico, plures fimul invadente, & ab ægrotis ad fanos migrante; rarius habetur exemplum fcarlatinæ fporadicæ.

2. Difpofitione ad hunc morbum fufcipiendum fere communi omnibus, qvi hanc febrem haud antea pasfi funt; junior ætas ad trigefimum annum nec non fexus feqvior huic morbo maxime fubjecta funt.

Diagnoftica figna fat manifefta fc. epidemica graffatio, febris cum pulfu valde celeri, exanthematis fupra defcripta indoles, atque faucium mo-

lesta affectio, qvibus indiciis illius distinctio a febre morbillosa, scarlatinæ sat simili, non difficulter habetur. Maximi momenti est inspectio faucium ad detegendam indolem anginæ, num sit modica an gravior sive inflammatoria sive ulcerosa, utpote huic differentiæ accomodanda est medicatio.

Prognosis

1. Prosper utplurimum eventus exspectari potest: e centum ægrotis vix qvinque mortuos observavi sub ipsa febre, & rarissime aliqvis rite tractatus effectibus consecutivis necatur.

2. Minus faustum & periculosum indicium præbet viscerum nobilium gravis affectio, vehemens deliratio, peripneumonia, arti tamen convenienti sæpius cedentes; verum pulsus valde debilis, exanthema vagum, mox apparens & mox disparens periculum insigne portendunt. Puerperis superveniens sæpe lethalis fit.

3. Differt qvoqve eventus pro varia epidemia; una valde mitem, altera admodum perniciosum morbum producit.

Curatio febris scarlatinæ triplicem partem continet sc. curationem ipsius febris; prophylaxin contra seqvelas, & denuo curationem harum seqvelarum, si præsto sint.

Curatio ipsius febris scarlatinæ sæpissime antiphlogistica fit, ad qvam pertinent.

1. Venæſectio indicata a) ſub notabili faucium inflammatione, deglutitionem fere prorſus impediente, tunc pluries phlebotomia inſtitui poteſt & hirudines circa laryngem applicari, donec inflammationis decrementum obſervetur, b) ſub adjuncta peripneumonia, contra qvam venæſectio ſolito modo absque reſpectu ad ſcarlatinam habito adminiſtrari & repeti debet, c) ſub inſigni ſangvinis congeſtione ad caput cum delirio, cephalalgia & rubedine, ubi præter venæſectionem etiam hirudines temporibus applicitæ conveniunt; apud plurimos autem, ubi allata ſymptomata haud obſervantur, venæſectione non opus eſt, qvinimo noxa exinde timeri poteſt.

2. Diapnoica, & temperantia remedia, uti mixtura camphorata acida, vel emulſio camphorata vel mixtura diapnoica, vel horum loco, dum vomitus adeſt & durat, julapium ſalinum; victus, & potus, ut in aliis febribus vegetabilis indolis ſint, & alvi itidem apertura pro necesſitate vel mixtura camphorata laxativa ad effectum præbita, vel enematibus promovenda eſt.

3. Derivantia, uti ſinapiſmi ad extremitates inferiores admoti, veſicatorium nuchæ, vel circa collum applicitum ſub graviori ſc. faucium malo vere inflammatorio; initio & leviori gradui convenit linimentum volatile camphoratum collo antico inunctum.

4. Collutorium in ore crebrò tenendum, ex insuso salviæ aceto simplici vel simul melle rosato mixtum & tepefactum, melius mixtura camphorata acida aliqvantisper in ore et ad fauces tenenda omni circiter hora.

5. Si putrida febris signis suis denotata forsan cum scarlàtina combinatur, venæsectio haud convenit; faucium vero inflammatione, si gravior sit, per hirudines & vesicatorium diminuta, emesis promovenda est, & dein alia antiputrida methodus adhibenda (vid. diar. 87. August 3. & Octbr. 2.)

6. Si angina ulcerosæ indolis deprehenditur, mox in usum trahenda sunt decoctum chinæ acidum et mixtura camphorata acida, alternatim omni hora ad unciam adhibenda et gargarismi loco et postea deglutienda; qvæcunque alia medicina in hoc casu minus secura est, imo nocere potest.

Curatio prophylactica ad avertendas seqvelas morbi perficienda est.

1. Per laxantia octavo morbi die in usum trahenda, & dein tertio qvovis, vel qvarto die repetenda ad qvinque vel sex vices, aut mixtura camphorato-laxativa, aut pulvis jalappinus huic scopo qvadrat.

2. Per remedia perspirationem & diuresin promoventia diebus reliqvis præbenda, qvonam scopo mihi in usu fuit mixtura diuretica ad guttas

ſexaginta ter indies maneqve et veſpere cremoris tartari drachma dimidia cum uno alterove grano camphoræ, ſi alvus ſegnior obſervatur.

3. Per abſtinentiam ab aere libero imprimis frigidiori ad tres circiter hebdomades poſt finitum morbum, neglectæ huic regulæ præſertim malæ hujus morbi ſequelæ adſcribendæ ſunt.

Curatio effectuum ſcarlatinæ conſeqventium:

1. Hydropicus tumor ſat certò tollitur remediis diureticis, uti infuſo juniperino, mixtura ex anima rhabarbari & ſpiritu ſalis dulci ana ad guttas ſexaginta ter indies, vel cremore tartari ad drachmam ter indies porrecto, vel methodo ad prophylaxin laudata; optime etiam qvadrat calor lecti, ideoqve ſi allata diuretica per ſe ſat citum effectum haud producere videantur, etiam imperandus.

2. Tumor parotidum utplurimnm inunctione per linimentum volatile camphoratum diſſipatur, & vix niſi neglecta hac medicina in ſuppurationem vertitur, in qvo caſu abſceſſuum ſolita tractatio reqviritur.

3. Inflammatio pectoris etiam hoc tempore poſſibilis methodum antiphlogiſticam reqvirit, (vide diar. 87. Septbr. 2.)

4. Puerum poſt ſcarlatinam leucophlegmatice tumentem & ſubito gravibus convulſionibns correptum juvabam bina venæſectione, clyſmate, liqvore nervino, epithemate calido e vino & aceto

parato ſuper abdomen die aggreſſi mali adhibitis, & inſeqventi die porrecto remedio purgante. In tali caſu etiam convenit cremor tartari cum moſcho.

Dantur qvidem *plures differentiæ exanthematum febrilium*, qvæ tamen, me judice, ſingularem febrium ſpecimen non efficiunt, ſed ut ſymptoma alterius febris, aut inflammatoriæ, aut potisſimum putridæ indolis æſtimari debent, ideoqve vix aliam, qvam concomitanti febri competentem medelam deſiderant ſc.

1. Petechiæ ſ. maculæ ſolitariæ, parvæ, obſcuro rubeſcentes vel nigreſcentes, non elevatæ, faciem nunqvam ſed reliqvas corporis partes obſidentes. Has nunqvam, niſi in febre putrida & qvidem graviori gradu ejusdem, obſervare mihi contigit.

2. Purpura rubra ſ. maculæ parvæ, rubræ, aſperæ, potiſſimum in pectore apparentes, vix non, qvantumqve mea docuit experientia, effectus regiminis nimis calidi, atqve per illud provocati ſudoris.

3. Purpura alba ſ. milliaria ſc. papulæ cutaneæ, ſeminibus milii ſimiles, elevatæ, duriuſculæ, albæ, vel pellucidæ, qvaſi ſerum limpidum continentes. Nec illas proprium qvendam morbum ſignificare credo; in rheumatica, ſcarlatina, putrida, phthiſica febre et in puerperis illas obſervavi; ſingularem conſtitutionem ægrotantium cum

morbis conſpirantem potius, qvam ſingularem morbum pro hujus ſymtomatis origine habeo; vix ullum certum eventum, attamen periculum morbi, qvocum nectuntur, deſignant: qvaſi ſpecifico modo proficuum contra illa exanthemata in acutis apparentia obſervavi liqvorem nervinum ad guttas 25 hihorio ſumtum; (exemplum funeſtæ talis cum milliaribus conjunctæ febris vid. diar. 83 Decbr. 15.)

4. Urticata efflorescentia, maculas ab inflictis urticis ortas referens, febriculam nullius momenti ſecum ducens, &, paucis diebus adhibito præſertim regimine diapnoico, evaneſcens, qva neglecta cautela diſpoſitio ad freqventem hujus incommodi recidivam exoritur.

5. Zona, qvæ conſiſtit in puſtulis ſat magnis ſero plenis, urentibus, alterutrum latus abdominis vel pectoris occupantibus, febrem inflammatoriæ indolis ſecum ducentibus, & medelam diapnoicam antiphlogiſticam ſc. nitroſo camphorata deſiderantibus, qvo modo paucis utplurimum diebus tollitur, qvandoqve autem pertinacior eſt morbus et plures hebdomades durans (vid. diar. 1784. Sptembr. 7.)

6. Pemphix, qvam conſtituunt bullæ ſ. ampullæ magnæ nucis magnitudinem habentes ſero flaveſcenti turgidæ. Hoc ſymptoma rariſſime apud nos occurens magni gradus putreſcentiæ

ſignum eſt, atqve validisſima acida & antiſeptica deſiderat.

GENUS VI^{tum.}

FEBRIS PUERPERALIS

Eſt febris continua feminis recens enixis ſuperveniens, & propria, ſ. cui non aliæ qvam puerperæ, ſubjici poſſunt.

Duæ ſpecies ad hoc genus pertinent ſc. febris puerperalis benigna v. lactea, & febris puerperalis maligna.

Species I^{ma.}

FEBRIS PUERPERALIS BENIGNA S. LACTEA

Eſt febris levioris momenti omnibus fere puerperis, tertio potiſſimum, rarius ſecundo, qvarto vel qvinto die poſt partum ſuperveniens.

Symptomata ſunt leves horripilationes, adauctus calor, imprimis veſpertinus, qvandoqve aliqvalis cephalalgia, pulſus ſolito parum celerior, mammarum aliqvalis dolor tenſivus, atqve tumor; exacerbatio nocturna, remiſſio matutina ſub ſudore

Caufa hujus febriculæ non immerito ftatuitur congeftio humoris lactei ad mammas, mediante qva vafis nonnulla diftentio dolorifica inducitur, indeqve febris; forfan etiam permutatus fangvinis circuitus, dum fc. fangvis ad foetum fluere folitus poft partum in ipfis vafis retinendus eft, illisqve igitur & cordi ob copiam infolitam qvodammodo irritantem.

Diagnofis hujus febris e tempore, qvo invadit, et fymptomatibus allatis, eorumqve levi indole fat facile eruitur.

Prognofis:

1. Duratio febris lacteæ fæpius intra nycthemeron finitur, etiam ad duas tresve dies extendi poteft cum exacerbatione circa vefperam renovata.

2. Eventus ipfe: a) crebrius benignus, & cesfatio febris ad dictum terminum, fub fudore, urina fedimentofa, qvandoqve largiori fluxu lochiali atqve lactis e mammis fpontaneo, aut per fuctionem infantis promoto profluvio, b) rarius minus fauftus per metaftafin f. depofitionem lacteæ materiæ, aut ad partes externas, earumqve inde ortos tumores, ædematofos, inflammationes, fuppurationes, doloresqve pertinaces (vid. diar. 86 April 4, & Auguft 11, & 87 Februar. 11, & Octobr. 5.) aut ad partes internas, uti cerebrum cum adjuncto delirio vario, acuto vel chronico,

qvandoqve lethali ſæpius etiam poſt longum tempus ſponte ceſſante; nec non ad alia viſcera.

Curatio duplicem partem continet ſc.

1. Curationem ipſius febris, qvæ, docente experientia & ſvadente theoria ſupra exhibita, conſiſtere debet in medela antiphlogiſtica & emolliente, qva motus nimius temperari, vaſa tenſa relaxari, & circulatio ſangvinis per totum corpus facilis & æqvalis promoveri poſſunt; auxilia huc tendentia tempore, qvo febris lactea, vel ejus veſtigia & reliqviæ adſunt & timeri poſſunt, ad ſeptem circiter vel novem dies poſt partum computando in uſum præſcribenda ſunt.

a) Victus antifebrilis tenuis maxime e juſculis farinaceis, decocto avenæ, panis vel pulli; vitanda ſunt carnea, ſpirituoſa, aromatica, potus caffe, & butyrum, ſaltem illius largior uſus.

b) Calor temperatus & atmoſphæræ & lecti ad tranſpirationem modicam, & circuitum ſangvinis in partibus exterioribus promovendum conveniens.

c) Qvies animi & corporis, occaſiones proin validiora mentis pathemata citare valentes ſollicite ſunt avertendæ.

d) Subductio alvi per ſe minus bene procedens enemate oleoſo qvotidie aut alternis diebus applicito, vel remedio leniter purgante, ut electuario aperiente, pulvere infantum cum rheo,

mixtura camphorata laxativa, oleo ricini efficienda eſt.

e) Medicamenta temperantia modice diapnoica, mihi uſu recepta eſt emulſio camphorata vel mixtura camphorata non acida ad unciam bihorio vel trihorio ſumta, qvale remedium & motibus febrilibus in univerſum compeſcendis & prævertendæ inflammationi admodum congruum æſtimo.

2. Curationem depoſiti lactis:

a) Ad mammas; qvam optime perficit ſuctio infantis; ſi hæc locum habere neqveat, affectio dolens mammarum avertitur, imo jam præſens tollitur diligenti frictione & inunctione per oleum camphoratum, atque ligatura modice comprimente; nec ineptum eſt emplaſtrum e ſpermate ceti, vel ſaponatum; e qvibus optimum ſucceſſum præſertim ſperare licet, ſi mammæ diſtentæ in anteceſſum depleantur, qvod ſuctu qvidem inſtitui ſolet, facilius vero, imo perfectius et minus dolorifice mammas ſuper vaporem aqvæ fervidæ tenendo efficitur; interdum cataplasma e ſpeciebus reſolventibus & emollientibus cito reſolvit.

b) Ad alias corporis partes; qvalem depoſitionem ſ. metaſtaſin ſuſpicari licet e dolore fixo ſ. affectione locali cujusdam partis in puerperis, imprimis ſub depletione mammarum, minus magisve perfecta accedente; methodus antiphlogiſtica per venæſectionem, etiam repetitam, & cam-

phorata initio ſaltem, uti contra alias inflammationes, adhiberi debent; eccoprotica itidem qvadrant; abſceſſus inſurgentes ad maturationem ſolito modo perducendi ſunt; tumores oedematoſi lente tolluntur partim per eccoprotica partim per diuretica; interdum ut ſeqvela puerperii obſervatur tumor in alterutro regione iliaca cum vel ſine dolore, in primo caſu convenit venæſectio bis vel ſemel facta, in utroque ungventum reſolvens mane et veſpere ad drachmam circiter dimidiam tumori illitum, cujus effectus plerumque votis reſpondit; raro cataplasma emolliens reqviritur.

Species II[da].

FEBRIS PUERPERALIS MALIGNA S. PUERPERALIS STRICTE SIC DICTA

Eſt febris gravis, vix non epidemica, puerperas utplurimum primo, vel ſecundo aut tertio die poſt partum, rariſſime ſerius invadens, & expanſionem dolorificam abdominis ſecum ducens.

Symptomata & phænomena hujus morbi:

1. Conſtantiora.

a) Horror vet modo initium faciens, vel dein recurrens, qvem in meis ægrotis fere ſemper obſervavi.

b) Pulſus ſemper juxta meam experientiam celer, tenſus, vel depreſſus, debilisqve.

c) Stomachi affectio, molesta, anxia, cum vomituritione vel vomitu spontaneo qvandoqve biliosæ materiæ.

d) Expansio admodum dolens abdominis, universalis, qvandoqve initio morbi mox adjuncta, qvandoqve post aliqvot horas vel die elapso accedens, semperqve in hoc morbo præsens.

e) Defectus lactis in mammis, earumqve depletio minoris vel majoris gradus, verum apud ægras mihi obvias plenam lactis absentiam semper deprehendi.

f) Lochiorum fluxus debito modo in plurimis persistens.

2. Alia possibilia minus constantia symptomata:

a) Dolor capitis, non modo frontis, sed etiam occipitis, qvandoqve lumborum.

b) Dejectio alvi sæpius liqvida, foetida, qvandoqve cum tenesmo; stricta alvus rarius observatur.

c) Lingva humida, muco albo flavescenti obducta, interdum sub progressu morbi aphthosa.

d) Tumores dolentes in partibus corporis externis exsurgentes, vel sc. in artubus, vel in alterutra genarum cum intensa rubedine.

e) Inflammatoriæ affectiones pectoris vel capitis imprimis sub provectiore morbo accedentes, non rarò lethales.

f) Grangrænæ ſigna, ut pulſus celerrimus, ſudor pingvis, extremitatum frigus, facies pallidoflaveſcens, oculi hebetes concavi, aſpectus ferox, convulſiones.

3. Reperta in demortuis vitia duplicis imprimis indolis: a) extravaſata materies, aut ſpiſſior puriformis, caſeoſa, plures vel pauciores abdominis partes. inteſtina, uterum, ejusqve partes obtegens, aut liqvidior ſero lactis non abſimilis, qvandoqve fætorem putridum edens; b) inflammatorius, ſuppuratus, gangrænoſus ſtatus mox in una, mox in altera abdominis parte, ſæpius in utero, & ovariis atqve tubis fallopianis. Mihi etiam occurit extiſpicium, ubi præter naturam nil aliud in abdomine, qvam enormis expanſio inteſtinorum præſto fuit.

Cauſa remota ſ. principium febris puerperalis vix alia ſtatui debet, qvam nociva atmoſphoeræ conſtitutio, certis annis ſæviens, cujus ſententiæ argumentum eſt indoles hujus morbi fere ſemper epidemica; vis aeris tali modo nocendi febrifica cenſenda eſt, qvæ in puerperas cadens febrem, ut ita dicam, naturalem ſ. lacteam præmaturè vel ad gradum nimium excitat; naturæ enim vel febrilibus motibus tali modo redditis validioribus, qvam qvi ad ſecretionem & depoſitionem lactis in mammis deſiderantur & conveniunt, poſſibile ſit, ut liqvidum illud cum maſſa ſangvinis circumductum ad alias convertatur partes, potiſſimum qvi-

dem abdominales ob prægreſſum partus opus præ aliis relaxatas & debilitatas; haud opus eſt, ut deſinita f. ad certam febris ſpeciem producendam tendens aeris noxia vis ſtatuatur; in genere talem ſufficere, me judice, docet ortus hujus morbi non modò per epidemiam puerperalem ſtricte dictam, ſed etiam per alias ſupervenientes febres ex. gr. ſcarlatinam, qvam puerperas invadentem ſymptomata veræ puerperalis febris inducere, & illius adinſtar lethalem fieri nimis ſæpe obſervavi. Ut cauſas hujus febris adjuvantes admittere licet alias febrificas cum epidemia conſpirantes ſc. impuritates primarum viarum, qvarum irritatione affluxus humorum adhuc magis verſus inteſtina dirigitur, terrorem, partum laborioſum aut foetus mortui jam putreſcentis.

Cauſa proxima f. læſio corporis prima & principalis in febre puerperali haud iniqve ſtatuitur irritatio enormis viſcerum abdominalium per materiem lacteam morboſo modo huc converſam producta. Argumenta hanc materiæ lacteæ culpam probantia ſunt.

1. Defectus lactis in mammis ſub hoc morbo obſervatus; verum cum hoc fluidum tamen in corpore præſto ſit, & qvoad omnes partes, exceptis mammis, tanqvam peregrinum & morbificum æſtimari debeat, probabile eſt, tali efficaci & præſenti irritamento affectiones morboſas exſurgentes adſcribere. Sunt, qvi huic argumento opponant

experientiam de febre puerperali ſub mammis lacte non carentibus exorta, contrarium tamen mihi ipſi nunquam non obvenit, & conceſſa licet parte talis objectionis, qvod ſc. mammæ non ſemper prorſus ſub hoc morbo depleantur, non aliud tamen contra nos inde ſeqvitur, qvam qvod pars lactis ad mammas deponatur; verum aliam illius partem ab abdomen converti non igitur contradictionem involvit, qvid! qvod! posſibile demonſtratur per ipſam experientiam & obſervationem non adeo raram, mihiqne aliqvoties obviam, metaſtaſeos lacteæ apud fœminas lac præbentes.

2. Tempus invaſionis hujus febris ſc. triduum a partu primum idem cum tempore febris lacteæ communis; cum autem hæc unanimi fere medicorum conſenſu ex irritatione ſecernendi lactis derivetur, eundem tunc temporis præſentem hoſtem in febre puerperali accuſare non iniqvum videtur.

3. Extravaſati apud demortuas reperti indoles non raró lactiformis & copia notabilis; ex mera inflammatione abdominali nec tale, nec tantum, ni ad diuturnius qvam in febre puerperali tempus inflammatio protrahatur, extravaſatum generari obſervamus, unde merito concluditur, aliam concurrere materiem & qvidem extravaſato ſimilem lacteam; interdum qvidem parca & ad aſpectum mere purulenta invenitur talis extravaſatio, verum, me judice, non opus eſt,

ſemper eandem materiæ qvantitatem tanqvam neceſſariam ad morbum producendum ſtatuere; nonne enim minor copia in femina ſenſibiliori, vel aliis irritamentis conſpirantibus ſufficeret?

4. Metaſtaſes ſ. tranſpoſitiones materiæ morbificæ in hoc morbo obvenientes, qvibus demonſtratur, plus qvam meram inflammationem, rarisſime in alio caſu & modò poſt longum tempus metaſtaſin efficere valentem, aut putreſcentiam in contentis inteſtinalibus adeſſe, ſc. mateteriem tranſpoſitionis talis, etiam cito peragendæ, capacem, qvalis non modo ob ſupra allata argumenta lactea habenda eſt, ſed etiam, qvia reipſa lactiformis reperta eſt talis depoſita materies, qvandoque ad mammas reverſa, interdum ſub alvi depoſitione, qvinimo in abſcesſibus.

Cauſæ proximæ in febre puerperali triplex ſtatus ex illius effectibus concludi poteſt, & ad hos declarandos convenit ſc.

1. Status meræ irritationis & nondum inflammatorius, qvem ſub invaſione & primo, vix definiendo, morbi tempore ſupponere licet & ſub qvo materia lactea partes abdominales aggreditur, illasque irritando dolorificas varias affectiones & motus febriles excitat; an expanſio abdominalis e paralyſi & compresſione nervorum per adjacentia vaſa lacte peregrino turgida derivanda ſit?

2. Status inflammationis ex permanente allata irritatione oriens, vix vel rarisſime incipienti

morbo annexus, citò tamen, ſed ad terminum diverſum, cauſarum irritantium conſpirationi & gradui vario reſpondentem productus, differentes abdominis partes occupans, atque in illis exſudationem materiæ morbificæ, ſuppurationem & gangrænam efficere valens.

3. Status meraſtaticus, vel univerſalis, ut ita dicam, melius forſan febris puerperalis ſecundaria, rarius occurrens, qvando materia morbifica, in integram ſangvinis maſſam ſuscepta febrem continuam ſine topica affectione excitat; vel locatis ſeu traductio materiæ morbificæ ſ. plenè ſ. pro parte ex abdomine ad alias corporis partes externas vel internas contingens & per accedentes dolores & tumores harum partium ſeſe exſerens.

Diagnoſtica ſigna puerperalis febris.

1. Generalia:

a. Epidemica hujus morbi jam obſervata graſſatio, ob qvam ſupervenientis apud puerperas gravioris febris ſimilem naturam ſuſpicari fas eſt.

b) Tempus invaſionis talis febris intra primum a partu triduum, utpote ſerius illam oriri raro obſervatum eſt; febrem igitur eo ſtadio accedentem tanqvam puerperalem timere oportet, minus verò aliam dicto termino ſuccedentem.

c) Symptomata ipſa conſtantiora ſc. grave frigus, moleſta ſtomachi affectio, vomitus & vomituritio, vacua mammarum conditio, expanſio dolens univerſalis abdominis, qvæ præſens indu-

bitatum morbi ſignum exhibet; verum etiam hoc ultimoſigno nondum aggreſſo morbum ſuſpicari et qvatalem mox oppugnare opportet, qvo citior enim medelæ, eo certior illius ſucceſſus et ſemper inſons, etiamſi morbus non eſſet febris puerperalis.

2. Specialia ſ. allatum diverſum morbi ſtatum denotantia.

a) Status meræ irritationis, ſub morbi initium præſens, qvamdin abſit circumſcriptus abdominis dolor; intra paucas horas interdum finitur.

b) Status inflammationis metus habendus eſt, ſi morbus jam per aliqvod tempus unum forſan alterumve diem non mutatus, nec medicina apta tractatus, perſtiterit, utpote irritationis in hoc morbo gravisſimæ tranſitus in inflammationem non poteſt non eſſe citus atque certus; major, ſi ſub adminiſtrata medela irritationis ſtatui congrua dolor & ſymptomata potius increſcant, qvam decreſcant, maximus demum, qvando dolor, circumſcriptus, fixus, prævalens certam regionem abdominis occupet.

c) Status metaſtaticus facile dignoſcitur, partim e ſeriore morbi tempore, qvo oboritur, partimque ex mutata ſede affectionis morboſæ ab imo ſc. ventre ad alias corporis partes obſervata.

Prognoſis.

1. Duratio hujus morbi ſive fauſte ſ. infauſte finiti utplurimum circa qvintum vel ſextum diem

abſolvitur, ulterius protractus morbus haud ſtricte puerperalis febris cenſendus eſt, ſed illi ſuccedens metaſtaticus ſtatus, qvi pro vario, qvod afficit, viſcere terminum diverſum habet; interdum intra triginta ſex horas miſeras necat.

2. Eventus ipſe, a) communisſimus & per ipſius morbi vim vix non ſemper lethalis, ſæpisſime mediante inflammatione, ſuppuratione, & gangærna viſceris cujusdam abdominalis, imprimis partium uterinarum, qvandoque mediante metaſtaſi ad pulmones vel encephalum, b) rarior ſalutaris ſ. in ſanitatem e convenienti artis auxilio tantum exſpectandus.

3. Signa eventus.

a) Benigni ſ. e qvibus ſpem ſanationis habere licet, ſunt: prima invaſio morbi per ritam medicationem mox oppugnata; decrementum ſ. levamen ſymptomatum e tali medela ſtatim obſervatum; alvi fluxus levatorius; metaſtaſes in aliis corporis partibus præſertim externis exſurgentes cum notabili abdominis euphoria.

b) Infauſti: inflammationis jam præſens ſtatus, attamen nonnullos etiam ſub eo ſanatos caſus obſervavi; accedentia ſymptomata gangrænæ ſolita abſolute lethalia, metaſtaſes graves ad pectus vel caput, nec non incompletæ metaſtaſes ad artus absque euphoria abdominis. Febris metaſtatica periculoſſima habenda eſt, diu durans et demum per hecticam conſumtionem funeſta, niſi

natura ipſa, qvod tamen raro ſperandum eſt, materiam morbificam in abſceſſum externum convertere valeat, vel qvod in paucis obſervatum eſt ad inteſtina deponere et per fluxum crebriorem mucoſum excernere, cui ſcopo frequens clysmatis emollientis uſus convenire videtur.

Curatio febris puerperalis diverſo ejusdem ſtatui, qvod per ſe intelligitur, accomodanda eſt.

Curatio ſtatus irritationis tempore, qvo ille præſens eſt, ceu morbi primo & ſub invaſione ejusdem mox inſtituenda & inchoanda eſt, utpote minima mora periculum oriundæ inflammationis habet. Scopus hujus medicationis alius eſſe neqvit, qvam irritationem & irritamentum tollere, aliorſum dirigere & iners reddere; auxilia igitur congrua eſſent evacuantia, derivantia, involventia, qvalia ſeqvens per experientiam potiſſimum probata methodus continet ſc.

1. Emetica circa qvæ obſervamus.

a) Opportunum illa præbendi tempus, qvod eſt prima morbi invaſio, qvo citius, eò melius; qvo plures horæ ante uſum eorundem prætereunt, eo minor juvandi ſpes; inſeqventi die repetenda eſt emeſis, etiamſi primo illius uſu ſymptomata minuta videantur, qvinimo ſi morbus haud ſufficienter decreſcat, ejusdem evacuationis ad tertiam, qvartamve vicem repetitio fieri poteſt; in plurimis mihi obviis exemplis unica emeſis adeo efficax

fuit, ut reliquiæ morbi methodo infra memoranda cessaverint.

b) Medicamen ipsum: solutio tartari emetici partitis dosibus ad effectum vel, si diarrhoea adest, pulvis radicis ipecacuannhæ. ad scrupulum porrectus.

c) Modum, qvo emesis contra hunc morbum agit & juvat; qvem non modo in evacuatione cruditatum irritantium consistere credo, sed etiam in producenda & augenda contractione tubi intestinalis, ita ut affluenti materiæ morbificæ lacteæ magis resistat. Sunt etiam, qvi credant, vasa lymphatica ad functionem resorbendi melius peragendam sub emesi excitari, qvo modô derivatio lactis ex abdomine cogitari potest.

2. Post peractam emesin indeque productum levamen reliqva cura absolvitur modica alvi subductione ope olei ricini americani ad unciam dimidiam trihorio vel rarius et qvidem qvotidie efficienda, donec dolor et tumor abdominis cessaverint; raro clysmatis usus simul requiritur. Interea convenit liqvorem nervinum unacum oleo ter qvaterve perdiem porrigere. Adhibetur quoqve cum fructu post absolutas evacuationes mixtura acida mineralis cum moscho omni hora vel bihorio.

3. Mucilaginosa pro potu sub integro morbi decursu largiter ingerenda, uti decoctum avenæ, hordei. vel infusum seminis lini; si forsan diar-

rhoea profufior adfit, qvandoqve cum aphthis, mucilago gummi arabici, vel infufum radicis faleb conveniunt.

Experientia tamen docuit, epidemias hujus morbi differre talesqve dari, in qvibus emefis fperatum effectum non femper producit.

Curatio ftatus inflammationis fupra definiti, qvo hic locum habet, tempore inftituenda eft; 1) per venæfectionem fæpius usqve ad productum notabile doloris decrementum iterandam. 2) Per emulfionem camphoratam ad cochlearia duo majora bihorio porrectam. 3) Per inunctionem abdominis cum linimento volatili camphorato vel melius ungvento refolvente crebrius, imo bihorio inftitutam, qvæ inunctio a morbi initio adhibita, fuperimpofito fimul abdomini facculo aromatico camphorato, aliqvoties juvaffe videtur.

Curatio ftatus metaftatici duplex eft: fi metaftafis ad partes internas, pulmones, vel cerebrum facta obfervetur, eadem medela ac fub ftatu mox memorato, inflammationis dicto, adhibenda eft; fi verò metaftafis ad partes externas fiat, emollientia cataplasmata ad promovendam fuppurationem defiderantur, & abfceffus, qvam primum maturatus eft, aperiri debet.

Prophylaxis gravidis tempore graffantis epidemiæ puerperalis fvadenda me judice fpectare debet ad difpofitionem febrilem tam inflammatoriam qvam biliofo-putridam avertendam, cui fco-

po ultimo graviditatis tempore conveniunt. 1) Diæta tenuis potiſſimum vegetabilis. 2) Alvi modica per eccoprotica ſubductio. 3) Venæſectio in plethoricis, &c, ſi dolores abdominis ſeſe ante partum exſerant, repetita. 4) In qvacunqve febre, non manifeſto inflammatoria, puerperas aggrediente mox emeticum præbendum eſt, qvo ſimul metaſtaſes lacteæ avertuntur. Nonne etiam ſub hac epidemia præſertim in noſocomio puerperarum graſſanti prophylaxeos ergo conveniret, emeticum mox abſoluto partu, morbi ſignis licet nondum præſentibus, exhibere? (vid. diar. 82. Januar. 5. Mart. 7 & 8. Jul. 2. & 86. Septbr. 3. Octbr. 10. Novbr. 8. Decbr. 6.)

ORDO IIdus.

PHLEGMASIA s. INFLAMMATIO VEL FEBRIS INFLAMMATORIA

Eſt febris continua cum adjuncto dolore fixo circumſcripto ſ. in certa parte corporis hærente.

Symptomata inflammationis ſunt.

1. Communia febrilia: ſc. frigus initio, alias æſtus, ſitis, urina rubra, lingva ſicca, pulſus celer tenſus, nec non ſangvis e vena miſſus ſub-

ſtantia durus, utplurimum cruſta alba, lardo ſimili, qvæ cruſta phlogiſtica dicitur, obductus, qvod ultimum phænomenon tamen febri qvatenus inflammatoriæ competit.

2. Particularia in parte ipſa affecta dolente:

a) Dolor ipſe, conſtans, ſ. non intermittens, & fixus ſ. in eodem loco permanens, alias qvoad ſenſum ægri diverſus punctorius, pulſatorius, tenſivus, preſſorius.

b) Calor, & rubedo adaucta, tumor & durities præternaturalia, in externa inflammatione ſenſibus obvia, atque ſub ſimili affectione interna per analogiam ſtatuenda & per extiſpicia demonſtrata.

c) Functio, qvam pars affecta abſolvere debet, læſa, difficilis, minus magisve impedita.

Gradus inflammationis diverſus eſt cum ſecundum extenſionem affectæ partes tum ſecundum ſenſibilitatem & nobilitatem ejusdem, cui gradui conſentit adjuncta febris, in leviori inflammatione vix percipienda.

Cauſæ remotæ inflammationis ſunt omnes potentiæ dolorificæ certo gradu in partem qvandam corporis agentes ſc.

1. Frictiones validæ, diuturnæ.

2. Diſtentiones partium ſimiles, uti per fracturas, luxationes, compresſiones ut ſub partu laborioſo, & contuſiones, qvæ omnes diſtendendo agunt.

3. Vulnerationes f. folutiones continui per rupturas, punctiones, incifiones.

4. Frigus notabile præfertim incalefcenti parti admotum; e largo potu frigido non raro inflammationes internæ excitatæ funt.

5. Æftus validus folis, vel ignis artificialis, vel partis vicinæ jam inflammatæ, (vid. diar. 1783. Febr. n. 4. & 1784. Mart. n. 11.)

6. Acrimoniæ variæ; vel extus applicitæ, ut rubefacientes imprimis cantharides; vel ingeftæ, ut venena, medicamenta draftica, inflammationem inteftinalem producere valentia; vel per morbos generatæ, uti rheumatica, arthritica, purulenta, metaftatica, variolofa, morbillofa, fcarlatinofa, dyfenterica, qvales omnes parti, in qvam agunt, inflammatorium ftatum inducere poffunt.

7. Difpofitiones ad morbos inflammatorios fufcipiendos, partim univerfales funt, nimirum corporis habitus plethoricus & temperamentum ftrictum capillis nigris notatum, & particularis debilitas, præfertim ab inflammatione antea affligente fuperftes; fatis enim experientia conftat, partes antea inflammatas inflammationi potiffimum effe expofitas.

Caufam proximam f. ftatum partis inflammatorium conftituit fangvinis præternaturalis accumulatio, atqve retardatus motus in vafis minoribus, unde hæc nimis replentur, & ad tantum gradum diftenduntur, ut dolor notabilis inde exfurgat.

1. Accumulationem nimiam demonſtrant inflammatæ partis tumor & rubor, qvi ab alia cauſa qvam humorum & qvidem ſangvinis plenitudine particulari produci & intelligi neqveunt.

2. Retardatus ſangvinis motus in parte inflammata adeo neceſſarius eſt ac ipſa accumulatio, ſi enim ſangvinis refluxus eadem facilitate ac affluxus perficeretur, nulla accumulationis cauſa, nec ideo ulla accumulatio exiſteret; juxta qvorundam ſententiam prorſus impeditus eſſet ſangvinis transfluxus in parte inflammata, verum huic obſtat cita e plena tali ſtagnatione producenda corruptio & putredo, qvæ tamen modò in maximo inflammationis gradu ſ. rectius inflammatione in alium morboſum ſtatum nempe gangrænoſum converſa locum habet.

3. In vaſis minoribus, vel ſangviferis & ſeroſis, accumulationem fieri probat coloris in parte inflammata mutatio ex albido in rubrum, qvod tantùm e ſangvine rubro in vaſa non ſangvifera penetrante declarari poteſt.

4. Diſtentionis vaſorum certus gradus & perſeverantia, ita ſc. ut notabilis exinde & conſtans dolor producatur; qvælibet enim in parte qvadam præternaturalis congeſtio non ideo inflammationis ideam habet, ni gradu allato & ſufficienti gaudeat.

Theoria inflammationis nexum illius cum cauſis & effectibus complectitur ſ. modum, qvo e

caufis remotis proxima, & ex hac fymptomata inflammationis intelligi & declarari poffunt.

1. Modus, qvo caufæ remotæ dolorificæ, feu dolor inflammatorium ftatum producunt, confiftit in certa actione venarum & arteriarum vi doloris excitata, & mediante qva fangvinis accumulatio & retardatus motus effici poffunt fc.

a) Venarum fines vi irritationis & doloris conftringuntur, ita ut humores & fangvis ab arteriis excipiendi difficilius admittantur & per venas refluant; venarum talem ex irritatione contractionem lachrymatio irritati oculi probat.

b) Arteriæ itidem dolore irritatæ in motum fortiorem & celeriorem citantur, teftante pulfatione in arteria ad partem inflammatam pertinente validiori, qvam in aliis corporis arteriis; in dolenti & inflammata manu talis arteriæ affectio obfervari poteft. E conftrictis ita per dolorem venis fangvinis impeditus a parte inflammata refluxus, & ex arteriis validius commotis fangvinis ad inflammatam partem fortior impulfus & copiofior affluxus intelliguntur; ex utraqve autem, ut accumulatio producatur, neceffe eft.

2. Modus, qvo fymptomata inflammatoria ex allata inflammationis caufa proxima declarari qveunt.

a) Dolor inflammatorius eft effectus proximus diftentionis vaforum & adjacentium nervorum, qvæ per accumulationem fangvinis effici-

tur. Dolor proinde haud ſecus effectus, qvam cauſa inflammationis eſt.

b) Tumor & durities inflammatæ partis ex adaucta in vaſis materia ſ. ſangvinis copia, & rubedo, qvia accumulata materies eſt ipſe ſangvis ruber, facile comprehenduntur.

c) Caloris incrementum partim adſcribi debet majori copiæ collecti ſangvinis, unde attritus major ſ. plurium ſangviuis globulorum producitur, partim vaſorum tenſioni adauctæ, vi cujus attritus fortior fit, ac ſi ſangvis absqve impedimento per vaſa minus vel naturaliter tenſa transfluat.

d) Febris inflammatoria eſt effectus doloris inflammatorii ſ. per inflammationem producti; citatus hic ſ. febrilis motus potiſſimum qvidem in arteriis irritati & inflammati loci ſeſe exſerit, per conſenſum tamen ad totum ſyſtema arterioſum ejusqve principium ſ. cor propagari poteſt, huic enim, & vaſis ab illo ortum trahentibus idem me judice tribui poteſt conſenſus, qvi fibris omnibus cor componentibus competit; unica enim cordis fibra per acum ex. gr. irritata omnes reliqvæ fibræ ſ. integrum cor movetur, ſimilem conſentientem actionem totius arterioſi ſyſtematis credere fere plus qvam probabile eſt.

e) Pulſus tenſus inflammationibus communis meritò conſenſui omnium arteriarum adſcribendus eſt, vi cujus idem ſtatus ſ. eadem tenſio re-

liqvis arteriis communicatur, qvæ in arteriis inflammatæ partis locum habet.

f) Crusta sic dicta phlogistica sangvinem e vena missum in morbis inflammatoriis obducens forsan oritur e nexu lymphaticæ et grumosæ sangvinis partis per morbum ita debilitato, ut prior ad separationem inclinet, et levior sursum petat; lymphaticam verò partem efficere crustam eo demonstratur argumento, qvod sangvis eductus in uno vase sæpe densus & tunc absqve crusta inveniatur, in altero qvoad substantiam laxior & tunc crusta obductus, unde constat materiem coagulantem s. lymphaticam efficere crustam, dum supernatat.

Terminatio inflammationis diversa ratione fieri potest;

1. per resolutionem in sanitatem,
2. per exsudationem,
3. per suppurationem,
4. per necrosin s. mortificationem,
5. per indurationem s. schirrum.

Resolutio inflammationis est dimminuta sensim qvantitas sangvinis in parte inflammata accumulati ad naturalem modum. Resolutionem producit & promovet triplex causa: decrementum vis & copiæ sangvinis ad partem inflammatam affluentis, ita ut sangvis haud amplius immoderato gradu in vasa minora propellatur; adaucta vis arteriarum contentum sangvinem debito motu pro-

pellendi; relaxatio venarum ita ut refluxus ſangvinis accumulati melius procedat; ſub tali inflammationis mutatione ſanitas integra absqve morboſa ſeqvela reſtituitur.

Exſudatio terminat inflammationem, dum vaſa inflammata adeo diſtenduntur, ut pori parietum aperti partem contenti liqvidi tranſmittant, qvod ideo ſub forma lymphaticæ vel puriformis materiæ in ſuperficie inflammatæ partis provenit, illamqve obducit, dolorifica tenſio hinc ceſſat & vaſa depleta debitum tonum & diametrum recipiunt. Talis exſudatio ſeſe oſtendit in ſuperficiali inflammatione cutis & pulmonum ſub expectoratione puriformi, in gonorrhoeis ſub ſimili excretione per urethram, nec non perluſtratis poſt mortem viſceribus inflammatis tali materia haud rarò obductis; haud improbabile eſt, materiem hanc exſudantem ejusdem indolis eſſe, ac cruſtam phlogiſticam, forſan ſuperficiei internæ vaſorum ſub inflammatione adhærentem; ſi inflammata pars ita diſpoſita ſit, ut materia inde exſudans evacuari & auferri poſſit, etiam per hanc inflammationis terminationem & poſt perfectam exſudantis materiæ excretionem plena ſanitas producitur; ſi verò intus exſudat materia, evacuationem non admittens, inflammationi alii ſuccedunt morbi, uti partium concretiones & imprimis hydropicæ collectiones.

Suppuratio, qva inflammatio non rarò finitur, consistit in generatione & collectione liqvidi spissi albi pingvedinosi, puris dicti, in parte inflammata, ab hujus centro incipiente, sensim magis extensa & inflammationem gradatim demum plenario tollente; probabile est, talis suppurationis initium fieri ab exsudatione liqvidi lymphatici in ipsa visceris substantia, qvod mediante calore in pus formatur; textum cellulosum suppuratione tali consumi nemo negat, verum etiam partes visceris organicæ, vasa & nervos, in liqvidum tale resolvi posse suppuratio integræ viscerum substantiæ sectionibus detecta probat. (vid. diar. 1783 Januar. 3 1784. Maj. n. 10 & 1785 Jun. 9. 1783 Maj. 5. & Jul. 8. & 1784 Nov. 9.) Suppurationis eventus varius est secundum differentiam affecti organi, in universum illa valet regula; puris, si fieri possit, eductionem tempestivam sanitatem restituere, contrarium verò casum mortem inferre, vel lentius per hecticam febrem, vel citius ob visceris ad vitam necessarii destructionem, aut compressionem collecto pure productam.

Mortificatio s. necrosis, inflammationis etiam possibilis exitus, consistit in putrefactione & abolitione vitalium qvalitatum inflammatæ partis; duplex hujus est gradus sc. gangræna s. putrefactio incipiens, dolor tunc & sensibilitas partis cessant, cutis relaxatur, pars affecta mollescit color mutatur ab intense rubro ad cinereum, fuscum,

lividum, puſtulæ ichorem flavum continentes qvandoque elevantur; ſphacelus ſ. putrefactio completa deſtructionem partium completam profundam cum foetore peſſimo & nigredine ſecum ducens, & ni externus ſit, aptisqve remediis compeſcatur, mortem cito infert. Cauſa proxima gangrænæ & ſphaceli eſt ſtagnatio plenaria ſangvinis, ejusdemqve putrefactio vi caloris inflammatorii citius promota. Corruptelæ hujus cauſæ eſſe poſſunt: 1) inflammationis ſummus gradus, qvo tantum ſangvinis in parte inflammata accumulatur, ut moveri neqveat, ſed forſan etiam e diſruptis vaſis effuſis putrefactionem concipiat. 2) Debilitas vaſorum propellendo ſangvini haud ſufficientium, uti ab hydrope & ſenectute & oſſificatis arteriis. 3) Humorum mala conſtitutio, vi cujus in inflammata parte ſtagnantes facile putreſcunt, uti in ſcorbutitis & febribus putridis, in qvibus facta metaſtaſis ſ. collecta & depoſita materia morbifica jam putredinoſa partem, qvam petit. citæ gangrænæ ſubjicit. 4) Frigus vehemens, perdurans, circulationem in parte qvadam plenario ſupprimens.

Schirrus, rariſſimus inflammationis finis, eſt indolens durus infarctus & tumor in inflammata parte ortus, dum liqvidior pars accumulati humoris abſorbetur, reliqva autem in vaſis permanet & ſtagnat; morboſus hic ſtatus tantummodò in

locis glandulofis, uti mammis, tefticulis, hepate, locum habere poteft.

Diagnoftica figna:

1. Inflammationis.

a) In parte externa funt fymptomata localia ipfa, oculis manifeftata fc. dolor, rubor, tumor, durities, e qvibus, etiamfi vix febris animadvertatur, præfens inflammatio indubitato concluditur.

b) In parte interna, ubi localia inflammationis fymptomata fenfus fugiunt, dolor conftans fixus, concomitans febris, pulfus durities, fangvinis educti crufta phlogiftica inflammationem defignant, duo ultima figna qvandoqve deficiunt, præfertim crufta phlogiftica non raro fub initio morbi abeft, dein apparens.

2. Suppurationis incipientis & præfentis.

a) In parte externa, tumoris incrementum, ejusdemqve in certo loco prominentia mollis, fenfim amplior, cum colore albo tranfparentis puris, & fluctuatione explorantibus digitis percepta.

b) In parte interna, 1) doloris gradus idem perdurans circiter ultra feptimum diem, 2) mutatio doloris pofthac facta ex acuto punctorio in modicum obtufum, 3) febris qvidem diminutio, attamen continuatio, 4) horrores crebri irregulares, qvæ tamen haud femper præfto funt, 5) perdurans læfio functionis vifceris antea inflammati, 6) emaciatio corporis cum largis fudoribus.

3. Gangrænæ & fphaceli.

a) In parte externa, indolentia, nigrefcens color, mollities, foetor putridus, puftulæ faniofæ qvandoqve, & frigus.

b) In parte interna, doloris vehementis fubita & plenaria ceffatio, pulfus admodnm celer & irregularis, facies collapfa, pallidoflavefcens, frigus evtremitatum cum fudore pingvi vifcido, horripilationes, anxietas, lipothymia, mors.

4. Schirri, qvem in parte externa tumor indolens durus poft inflammationem fuperftes fatis defignat; internæ partis fimilem affectionem tantummodo perdurans læfa functio vifceris antea inflammati absqve fignis fuppurationis aut febre indicare poteft.

Prognofis

1. Refolutio inflammationis, ejusdemqve proin in plenam fanitatem converfio intra paucos haud tamen exacte definiendos dies fperari, & utplurimum effici poteft fub rita & tempeftiva medela, modico inflammationis gradu, & reliqva ægrotantis qvodammodo bona conftitutione; decrefcens dolor, pulfus tardior mollis morbum in melius procedentem defignant.

2. Suppuratio in parte externa, unde collectum pus educi poteft, nullum fanitatis periculum habet; in parte autem interna, & tali, unde pus evacuari neqvit, tantummodo mors exfpectari debet, aut ob deftructionem fuppurati vifceris ad vitam neceffarii, aut ob puris reforptionem in

maſſam ſangvinis, unde oritur febris diuturna, lenta dicta ſ. hectica, vires ad mortem usqve conſumens.

3. Grangræna & ſphacelus ſemper mortem minantur, in parte externa tamen evitabilem qvandoqve per ritam adminiſtratam medelam, in parte autem interna ſemper non vitandam.

4. Schirrus per plures annos non mutatus & tolerabilis ſine alia noxa, qvam compreſſione indeqve functione læſa affecti viſceris adeſſe poteſt; ſi hoc ignobile ſit & ſchirrus parvus, leve proinde ſanitatis incommodum creatur, vice verſa majus fit.

Curatio & inflammationem ipſam & morbos inde progenitos reſpicit.

Curatio ipſius inflammationis conſiſtit in diminutione & reductione ſangvinis in parte inflammata accumulati ad naturalem copiam; cum enim diſtendens & dolorifica ſangvinis accumulatio inflammationem efficiat, per ſe intelligitur, qvod oppoſiti ſtatus productio ſ. ſufficiens accumulati diminutio inflammationem tollat ſ. illius medelam conſtituat. Hunc ſcopum promovent ſangvinis miſſio, refrigeratio, dilutio & doloris per apta remedia ſedatio.

1. Sangvinis miſſio ſ. venæſectio potentiſſimum contra inflammationes ſiſtit remedium, modo proficuum, nempe diminuendo ſangvinis copiam tam in parte inflammata, qvam in toto

corpore, diminuendo vim motus ſangvinis, utpote qvæ copiæ circulantis maſſæ reſpondet, hinc minori impetu ſangvis in vaſa inflammata propellitur; & demum attenuando ſangvinem, ita ut per vaſa affecta melius permeare atque auferri valeat; repetitio venæſectionis in univerſum juxta gradum, & perſeverantiam doloris, atque pulſus robur determinari debet; prima venæſectio largisſima ad eductionem ſangvinis unciarum ſedecim, poſtea duæ tertiæ partes vel dimidia ſufficiunt, ter qvaterve vel multò pluries reqviritur, donec dolor notabiliter remittat vel ceſſet; qvò citius adminiſtratur & ad intervalla breviora, ex gr. bis imo ter nychtemero, eo majoris efficaciæ eſt. In periphericis inflammationibus et apud infantes loco venæſectionis ſangviſugium per hirudines cum præſtanti effectu adhibetur.

2. Refrigeratio, qvatenus ſangvinis impetum compeſcens, admodum utilis eſt, & efficitur remediis nitroſis, potu acidulo, alimentis vegetabilibus, aere temperato, abſtinentia a calefacientibus ſc. medicamentis talibus, victuque, animi & corporis motu; & alvum rite apertam ſervando.

3. Dilutio & attenuatio ſangvinis prodeſt, qvia attenuati humores ad motum & circulationem per inflammata vaſa diſponuntur; hoc ſcopo creber & copioſus potus ægroto ſvadendus & tepidus, ut eò citius per vaſa abſorbentia ad maſſam ſangvinis ducatur.

4. Sedatio & diminutio doloris inflammatorii, cum enim dolor præcipua ſit cauſa inflammationis, per ſe patet, inflammationem ſedando dolorem debellari, ideo adhibenda ſunt remedia, qvæ ſenſibilitatem nervorum frangunt & alterant, attamen alio modo innocua, qvalia teſtante experientia ſunt.

a) Camphora ſpecifici contra inflammationes nomen merens, grana illius duo bihorio aut nitri ſcrupulo juncta, aut ſub forma emulſionis, aut alterius mixturæ ſc. camphoratæ acidæ vel non acidæ propinari poſſunt. Moſcus eodem modo porrectus ſimilem virtutem exſerit, ideoque, ubi illud ab ægrotis reſpuitur, vel non ſufficere videtur, ſine vel cum camphora exhiberi poteſt; camphoram & moſchum virtutem ſedandi & alterandi posſidere, & eatenus etiam theoretice inflammationibus prodeſſe, patet ex eorundem egregia efficacia in morbis nervoſis & hyſtericis, ubi ſenſibilitas nimia principale vitium eſt.

b) Veſicatorium vel ungventum ſinapinum in vicinia inflammatæ partis imponendum ſc. extus ſupra partem intûs dolentem, latitudine affecti loci præditum; hoc modo internus dolor ſopitur ſ. obſcuratur, ejusdemque effectus ſ. inflammatio debellatur, tali ratione utilitatem præſtare veſicatorium, ex eo probatur, qvod dolor ſub actu moleſto veſicatorii ſilens, hoc abſoluto ſæpe redeat.

Applicatio veſicatorii haud ſvadenda eſt, antequam impetus febrilis venæſectione aliqvoties inſtituta debilitatus ſit, alias ex irritatione veſicatorii indeque citata circulatione majus malum timeri, qvam bonum e ſedatione doloris exſpectari poteſt.

Cnratio ſuppurationis tres partes complectitur, ſc. maturare vel perficcre ſuppurationem; educere & auferre collectam & maturatam purulentam materiam; & demum effectus morboſos puris in maſſam ſangvinis reſorpti debellare.

1. Maturatio ſuppurationis modò locum habet in partibus externis & efficitur promovendo collectionem puris, donec durities dolens ſublata ſit; huic ſcopo qvadrant.

a) Emollientia parti affectæ immediate applicita, qvibus inflammata vaſa relaxantur & eò melius exſudantem materiem, qvæ ad ſuppurationem pertinet, transmittunt; partim cataplasmata ſic dicta ſ. pulmenta aut e pane ſiligineo cum lacte parata aut ex herbis ſ. ſpeciebus emollientibus cum granis avenæ coctis, qvænam calida omni bihorio renovata applicari poſſunt, etiam emplaſtrum diachylon compoſitum & ungventum baſiliconis in uſum trahuntur.

b) Conſervatio motus & caloris febrilis, utpote qvi ad ſuppurationem perficiendam reqviritur, ſuppuratione ideo incipiente venæſectio & nitroſa ſeponi debent, dum ſine emolumento æ-

grotum debilitant, & ſuppurationis progreſſum tardiorem reddunt.

c) Clauſum tenere abſceſſum ſ. ſuppuratam partem, illamqve non incidere, anteqvam maturatio ſupra deſcripta perfecta ſit; pus enim balſami adinſtar partem inflammatam emollit & colliqvat; illô igitur præmature ablato reliqvæ adhuc inflammatæ partis ſuppuratio difficilius peragitur.

2. Eductio ſ. evacuatio puris utplurimum ſpontanea naturæ vi poſt abſolutam maturationem perficitur, interdum ſi profundius hæreat, inciſio chirurgica reqviritur.

3. Effectus e pure reſorpto, ſi ſeſe exſerant ſc. febriles motus, ſudor, emaciatio corporis, debellantur cortice chinæ aut forma pulveris aut decocti ingeſto, nec non aqva ſelterana lacte commixta.

Curatio gangrænæ deſiderat.

1. Separationem partis corruptæ a ſana, qvod fieri ſolet ſcarificatione profunda, qva ſangvis putreſcens effluere poteſt, et deligatione cum ungvento terebinthinato.

2. Correctionem putredinis in parte affecta; herbæ amaræ & aromaticæ imprimis herba abſinthii & cortex chinæ, qvæ in vino & aceto coqvi poſſunt, liqvidum dein exprimi & mediante linteo ſæpius imponi; etiam pulvis corticis purus ulceri inſpergi vel aqva calcis mixtus applicari.

3. Confervationem virium, qvæ fub gangrænofo ftatu deficiunt & tamen ad putredinem vincendam neceffariæ funt. Decoctum chinæ acidum ideò duplici ratione & contra putredinem & debilitatem proficit & largiter ingeri debet, vinum & cerevifia fortis fub increfcente debilitate etiam in ufum trahi poffunt.

Divifio inflammationum internarum juxta partium affectarum differentiam aptisfime ad qvinqve genera referri poffunt fc. inflammationes capitis, colli, pectoris, abdominis & artuum.

GENUS Imum.

INFLAMMATIONES CAPITIS.

Huc duæ fpecies fc. Phrenitis & Otitis pertinent.

Species Ima.

PHRENITIS

Eft febris continua inflammatoria cum delirio conftanti f. effentialiter adjuncto.

Phrenitis dividi poteft in 1) protopathicam, qvæ ab alio morbo non dependet; deuteropaticam vel metaftaticam ex depofita materia alterius mor-

bi ad cerebrum, ſub qva primitivus morbus ceſſat; et 3) ſymptomaticam, qvæ merus effectus eſt alterius morbi et cum illo ceſſat.

Symptomata:

1. Communia febrilia, ſitis inſignis, æſtus pulſus celer tenſus, qvandoqve depreſſus, urina intenſe rubra, etiam pallida obſervata eſt.

2. Particularia & ſpecialia; qvandoqve præcurrentia ſymptomata in protopathica adſunt, ut capitis dolor notabilis, ſtupor vertiginoſus, oblivio, ſuſurrus vel tinnitus aurium, turbatus & impeditus ſomnus; qvandoqve morbus ipſe ſine his prænuntiis ſeſe monſtrat cum delirio ſ. perverſa imaginatione, judicio, & animi pathematibus enormibus, privata conſcientia ſui ipſius, inſomnia continua, tremore, imo convulſivo artuum motu.

Cauſæ remotæ.

1. Occaſionales: abuſus potus ſpirituoſi, imprimis ſpiritus vini vel frumenti; inſolatio ſ. expoſitio imprimis nudati capitis in ſolis radiis æſtuantibus; mentis labor; ſtudia nimia & pathemata, imprimis ira; vigiliæ diuturnæ; ſangvinis fluxus qvidam ſubito ſuppreſſus; metaſtaſis morboſa, uti lactea in puerperis, aut a pleuritide (vid. diar. 1785. Mart. no. 1) aut in febribus putridis obveniens (vid. diar. 1783. Mart. Auguſt. 1785. Jul. Auguſt. Sptbr. no. 1.)

2. Diſponentes: temperamentum cholericum; ætas juvenilis; tempus æſtivum; debilitas vaſorum cerebralium, imprimis per acriora ſtudia abuſum ſpirituoſorum, vel eundem morbum prægreſſum contracta.

Cauſa proxima eſt inflammatorius ſtatus cerebri vel ejusdem meningum, qvalis ſtatus & e ſymptomatibus concludi poteſt & per ſectiones demonſtratur.

Diagnoſtica ſigna ex ipſa definitione depromuntur ſc. acuta febre & delirio ab initio adjuncto; ſi ſymptomatica ſit phrenitis, e ſubito illius aggreſſu ſub altero jam præſenti acuto morbo cognoſci poteſt (vid. diar. 85. Mart. 2.); difficilius cephalitis lente oboriens dignoſcitur (vid. diar. 1785. Junii no. 3.)

Prognoſis

1. Duratio hujus morbi brevis vix ultra ſeptimum diem extenſa, poſt qvem in ſanitatem vel alios morbos tranſit, qvod imprimis de phrenitide protopathica valet.

2. Sanatio protopathici morbi fere ſemper ſperanda eſt ſub uſu tempeſtivo convenientis medelæ, natura ipſa illam promovet largo ſangvifluxu, narium præſertim, vel alio, ſuperveniente diarrhoea, effluxu purulento per nares vel aures; urina ſedimentoſa etiam boni ominis eſt. Phrenitis ſymptomatica dubii eſt eventus, metaſtatica præſertim.

3. Mortem timendam vel inſtantem deſignant neglecta tempeſtiva medela, convulſiones, ſingultus, ſtridor dentium, urina pallida, vomitus materiæ viridis, lethargus, ſudor pingvis, frigidus.

4. Reliqviæ posſibiles ſunt mania, fatuitas, coecitas, ſurditas.

Curatio phrenitidis protopatici paragenda eſt.

1. Misſione ſangvinis larga & crebra; ad lipothymiam usqve inſtituta venæſectio ſub initio morbi miræ utplurimum efficaciæ eſt, (vid. diar. 1785. Febr. n. 2, & Mart. n. 2); ſangviſugium per hirudines temporibus applicitas etim valde prodeſt.

2. Remediis antiphlogiſticis, nitro, camphora, moſco, ex. gr. mixturæ camphoratæ nitroſæ unciis octo cum quatuor granis moſchi ad cochlearia duo bihorio. Huc pertinent: aër purus, ſubfrigidus; potus largus, acidulus; victus vegetabilis.

3. Derivatione humorum efficienda: a) per alvi ſubductionem modice promotam, ſc. aut clysmatibus aut mixtura camphorata laxativa, qvæ cum moſcho juncta utplurimum per totum morbi decurſum ad modicam alvi laxitatem ſuſtinendam convenit; b) ungventum ſinapinum artubus applicitum; pediluvia atqve panni lanei aqva calida imbuti & artubus freqventer admoti etiam conveniunt.

4. Obtemperando naturæ moliminibus utilibus, incidentes ſc. evacuationes, hæmorrhagiam

narium, vel diarrhoem non impediendo; ſi tumores hæmorrhoidales adſint, hirudines illis applicare prodeſt.

5. Superſtitem cerebri debilitatem & reliqvias ex illa derivandas tollendo, cui ſcopo qvadrant liqvor nervinus ad guttas viginti bihorio vel rarius, abſtinentia ab animi laboribus & ſpirituoſis, atque ſi caput ſtupidum vertiginoſum permaneat, veſicatorium cervici appoſitum.

Phrenitis deuteropathica eandem medelam ac protopathica expoſcit; ſymptomaticæ autem cura juxta morbum primitivum determinanda eſt.

Species IIda.

OTITIS

Eſt inflammatio aures internæ.

Symptomata & ſigna ſunt: febris, dolor vehemens, conſtans, internus unius vel utriusque auris, adjuncta qvandoque deliratio. Ab otalgia rheumatica diſtingvenda eſt per doloris modum, qvi in hæc aut prorſus intermittit aut notabiliter remittit; dantur tamen caſus dubii, ubi tutiorem viam incedere, et morbum ut veram otitidem tractare opportet.

Eventus ſalutaris vix non ſemper ſperari poteſt per tempeſtivum ritæ medelæ uſum; e neglecta illa præſertim timendus eſt abſceſſus, ef-

fluxus puris cito vel tardius finiendus, qvandoque organi inde producta destructio, & auditus læsio; etiam in phrenitidem funestam transire potest morbus.

Curatio perficitur remediis solitis antiphlogisticis, venæsectione, hirudinibus pone aurem, nitroso camphoratis intus applicitis, & demum vesicatorio nuchæ; facta suppuratio injectionem freqventem decocti hordei vel avenæ desiderat, ut peregrina materies rite auferri qveat.

GENUS. II^dum.

ANGINA

Est dolor fixus, constans, internus faucium cum adjuncta febre continua.

Differentia anginæ ratione partium affectarum & modi affectionis præsertim quadruplex notanda est, sc:

1. Angina manifesta, ubi inflammatio in partibus faucium visibilibus locum habet, itaque sensibus detegi potest.

2. Angina occulta s. trachealis, a nonnullis membranacea vel polyposa, ubi inflammatio in larynge, vel trachea sedem habet.

3. Angina catarrhalis vel ſeroſa, ubi fauces ſimili circiter modo, ac ſub angina inflammatoria afficiuntur, verum fere absque ulla febre.

4. Angina maligna, ubi inflammatio citò ad gangrænam inclinat, vel febre, uti putrida, juncta vel ſæpe ſine ulla febre occurrens.

Symptomata & ſigna.

1. Anginæ manifeſtæ: febris cum pulſu celeri tenſo, dolor faucium minor vel major ſub deglutitione, hæc impedita aut difficilis, tumor rubens, dum lingva deprimitur, in partibus fancium, palato, uvula, tonſillis, aut omnibus, aut nonnullis apparens; majorem gradum deſignant dolor aurium propter inflammatam ſimul tubam Euſtachianam, loqvela & dimotio maxillarum impedita, dum inflammatio lingvam ſimul & muſculos occupat, reſpiratio difficilis anxia ob inflammationem ad glottidem qvoque extenſam, unde ſæpe facies & oculi tument rubentque.

2. Anginæ trachealis: præter febrem dolor pungens in ſede tracheæ, vox difficilis, rauca, tuſſis crebra, ſicca, clangoſa, reſpiratio celer, impedita, anxia, deglutitio fere illæſa, pulſus admodum celer, nullum vitium in faucibus apparens.

3. Anginæ ſeroſæ: dolor faucium & impedimentum deglutitionis minoris gradus, qvam in angina verè inflammatoria, tumor faucinm pallido rubeſcens; abſentia febris.

4. Anginæ malignæ: faucium ulcerofa conftitutio in tonfillis aut velo palatino cinerei vel fufci coloris; deglutitio modice læfa, interdum qvoqve concomitantia febris putridæ vel fcarlatinæ fymptomata. Infpectio faucium in omni angina ad ritam diagnofin reqviritur.

Caufæ remotæ anginæ.

1. Aeris nociva indoles: aut frigus æftuanti & fudanti corpori admiffum, vel nimis violente fub rapido contra ventum motu irruens, aut alia illius conftitutio acris epidemica, cui febris anginofa qvandoqve vulgaris et maligna adfcribenda eft.

2. Motus fortis partium ad fauces pertinentium, uti per cantum, vociferationem, tubarum inlationem.

3. Acria & irritantia faucibus applicita, ut fumi tales cauftici minerales, corpora peregrina, dura, acuta.

4. Morbi varii anginam fecum ducentes vel generantes, uti imprimis febris fcarlatina nec non morbillofa, phthifis; huc referri poffunt arthritis retropulfa, rheumatismus, falivatio mercurialis refrigerio fuppreffa.

5. Difpofitiones: plethora, juvenilis ætas, morbus idem prægreffus.

Prognofis.

1. Sanatio fperanda eft in manifefta angina remediis aptis tempeftive tractata, ferofa adhuc

facilior ſanatu eſt, boni ominis habentur hæmorrhagia narium & tumor partium externarum.

2. Suppuratio exſpectanda eſt, ſi antiphlogiſtica medela in angina inflammatoria negligitur, dolor tunc minuitur, tumor autem permanet, molleſcit, albeſcit; in angina manifeſta abſceſſus formatus ſponte disrumpitur &, facto effluxu, morbus ceſſat; anginæ trachealis in ſuppurationem converſæ vel obſervatur felix eventus per exſcreationem puris (vid. diar. 1783. Septbr. No. 7;) vel rarius permanet ulcus tracheale pus in pulmones continuo deſtillans & pthiſin producens.

3. Mors poſſibilis in ſummo anginæ etiam manifeſtæ gradu, unde aëris influxus impediri itaqve ſuffocatio fieri poteſt; in angina tracheali infauſtus ille morbi eventus adhuc ſæpius et intra paucos dies imo horas occurrit, præſertim apud infantes; angina maligna periculum febris putridæ & adhuc majus habet, nam per ſe vix non et qvidem ſat cito lethalis eſt, ritis autem remediis tempeſtive adhibitis juxta meam experientiam ſemper cedit raro in ſuppurationem verſa ſub puris exſcreatione ceſſans vel etiam ſuffocans.

Curatio anginæ inflammatoriæ manifeſtæ perficienda eſt.

1. Sangvinis miſſione, qvo citius, eò melius inſtituenda, & ad plures vices bis terve nychtemero repetenda, donec dolor ceſſet, vel notabiliter remittat; hirudines extus applicitæ, vel in

regione tonſillarum, vel circa laryngem citum juvamen afferre ſolent; qvamdiu morbus nondum in ſuppurationem converſus ſit hæc de venæſectione regula valet.

2. Antiphlogiſticis internis ſolitis, potu diligenti acidulo, camphoratis, imprimis mixtura camphorata acida bihorio ſumta.

3. Collutione oris crebra imprimis per infuſum herbæ ſalviæ calidum cum admixtis melle roſato & aceto; ſolam hujus retentionem in ore præfero gargariſationi, utpote hinc motus & frictio in partibus inflammatis vix non noxia excitatur; qvaodoqve mixtura camphorata acida pro tali collutione adhibita egregie juvavit.

4. Alvi ſubductione, qvæ altero vel tertio die per laxans validius, derivationis ſcopo, efficitur, deinceps, ni ſponte procedat, ad naturalem, norman promovetur; utrumqve mixtura camphorata laxativa, primò largiori doſi, dein minutis, abſolvit; etiam illius loco clysmata conveniunt.

5. Externis derivantibus & diſcutientibus, qvalia ſunt linimentum volatile camphoratum collo antico freqventer inunctum, ungventum ſinapinum vel veſicatorium in nucha admodum utile, die circiter tertio vel ſerius poſt venæſectionem aliqvoties repetitam applicandum; huc pediluvia qvoqve annumerari poſſunt et ſinapiſmi ſuris vel plantis pedum qvotidie admoti.

Curatio ſuppurationis, qvæ præſertim in tonſillis locum habet, conſiſtit primò in maturatione ſurgentis & obſervati abſceſſus, cui ſcopo imprimis qvadrat crebrò in ore retentum lac calidum, in qvo flores ſambuci vel ficus decocti ſunt; dein in apertura formati abſceſſus, qvæ non ſponte facta, & minante periculo ſuffocationis ob nimium abſceſſus volumen, ope lanceolæ & inciſione chirurgica promoveri debet; & tandem in depuratione ulceris, qvæ ſat cito mediante allato collutorio abſolvi ſolet.

Curatio anginæ ſeroſæ ſ. catarrhalis peragitur pediluviis, laxantibus repetitis, linimento volatili camphorato extus inuncto, linctu ex mellis roſati uuciis duabus et eſſentiæ pimpenellæ albæ drachma compoſito & freqventer ad cochlearia minora lente deglutiendo; qvandoqve veſicatorium in nucha etiam deſideratur.

Curatio anginæ malignæ ſive ſolius ſive cum febre junctæ inſtituenda eſt juxta methodum de ſcarlatina ſupra traditam, qvæ votis meis ſemper reſpondit.

Curatio anginæ trachealis perficitur ſæpius ſangviſugio hirudinum circa laryngem largo, repetito, ſacculo aromatico camphorato collo applicito, emulſione camphorata cum moſcho; ſed vidi qvoqve, his fruſtra tentatis, mercurium juvaſſe ad granum vel grana duo cum opii grano dimidio bihorio porrectum, et dein, reſpiratione liberiori,

oxymell fcilliticum, fi opus eft cum fyrupo mannato, ad alvum et exfcreationem movendam. Emetica fufficiens experientia noxia probavit.

GENUS IIItium.

INFLAMMATIONES PECTORIS.

Qvæ vifcera in cavitate pectoris contenta afficiunt, atqve juxta horum differentiam ad triplicem fpeciem referri poffunt: 1) Pneumoniam in pleura vel pulmonibus vel utrobiqve locum habentem. 2) Carditidem, cor afficientem. 3) Diaphragmitidem f. paraphrenitidem feu diaphragmatis inflammationem.

Species Ima.

PNEUMONIA.

Eft febris continua cum dolore conftanti fixo pectoris, tuffi, dyfpnoea.

Plures medici diftingvunt hunc morbum in pleuritidem, ubi dolor pectoris punctorius eft, & fedes inflammationis in pleura ftatuitur; peripneumoniam, ubi dolor prefforius animadvertitur cum fuppofita fede morbi in pulmonibus; & pleuro-peripneumoniam f. inflammationem pecto-

ris compoſitam ex conjunctis utriusqve allatæ partis affectione & dolore; cum verò hi morbi, excepta dicta doloris differentia, in reliqvis omnibus ſeſe prorſus referant, ut inutilis evitetur prolixitas, ad unicam ſpeciem illos referre opportet.

Symptomata pneumoniæ.

1. Febrilia, frigus initio communiter ſat grave, poſtea æſtus continuus, ſitis, lingva varia ſæpius albeſcens, urina utplurimum rubeſcens, initio clara ſub decremento morbi ſedimentoſa, pulſus celer tenſus, qvaſi contractus in pleuritide, mollior qvandoqve depreſſus & irregularis in peripneumonia, rarò adjuncta eſt cephalalgia & aliqvalis deliratio.

2. Pectoralia: a) dolor ipſe fixus conſtans differentem regionem pectoris ſæpius lateralem occupans, aut punctorius, aut preſſorius, ſub tuſſi & inſpiratione profunda increſcens; b) dyſpnoea minor majorve qvandoqve anxietatem ſecum ducens; c) tuſſis aut ſicca potiſſimum initio, aut humida cum ſputo mucoſo ſangvine minus magisve tincto, d) decubitus utplurimum moleſtior in latere affecto qvam in oppoſito.

Gradus morbi determinandus eſt ſecundum doloris gravitatem, extenſionem, & imprimis concomitantem dyſpnoeam; maximus eſt morbus, qvi decubitum non permittat, ſed ad ſitum erectum cogat.

Cauſæ remotæ.

1. Aeris inſpirati nociva conditio, uti frigus gravius, vel diuturnum, imprimis æſtuanti corpori admiſſum; vapores acres minerales ſulphurei, arſenicales, aliiqve ſimiles.

2. Infrigidatio notabilis corporis, præſertim calefacti; hujus expoſitio verſus aſpirantem aerem frigidum; aut potus largus frigidus ſub tali ſtatu ingeſtus.

3. Acrimoniæ & irritamenta varia ad pectoris viſcera converſa, vel in iisdem collecta, uti tubercula pulmonis, miasma morbilloſum, ſcarlatinoſum, pus varioloſum, vel ex ulceribus conſolidatis, morbis cutaneis exſiccatis, materia arthritica, aut rheumatica.

4. Diſpoſitiones; pectus anguſtum gibboſum, conſtitutio plethorica, vitæ genus laborioſum, abuſus potus ſpirituoſi, morbus idem prægreſſus.

Cauſa proxima pneumoniæ eſt ipſe ſtatus inflammatorius aut pleuræ, aut pulmonum, aut utriusqve partis ſimul; levior morbus ex inflammatione vaſorum bronchialium, gravior ex inflammatione profundiore vaſa pulmonalia ſimul occupante.

Nexus ſymptomatum pneumoniæ cum allata cauſa facile perſpicitur; ex inflammatione dolor; e dolore tusſis; ex accumulatione nimia ſangvinis & vaſis repletis compresſio cellularum, aeris

hinc impeditus influxus atqve dyfpnoea; e vafis nimium diftentis ofculorum apertura vel ruptura, transmiffus fangvis, ejusdemqve expectoratio intelliguntur.

Diagnoftica figna.

1. Generalia pneumoniam indicantia funt notæ definitionis ejusdem fc. dolor conftans punctorius vel prefforius, dyfpnoea, tusfis, pulfus febrilis utplurimum tenfus.

2. Levioris gradus: dolor qvoad gravitatem & extenfionem modicus, dyfpnoea tolerabilis.

3. Gravioris gradus, dolor magnam pectoris regionem, vel latus integrum, vel utrumqve f. totum pectus occupans, & opprimens; dyfpnoea notabilis anxietatem & inqvietudinem multam fecum ducens, imo ad fitum erectum cogens, interdum vomitum excitans, pulfus parvus irregularis, deliratio, gena alterutra vel utraqve rubens, qvæ circulationis in pectore fumme difficilis effectus & figna funt.

4. Latentis f. occultæ pneumoniæ, ubi nullus in circumfcripta parte dolor fentitur, vel tantum levis qvafi tranfitorius fub infpiratione profunda vel fufpiriis; tusfis ficca crebra brevis, dyfpnoea, pulfus celer fæpe fat parvus, anorexia, incipiens corporis confumtio attento medico fufpectum reddunt angvem fub herba latentem, qvi non fat tempeftive ablatus pthifin inducit.

5. Pneumonia infantum cognoſcenda eſt ex cauſa prægreſſa, frigore febrili, reſpiratione difficili, pronitate decumbendi in uno latere; pulſu celeri, tusſi ſicca præſertim ſub ejulatu.

Exitus pneumoniæ potisſimum triplex posſibilis eſt ſc. in ſanitatem, in abſceſſum, in mortem.

1. Sanatio pneumoniæ ſperanda eſt:

a) Sub modico morbi gradu, bona qvodammodo ægri conſtitutione, & debitis remediis tempeſtive adhibitis.

b) Sub doloris notabili decremento intra primos præſertim ſeptimos dies accidente, nec non ſub migrante dolore ad alias pectoris regiones.

c) Sub evacuationibus levatoriis ſc.: 1) expectoratione bene procedente, initio mucoſa ſtriis ſangvineis mixta, ſæpe dein puriformi largiori, hæc communis pneumoniæ criſis deprehenditur, etiam ſed rarò expectoratio bilioſa obſervatur (vid. diar. 1785 Junii no. 3.) 2) ſudore univerſali copioſo diebus criticis incidente uti die 4to, 7mo, 9no, 11mo, etiam ſerius uti die 21mo (diar. 1784 Maj. no. 3.) Urina ſedimentum deponens etiam criſeos ſignum exhibet. Diarrhoea ſub progreſſu morbi modica, nec non hæmorrhagia narium primis diebus occurrens & copioſa, potius pro levatoriis excretionibus, qvam revera criticis cenſendæ ſunt.

2. Suppuratio f. abfceffus pulmonum pneumoniam finiens exfpectari poteft, & indicatur perfeverantia inflammationis ultra 14 dies, mutata doloris acuta & punctoria indole in gravativam, tusfi ficca, dyfpnoea, decubitu molefto vel intolerabili in latere fano, horripilatione crebra irregulari, febre continuante imprimis vefpertina, fudoreqve nocturno. Talis fuppurati pulmonis ftatus, vomica claufa nuncupatus, variam terminationem habere poteft fc.

a) Rupturam abfceffus pulmonalis in vafis trachealibus, utplurimum hinc feqvitur expectoratio purulenta poft aliqvod tempus & factam plenariam evacuationem in fanitatem finita; etiam posfibilis, attamen rarisfima, eft tam copiofa puris effufio in trachea, ut fuffocationem inducat.

b) Rupturam abfceffus in cavitate pectoris cum effufione puris ibidem, qvæ empyema vocatur (vid. diar. 1782 Mart. No. 5 & 1785 No. 9.) Hoc factum adfignant fubita & fingularis fenfatio affecti pectoris, remisfio temporaria moleftorum fymptomatum abfceffui claufo competentium, cito autem recudefcens & increfcens pectoris oppresfio tandem & neceffario ægrotum fuffocans.

c) Perfeverantiam vomicæ claufæ ejusdemqve tantum incrementum, ut pulmonis maxima pars in pus convertatur (vid. diar. 1783 Maj no. 5 & Jul. no. 8 atqve 1784 Novbr. no. 9) vel fuffocatus ob refpirationis notabile impedimentum,

vel hecticus ob reforptionem puris, vel apoplecticus ob fangvinis impeditum defcenfum æger moritur.

d) Extenfionem vomicæ ad partes pectoris externas, cujus fignum eft tumor qvandoqve inflammatorius in interftitiis coftarum, ex qvo pus educi poteft.

3. Mortem inducunt & prænunciant:

a) Summus inflammationis gradus ambos pulmones occupans, & refpirationi ineptos reddens; primis morbi diebus talis eventus accidit.

b) Gangræna, qvam minantem indicant magnus inflammationis gradus, remediis non minutus atqve fputum malignum fufcum, nigrefcens, foetidum, imo qvafi frufta dilacerata ipfius pulmonis fecum ducens (vid. diar. 1782. Aug. no. 2;) præfentem gangrænam monftrant doloris fubita ceffatio, fuppreffa expectoratio, refpiratio anxia ftertorofa, a fibilatione bene diftingvenda, facies collapfa pallido-flavefcens, pulfus celer parvus irregularis, artus frigide & vifcide fudantes.

4. Reliqviæ morbofæ, pneumoniæ effectus poft eandem perfiftentes, effe poffunt; a) collectio ferofa in cavitate pectoris, demum hydrothoracem efficiens (vid. diar. 1783. Mart. n. 7. & n. 8. & 1784. Maj. n. 5.) b) concretio pulmonum cum pleura, qvalis læfio perdiu fine notabili fanitatis noxa adeffe valet. c) qvæ tubercula fchirrofa pulmonum fæpius in demortuis inventa, forfan

ut causa, forsan etiam ut effectus pneumoniæ æstimari qveunt.

Curatio pneumoniæ perficienda est: 1) missione sangvinis tempestiva & sufficienti, 2) auxiliis febrem & dolorem sedantibus, 3) excretiones salutares imprimis expectorationem promovendo & sustentando.

1. Venæsectionis conveniens usus respicienda exhibet.

a) Opportunum illius tempus, qvod morbi initium s. primi dies præcipui constituunt; sera tamen venæsectio etiam tanqvam utilis admittenda est, qvamdiu sc. dolor est notabilis & pulsus fortis s. dum signa suppurationis & gangrænæ nondum præsto sunt; non raro pneumoniæ causam sistit rheumatica materies, cujus lentus est progressus in dictas terminationes, cuiqve ideo etiam sera venæsectio prodesse potest. (vid. diar. 1781. Maj. n. 2. 1785. Octbr. n. 2. & 1786. Maj. 3.) Fluxus menstruus forsan præsens venæsectionem haud prohibet.

b) Copiam mittendi sangvinis & missionis repetitionem; prima vice sedecim unciæ educi possunt, postea duodecim vel octo qvavis vice sufficiunt; repetitionem ipsam indicant & determinant gradus & perseverantia morbi sc. doloris, dyspnoeæ, & citati pulsus; donec hæc notabiliter remittant vel cessent, venæsectio repetenda est, etiam ad sex vel octo vices, imo pluries, qvamvis

inferior terminus ſæpius ſufficiat; bis terve qvotidie talis fieri poteſt repetitio, qvæqve eò innocentior & utilior æſtimari debet, qvò citius in morbo inſtituitur: in maximo pneumoniæ gradu, ubi pulſus valde depreſſus & celer obſervatur cum anxia & ſumma orthopnoea venæſectionem, ſaltem repetitam non ſvadebo, ne illi mors, per ſe neceſſaria adſcriberetur. Apud infantes hirudines ſex vel octo loco venæſectionis applicandæ ſunt imo repetendæ in latere affecto ſeu in qvo æger decubitum abhorret.

2. Auxilia febrem & dolorem ſedantia ſunt:

a) Remedia intus ſumenda: nitrum & camphora indeqve factæ compoſitiones; mihi potisſimum in uſu eſt emulſio camphorata ad cochlearia duo bihorio, vel mixtura camphorata nitroſa; ſi alvus forſan obſtipata ſit, pulvis e nitri & lactis ſulphuris ana ſcrupulo, camphoræ grano paratus, bihorio, loco alterius medicinæ, exhiberi poteſt, donec alvus aperiatur.

b) Diæta antifebrilis, ut potus largus freqvens tepidus, victus vegetabilis, aer cubiculi modice calidus, abſtinentia ab omnibus calefacientibus, ut & a motu animi atqve corporis imprimis locutione multa, qvæ influxum noxium immediatum in affectos pulmones habet.

c) Veſicatorium vel ungventum ſinapinum dolenti loco, & hujus extenſioni reſpondens, applicandum; in univerſum non ante qvintum vel

ſextum morbi diem, & poſtqvam repetita venæſectione febris & dolor diminuta ſint, hoc qvadrat auxilium; interdum citius permitti poteſt, ſi nimirum rheumatica vel arthritica pneumoniæ indoles e doloribus artuum in hanc converſis manifeſto demonſtretur, in qvo caſu præmiſſa una alterave venæſectione veſicatorium admoveri poteſt. (Monita circa veſicatorium non nimis cito applicandum vid. diar. 1786. Novbr. 3. & 1787. Maj. 1.)

3. Expectoratio, pneumoniæ freqventisſima criſis, juxta ſeqventes regulas tractanda eſt:

a) Ad ſextum circiter morbi diem expectoratio ſibi ipſi relinqvenda eſt, utpote nondum critica, & qvia inflammatio hactenus cruda æſtimari debet; hoc tempore methodus ſupra allata antiphlogiſtica qvadrat & ſufficit.

b) Expectoratione poſt hunc terminum valde ſangvinea obſervata, taliqve pergente etiam methodum ſolam antiphlogiſticam continuare oportet, nec expectorationem ullis promovere remediis, utpote qvibus ſputum adhuc magis ſangvineum redderetur.

c) Expectorato autem ſputo, vel non, vel leviter ſangvineo, alias mucoſo, flaveſcenti, denſiore obſervato, ſic dicta expectorantia ad depurandos pulmones & exſudantem materiem evacuandam apprime qvadrant, aut decoctum radicis ſenegæ ad cochlearia duo bihorio vel trihorio,

aut kermis mineralis granum cum fachari fcrupulo bihorio alternatim cum emulfione camphorata exhibitum; hoc ultimum validius æftimo expectorans ideoqve fub notabiliore expectorationis difficultate decocto fenegæ præfero, fi alvus forfan laxa obfervetur, gummi arabicum loco fachari kermi apponendum eft; etiam fcopo expectorandi qvadrat & juvat veficatorium amplum pectori medio vel inter fcapulas applicandum, ideoqve, etiamfi antea fcopo doloris compefcendi adhibitum fuerit, attamen repetendum; etiam vapor emolliens per aptam machinam infpiratus in fummis anguftiis profuit. Tandem fi expectoratio largior puriformis diuturna fiat, & vires decrefcant, jufculum fecalinum mane fumendum atqve decoctum chinæ cum fenega bihorio vel rarius in ufum trahendum eft; expectoratio etiam tanta effe poteft, ut validiora roborantia & fiftentia defiderentur (vid. diar. 1783 Auguft no. 9.)

d) Expectoratione prorfus nulla provenien-te, qvi cafus perrarus eft; remedia ad illa promovendum haud locum habent, fed folis, qvamdiu febris permanet, antiphlogifticis uti opportet.

Diarrhoea modica nullam infert noxam, emulfionen camphoratam absqve nitro expofcit, & gummi arabicum expectorantibus adjunctum. Hæmorrhagiæ forfan incidentes fibi ipfi funt relinqvendæ.

Curatio fuppurationis pulmonalis:

1. Vomica adhuc clausa signis supra allatis denotata vix aliam admittit opem, qvam diætam antiphlogisticam, diligentem potum, qvodammodo calidum & emollientem, uti jusculum secalinum & lac, etiam laudatur vapor aqvæ calidæ inspiratus, aut mediante spongia, aliave convenienti machina, qvibus omnibus ad rupturam, abscessus disponitur; motum corporis uti vectionem, eqvitationem, lectionem etiam ad abscessus rupturam promovendam medici commendant. (Candidatus qvidam medicinæ nosocomii tali vomica afflictus & ad ultimas angustias redactus sella portatoria per sat longam viam ad parentes ducebatur, ut in gremio eorundem moriretur, facto itinere ruptus fuit abscessus cum inseqventi expectoratione purulenta largissima, diuqve continuante, per copiosum lactis usum viribus pauxillum restauratis, abscessus etiam in pectore affecto formabatur ex interna sede pus effundens, qvod ulcus cauta deligatione tractatum demum consolidabatur, itaqve æger plenariò restitutus vices utilis medici practici & physici per annorum seriem perfecit; mihi alterum occurrit exemplum sutoris, in qvo materia vomicæ per integumenta pectoris sibi viam fecit cum fausto eventu.)

2. Vomica apertâ in trachea s. ita disrupta, ut pus in abscessu pulmonum collectum tussi ejiciatur, reqviritur victus blandus nutriens e lacte, decoctis hordei vel avenæ, aut jusculo secalino,

ſi expectorationis obſervetur difficultas, expectorantia ſupra allata contra ipſam pneumoniam commendanda ſunt. Si vires nimis lente redire videantur, decoctum chinæ cum ſenega prodeſt, præcipuum emolumentum ex oleo aſphalti ad guttas ſex mane & veſpera ſumtas obſervavi, ſi pus minus laudabile vel foetidum proveniat (vid. diar. 1787 April 3, Septbr. 3, Octobr. 3.)

3. Vomica aperta intra pectus cum effuſo pure in cavitate pectoris, qvalis ſtatus empyema dicitur, cito per mortem terminari ſolet, ideoqve medicationem prævertit; ſi locus qvidam e materie exteriora verſus urgente tumeat, paracenteſin ibidem inſtituere ſvadetur, verum parvam ſanationis ſpem habet hæc operatio.

4. Vomica aperta extra pectus ſ. exitum qværens & habens in interſtitiis coſtarum per integumenta communia primò, ſi tanqvam abſceſſum nondum maturum ſeſe monſtret, ad mollitiem debitam cataplaſmatis uſu perducendus eſt, & dein, ni ſponte aperiatur, incidendus, ſubſeqvens deligatio ita adminiſtranda eſt, ut ipſi potiſſimum naturæ conſolidationis opus relinqvatur, qvod interdum absque noxa ut in ſupra allatis exemplis perficitur; interdum remanet ulcus diuturnum.

Peripneumonia maligna & notha diſtinctiones litteratorum potius, qvam veræ in praxi occurrentes æſtimandæ ſunt; prior complicationem pneumoniæ cum febre putrida, poſterior pneu-

moniam ex arthritica vel rheumatica caufa orientem denotat.

Species IIda.

CARDITIS

Inflammatio cordis.

Symptomata & figna præter febrilia communia funt dolor in regione cordis, pulfus intermittens, anxietas, palpitatio, tuffis nulla.

Eventus rari hujus morbi ob nobilitatem affecti vifceris utplurimum letalis eft, (morbum hunc apud demortuos detectum vid. diar. 1783. Februar. no. 4. & 1784. Octbr. no. 6 & no. 7. nonne fanatus fuit in exemplo diar. 1786. Jul. no. 5.)

Curatio inftituenda eft per methodum folitam antiphlogifticam potisfimum venæfectiones largas & repetitas.

Species IIItia.

PARAPHRENITIS

Inflammatio diapragmatis.

Symptomata & figna rari hujus & periculofi morbi præter ipfam febrem funt dolor in una alterave regione diaphragmatis, refpiratio celer brevis fere absque obfervato abdominis motu, tusfis ficca, fingultus, deliratio.

Curatio desiderat medelam solitam antiphlogisticam, cui etiam moscus qvatenus spasmum noxium diaphragmatis compescens apponi debet.

GENUS IV$^{tum.}$

INFLAMMATIONES ABDOMINALES.

Qvæ locum habent in viscere qvodam ad cavitatem abdominis pertinente, e qvanam differentia variæ surgunt species.

Species I$^{ma.}$

HEPATITIS s. INFLAMMATIO HEPATIS

Est febris continua cum dolore fixo in regione hepatis, sive illius superficie convexa sive concava.

Symptomata & signa:

1. Communia utriqve hepatitidis sedi sunt generalia febrilia, dolor in cardia vel hypochondrio dextro interdum ad lumbos, sitis, pulsus celer tensus, qvandoqve singultus & alvi segnities.

2. Propria inflammationem convexæ hepatis superficiei indicantia, augmentum doloris sub pressione externa, tussi, respiratione profun-

da, decubitus minus tolerabilis in latere affecto, nonnulla dyfpnoea.

3. Propria hepatitidi internam jecoris fuperficiem occupanti, naufea, vomitus fpontaneus, color ictericus cutis & urinæ, excrementa albida.

Caufæ hepatitidis effe poffunt.

1. Pathemata animi validiora, imprimis ira & terror.

2. Hauftus largus frigidus incalefcente corpore fumtus (vid. diar. 1783. April no. 7.)

3. Vomitus validus vel protractus fponte vel arte citatus.

4. Contufiones in hepar directæ (vid. diar. 1785. Sptbr. no. 12.)

5. Acrimoniæ variæ indolis ad hepar depofitæ rheumatica, arthritica, metaftatica, uti poft retrogreffum tumorem crurum (vid. diar. 1784. Auguft. no. 12.)

Eventus hepatitidis.

1. In fanitatem fperandus eft e rita medela tempeftive adhibita, & dolore fub illa fenfim decrefcente. Diarrhoea biliofa, hæmorrhagiæ narium vel ani, fudor univerfalis calidus, urina fedimentum deponens, alvi antea obftipatæ reftitutus fluxus, levatoriæ & falutares excretiones judicanda funt.

2. In fuppurationem f. abfceffum hepatis limendum e neglecta debita medela, protracta duratione febris & doloris, atqve hujus mutatione

in gravativum, qvi decubitum in latere finiftro non tolerat, atqve horripilatione crebrò recurrente; hepatis abfceffus fere femper letalem finem vario tamen modo habet.

a. Per ductus hepaticos pus ex abfceffu in canalem inteftinorum transmitti valet, indeqve per vomitum & diarrhoeam evacuari, fanatio hinc qvidem poffibilis eft, fi modica fuppuratio adfuerit (vid. diar. 1783. Augufl. no. 3,) fæpius letalis eft eventus imprimis per tabem concomitantem (vid. diar. 1784. Maj. no. 10. & 4785. Sptbr. no. 12.)

b) Abfceffus ruptura fieri poteft in cavitate abdominis, cuius effectum obfervavi fubitaneam mortem, aut enteritidem gangrænofam (vid. diar. 1785. Junii no. 9.)

c) Abfceffus etiam extrorfum fpectare poteft & tumorem formare, nec non ad diaphragma propagari, illudqve atqve adjacentem pulmonem in fuppurationem convertere cum lethali eventu (vid. diar. 1785. Sptbr. no. 12.) Aliud mihi occurrit exemplum, ubi infignis talis abfceffus in cardia formatus et apertus largiffimum pus cum numerofiffimis hydatidibus effundebat pofteaqve tuffis acceffit purulenta foetida, attamen poft plures qvidem menfes fanitas integra reftituta fuit.

d) Abfceffus hepatis permanens absqve ruptura ob tabem letalis fit (vid. diar. 1784. Octbr. no. 8. & 1785. Junii no. 7.)

3. In gangrenam, & mortem ideo citius accedentem, ſub qvali terminatione ſubito ceſſat dolor cum pulſu celeri exili & artuum frigido ſudore (vid. diar. 1783. Februar. no. 5 & April no. 3 & 1784. Auguſt no. 12 & 1786. April no. 8. citisſime letalem ex inflammatione cyſtidis felleæ vid. diar. 1784. Jul. no. 13.)

4. In infarctum ſ. obſtructionem hepatis (vid. diar. 1783. Junii no. 3. & 1785. Februar. no. 6.) qvæ ſeqvela tamen curabilis æſtimari poteſt, (vid. diaria ibidem.)

Curatio hepatitidis, uti alterius inflammationis, peragenda eſt.

1. Venæſectione ter qvaterve repetita, vix adeo freqventer ac in alia inflammatione ob circulationem ſangvinis in hoc viſcere tardiorem, ſi forſan tumores hæmorrhoidales adſint, ibidem hirudines applicare prodeſt.

2. Internis antiphlogiſticis, uti mixtura camphorata acida bihorio ad cochlearia duo, cui ſub ſingultu pauxillum moſci apponi poteſt, qvæque ſi vomitus moleſtus urgeat, alternatim cum julapio ſalino adhiberi poteſt; potus copioſus ſit, acidulus, uti ſerum lactis.

3. Externis talibus, primis diebus convenit diligens inunctio linimenti volatilis camphorati in regione affecta, qvarto circiter die veſicatorium ibidem applicandum eſt, vix unqvam in hepatitide omittendum, qvippe non modo inflammationi ip-

ſi conveniens, ſed qvoqve ad indurationem inſeqventem prævertendam proficuum.

4. Laxantibus contra ſegnitiem alvi huic morbo communem; ſub doloris graviore gradu enematibus emollientibus oleoſis qvotidie injiciendis vel mixtura camphorata laxativa hic ſcopus impleri debet; dolore autem notabiliter diminuto confert per tres qvatuorve dies exhibere pulverem e radicis rhei nitri depurati ana ſcrupulo, camphoræ granis duobus confectum omni mane & veſpera; hoc non modo exoneratur alvus, ſed circulatio humorum hepatis ſpecifica rhabarbari virtute in ordinem debitum redigitur.

Curatio ſuppurati hepatis rariſſime & in unico caſu, ubi modicus abſceſſus ad canalem inteſtinorum pus contentum transmittit, locum habens deſiderat promotionem evacuationis per leniſſima remedia uti ſolutionem mannæ calabrinæ, ſerum lactis pro potu, &, completa demum evacuatione, tincturam rhei aqvoſam ad hepatis vaſa & inteſtina corroboranda.

Curatio infarctus hepatis reſolventibus peragenda eſt, cujus completior memoratio ad hepatalgiam pertinet.

Ad inflammationes abdominis adeo raras, ut ſingulari mentione haud opus habeant, pertinent Splenitis ſ. lienis inflammatio, nec non omenti, pancreatis & peritonei inflammatio, qvæ omnes

e ſede doloris & adjuncta febre dignoſcendæ, atqve cura antiphlogiſtica communi tractandæ ſunt; inflammatio peritonei mihi aliqvoties occurrit, cognita e triplici adjuncto ſigno ſc. inflammatorio dolore abdomen fere integrum occupante, ejusdem expanſione, alviqve illæſo fluxu, qvalem diagnoſin demortui ſectio probavit (vid. diar. 1786. Sptbr. no. 7.; lienis ſuppuratio notabilis occurrit in diar. 1787. Decembr. no. 5.)

Species II^da.

GASTRITIS

Inflammatio ventriculi etiam rarus morbus.

Symptomata & ſigna.

1. Febrilia communia, frigus initio, ſitis notabilior, pulſus celer tenſus, qvandoqve non febrilis, urina rubra.

2. Particularia, dolor ipſe in regione ventriculi conſtans a preſſione externa, & maxime ab ingeſtis adauctus, vomitus partim ſpontaneus, præſertim & mox poſt ingeſta, eructatio, ſingultus, anxietas, alviqve obſtipatio, attamen non conſtans. In lenta ventriculi phlogoſi dolor præſertim ab ingeſtis aggravatur et vomitus ex iisdem revocatur.

Cauſæ gaſtritidis.

1. Ingesta acria, valide irritantia, ut venena, arsenicum, mercurius sublimatus, & similia, medicamenta drastica, emetica, purgantia, etiam potus largus frigidissimus incalescente corpore haustus.

2. Morbosæ acrimoniæ ad ventriculum depositæ imprimis arthritica, rheumatica, metastatica.

3. Externa violentia, contusio, vulneratio.

4. Animi pathemata graviora, ut ira, indignatio.

Eventus gastritidis:

1. In sanitatem possibilis sub justa adhibita medela, morbiqve gradu & causa mitiori.

2. In gangrænam & mortem timendus ab omissa medela, gradu morbi enormi & validisfime agentibus causis, uti venenis; terminus talis jam præsens indicatur doloris plenaria cessatione, pulsu celeri exili, sudore frigido, excretione alvi involuntaria.

3. In suppurationem, cujus signa & exitus eadem sunt ac in hepatitide, a me ipso nunqvam observatam & sine dubio rarissimam.

4. In scirrhum s. indurationem partis cujusdam ventriculi circa pylorum præsertim vel circa cardiam, unde vomitus incurabilis demum vires prorsus consumens (vide vomitum hecticum.). Etiam enormen ventriculi tam expansionem qvam

angustationem indeqve natam hecticam consumtionem, ut effectus gastritidis observavi.

Curatio gastritidis perficitur

1. Venæsectione, qvæ citò, copiose & freqventer instituenda est, donec dolor & reliqva morbi symptomata cessent; nulla inflammatio magis qvam canalis intestinalis phlebotomiam desiderat, & tolerat; ad qvatuordecim vices illam, si opus fuerit, repetii: etiamsi medela initio neglecta sit, & morbus diutius duraverit, tamen sola fere sanationis spes in venæsectione ponenda est.

2. Remediis camphoratis, ex. gr. emulsione communi unciis octo, cum camphoræ granis octo, ad cochleare majus omni hora, & si singultus simul adsit, mosci granis qvatuor; solitò minor dosis camphoræ huic morbo qvadrat ad præcavendam irritationem; camphorata talia etiam post sublatum dolorem aliqvot diebus continuanda sunt, ut inflammationis omne vestigium & dispositio deleri qveant.

3. Ingerendis, potu & alimentis blandissimæ indolis; qvamdiu dolor durat, solum decoctum avenæ aut hordei cum pauxillo sachari, infusum theæ, emulsionem amygdalarum dulcium permitto, & hæc qvidem tepida, parcà, sed eo crebriore dosi, ne pondus ventriculum affectum irritet; devicto dein morbo & redeunte appetitu jusculа carnea leviora cum emollito pane triticeo, jusculа alia e cerealibus solito modo confecta, pisces flu-

viatiles, pauxillum vini aqva commixtum; taleque vitæ genus ad octo ſaltem dies pro avertenda reverſione morbi, alias ſat facili, deſideratur. (Comitem qvendam tractavi, cujus ventriculus poſt ſufficientes licet inſtitutas venæſectiones adeo fiebat ſenſibilis, ut minimus ingeſtorum ſtimulus mox vomitum citaret, ſola ideo emulſio amygdalina per alipvot dies ſumebatur, qvo modo enormis ſenſibilitas tollebatur, & curationem dein minutæ doſes camphoræ complebant.)

4. Externis abdomini applicitis, uti linimento volatili diligenter inuncto, & poſt tres qvatuorve dies atque venæſectionem repetitam impoſito, ſi dolor perſeveret, veſicatorio.

Curatio abſceſſus & ſcirrhi ventriculi haud alio modo qvam per ingeſte tenuia & blandiſſimæ indolis inſtitui poteſt, unde tamen potius levamen, qvam ſanationem ſperare opportet.

Species III^tia.

ENTERITIS

Eſt dolor fixus conſtans abdominis in regione inteſtinorum cum obſtipatione alvi plenaria, & utplurimum adjuncta febre continua.

Symptomata præter communia febrilia ſunt: 1. dolor ipſe, fixus, conſtans, circumſcriptus, preſſionem externam haud tolerans, per intervalla

gravior ſine dubio e flatibus contra inflammatum locum nitentibus, 2. expanſio nonnulla minoris majorisve gradus abdominis, 3. alvi completa obſtipatio & flatuum plenaria retentio per inferiora; 4. eructationes & vomitus etiam poſſibilis, ſub maximo morbi gradu adeo increſcere valens, ut materia excrementitia evomatur, qvalis morbi gradus Ileus, pasſio illiaca ſ. miſerere, nuncupari ſolet; 5. pulſus utplurimum tenſus celer, qvandoqve haud febrilis.

Cauſæ remotæ enteritidis.

1. Ingeſta acria, venena, vel medicamenta draſtica; aliqvoties hunc morbum ortum vidi e ſolutione reſinæ jalappæ ſub nomine tincturæ catharticæ a vulgo purgandi ſcopo uſitari ſolita.

2. Suppreſſæ & retentæ excretiones variæ abdominales; diuturna alvi obſtipatio, fluxus hæmorrhoidalis, aut menſtruus ſubito ſuppreſſus; diarrhoea adſtringentibus intempeſtive cohibita.

3. Acrimoniæ variæ ad inteſtina depoſitæ, uti rheumatica (vid. diar. 1786. Auguſt no. 5. Novbr. no. 4.); arthritica (vid. diar. 1785. Junii no. 12); metaſtatica imprimis a febribus putridis (vid. diar. 1784. Octbr. no. 1, & 1785. Januar. no. 1); materia lactea (vid. diar. 1786. April no. 9. & Novbr. no. 8.); ſerum hydropicum in aſciticis (vid. diar. 1784. Jul. no. 12.)

4. Hernia inqvilina vel incarcerata ſatis communis & cognita cauſa.

5. Violentia externa, contuſio, paracenteſis incauta manu facta, levatio gravis oneris (vid. diar. 1784. April. no. 5.)

Diagnoſtica ſigna enteritidis non fallentia ſunt junctim ſumta, 1. alvi & flatuum plenaria obſtipatio & retentio, 2. dolor ipſe fixus, gravis, circumſcriptus, qvo a colica ſpasmodica diſtingvitur inflammatio, 3. expanſio nonnulla abdominis, quod etiam cenſendum eſt ſignum enteritidis diſtinctivum a ſpasmodica colica, ubi abdomen conſtringitur; 4. dictorum ſymptomatum duratio per unum alterumve diem, qvandoqve enim colica allatis ſignis prædita e ſaburra vel rheumatica acrimonia ſine vera inflammatione oritur, medelæ hiſce cauſis convenienti ſc. mixturæ camphoratæ vel ſimul laxativæ cedens; qvod vero ſi non cito obſervetur, morbus ut inflammatio tractandus eſt. Etiam cauſa præcedens examinata diagnoſi certitudinem affert, ſic opifices, qvi plumbeas materies tractant, invadentem colicam pro ſpaſmodica judicare fas eſt; qvandoque ſeſe adeo referunt hæ ſpecies colicæ, vel revera conjunctæ exiſtunt, ita ut, qvænam præ alia præſto ſit, aut prævaleat, etiam exercitatisſimus eruere neqveat, in tali caſu ambiguo morbum ſtatuere inflammatorium & qvatalem apta medela debellare tutisſimum eſt (vid. diar. 1783. Aug. no. 8. Novbr. no. 6. Decbr. no. 6. & 1784. Aug. no. 3.); ad diagnoſin enteritidis completam etiam pertinet exploratio & cognitio cauſæ ejusdem, præſertim, num hernia adſit?

Eventus enteritidis:

1. In ſanitatem, qvalis fere ſemper ſub debita & tempeſtive applicita medicatione ſperari poteſt, ſigna hujus terminationis ſunt: a) doloris ſenſim factum decrementum & ceſſatio, b) flatuum emisſio, c) dejectio alvi ſpontanea, d) pulſus in naturalem converſus.

2. In ſuppurationem, non verum abſceſſum, qvalem in demortuis nunqvam obſervavi, ſed generationem puris in ſuperficie inteſtinorum, ejusdemqve effuſionem in cavitate abdominis, (vid. diar. 1782. Octbr. n. 7. 1783. Novbr. n. 9. & 1786. April. 9.); qvandoqve pus ex abdomine ad alias corporis partes nobiles transfertur, (vid. diar. 1783. Januar. n. 11. & 1784. Mart. n. 10.); in utroqve caſu nil præter mortem exſpectari poteſt; ſigna hujus ſunt continuatio modici doloris diuturna, febris, expanſio abdominis, horripilatio intercurrens.

3. In indurationes, aut in ipſis inteſtinis aut partibus vicinis, qvales indurationes vel, ut bis obſervavi, proſpere ſanantur; vel occludendo canalem inteſtinorum alvi obſtipationi, vomitui, ileo, novæ letali inflammationi anſam dant; vel in abſceſſum tranſeunt, & febrem hecticam letalem progignunt. (vide notabile exemplum in diar. 1735. Dec. no. 6.)

4. In gangrænam & ſphacelum letalem, qvam indicant ſubita ceſſatio doloris, pulſus valde

celer debilis, extremitates frigidæ & viſcide ſudantes, qvandoqve alvus tunc ſponte ſolvitur, etiam vomitus ſtercoreus jungi poteſt (vid. diar. 1783. Septbr. n. 9 & 10. Novbr. n. 10. 1784. April. n. 4 & n. 5.) Gangrænoſus inteſtinorum ſtatus in diſſectis conſiſtit in colore livido vel atro rubeſcenti, conſtrictione tubi inteſtinalis, ſubſtantia molli, ſolubili vel reipſa disrupta & perforata, (vid. loc. cit. diar. 1785. Sept. n. 2.)

Curatio enteritidis eadem fere ſit ac in gaſtritide:

1. Per venæſectionem bis terve per diem & toties repetendam, donec dolor fere ceſſaverit & flatus abeant, terminus alius phlebotomiæ in hoc caſu definiri neqvit, illam ad qvatuordecim vices repetere me coactum fuiſſe recordor.

2. Per camphorata intus ſumenda, ſc. mixturam camphoratam acidam, vel emulſionem camphoratam ad cochlearia duo majora bihorio, & devicto morbo tamen per aliqvot dies continuandam, licet rarius, prophylaxeos ergo; mihi occurrit caſus, ubi camphoræ vices ſubiit moſcus, (vid. diar. 1783. Aug. 7.)

3. Per alvi aperturam rito modo promovendam; qvamdiu dolor perſeverat & flatus non abeunt, nulla remedia, neqvidem clysmata in uſum trahenda ſunt ad ſolvendam alvum, indubitata enim conſtat experientia, nullum inde produci effectum, ſed morbum pejorem fieri; qvando

autem dolor prorſus vel fere ceſſavit, flatus abeunt, & alvi apertura, qvæ tunc temporis utplurimum ſponte procedit, tamen retinetur; tunc & innocuum & utile eſt, artis ope alvum movere, aut per clysmata potiſſimum initio adhibenda, confecta ex oleo, decocto avenæ & ſacharo, omisſo ſale ut nimium irritante; aut mixtura camphorata laxativa aut pulvere e nitri depurati, lactis ſulphuris ana ſcrupulo, camphoræ grano parato trihorio præbitum, donec effectum producat; oleum ricini americani ad cochleare majus trihorio qvoqve egregiam virtutem habet, qvid! qvod! juvit in caſu, ubi dolor cum obſtipatione poſt undecim venæſectiones ad ſummam debilitatem usqve non mitigatus erat. Dantur caſus ubi poſt venæſectionem, quantum vires permittant, repetitum dolor qvidem ceſſat, attamen nec alvus aperitur, nec flatus abeunt, tunc clysma et innocuum et efficax inveni. Devicta ipſa inflammatione inteſtina laudatis laxantibus bene et qvotidie evacuanda ſunt et a ſordibus ſub prægreſſa obſtipatione largiter collectis liberanda, qva neglecta cautela, facilis, qvod qvoqve experientia me docuit, fit morbi relapſus.

4. Per diætam ſ. ingeſta blandiſſimæ indolis, qvalia in gaſtritide commendata ſunt, adeoqve abſtinentiam ab omnibus irritandi vi præditis, non modo ſub ipſo morbo, ſed qvoqve per aliqvot poſthac præterlapſos dies; omnia alvum laxantia præ-

ter fupra allata damnanda funt, utpote morbi relapfum fufcitare valent (vid. diar. 1783. Aug. n. 7. & Nov. n. 3.)*

5. Per externa abdomini applicanda, imprimis linimentum volatile camphoratum; veficatorium etiam laudatur, illo autem raro opus habui; reliqva enim methodus, fi fanatio poffibilis fit, per fe utplurimum fufficit.

Curatio fuppurationis & indurationis inteftinorum raro contingit; illæ, qvas fanatas vidi, indurationes imo notabiles linimento refolventi, cataplasmati emollienti internoque pilularum refolventium ufu cedebant; levamen afferunt ingefta blanda, tenuia, & alvi per fe in hoc cafu communiter claufæ folutio pro neceffitate promota, imprimis per oleofa ingefta, aut fub enemate applicita.

Species IV^ta.

NEPHRITIS

Eft dolor fixus, ardens vel punctorius, qvandoqve obtufus gravativus in regione renali utraqve vel alterutra cum febre continua junctus.

Symptomata & figna adeoqve funt: 1. dolor ipfe dicti loci profundus ad ingven qvandoqve teftemqve extenfus, 2. ftupor femoris affecti lateris, 3. urina impedita, vel parca rubra & in fummo

malo alba, 4. vomitus vel vomituritio, 5. defectus urinæ in veſica.

Cauſæ nephritidis :

1. Violentia externa, uti contuſio in regione renum, fortis & protracta eqvitatio.

2. Calculi renales aſperitate & pondere irritantes & inflammantes.

3. Diuretica validiora imprimis e cantharidibus parata.

4. Fluxus hæmorrhoidalis ſuppreſſus, & ſangvinis congeſtio ideo ad renes converſa.

5, Materia arthritica ad renes depoſita, uti alias partes, ita qvoqve renes inflammare valens.

Diagnoſis e ſymptomatibus, cauſis prægreſſis & ſignis ſupra allatis depromitur; conſtantia doloris & febris concomitans nephritidem a mere affectione calculoſa diſtingvunt; profunde ſentitus dolor & depravata diureſis a rheumatica lumbagine noſtrum diſcernere morbum docent. In caſu dubio tutius eſt morbum inflammatorium habere et qvatalem tractare.

Eventus :

1. In ſanitatem, ut in aliis inflammationibus qvamplurimum e rita & tempeſtiva medela ſperandus, atqve doloris decremento & liberiori reddita diureſi indicatus; urina tamen limpida nil boni portendit.

2. In ſuppurationem renum, qvam timere oppertet e morbo ultra 14tum diem protracto,

dolore in obtufum prefforium mutato, horripilatione intercurrente, urina pus continente, qvalis fuppurationis terminatio vix alia qvam hectica & letalis confumtio effe poteft, imprimis fi inflammatio notabilem renis partem occupaverit (vid. diar. 1782 Februar. n. 6, 1784 Januar n. 10 & 1785 Octbr. n. 6.)

3. In mortem, aut mediante gangræna cum hujus folitis fignis, aut propter fuppreffionem urinæ, qvæ cerebrum petit, & mediante lethargo aut delirio mortem infert.

Curatio nephritidis defiderat:

1. Venæfectionem repetitam, uti alia interna inflammatio.

2. Camphorata & nitrofa, imprimis emulfionem camphoratam omni hora præbitam, utpote qva acrimonia urinæ imprimis temperari poteft.

3. Potum copiofum blandæ & mucilaginofæ indolis etiam ad urinæ acrimoniam diluendam & involvendam; uti decoctum avenæ, vel potum theiformem e radice althææ & femine lini; acida haud conveniunt.

4. Clyfmata emollientia oleofa femel aut bis qvotidie injicienda, ad circulationem abdominalem promovendam perapta.

5. Externam inunctionem per linimentum volatile camphoratum folum, vel cum ungvento althææ junctum et femicupium tepidum; ungven-

tum ſinapinum et veſicatorium ob ſpecificam cantharidum vim renes irritandi haud qvadrat.

6. Opium, uti laudanum liqvidum Sydenhami, cnjus guttæ nonnullæ cum emolumento porrigi poſſunt poſt venæſectiones ſufficientes & reliqvam allatam methodum adhibitas, & qvando æger antea calculis renalibus ſubjectus fuit, adeo ut præſentem inflammationem e calculis talibus ortum trahere concludere qveat, debellata enim inflammatione ſpaſmodica renum affectio per continuatam calculorum irritationem producta, opiatis tollitur, ita ut calculoſum irritamentum melius transmitti & evacuari qveat.

Curatio ſuppurati renis:

1. Si pus per vias uriniferas effluat, conferunt aqva ſelterana cum lacte pro potu largiter ingerenda, nec non mixtura ex eſſentia corticis peruviani uncia, ſpiritus vitrioli drachma ad guttas ſeptuaginta ter indies, ſi forſan alvus ſtricta ſit, pilulæ e radice rhei cum ſufficiente qvantitate terebinthinæ venetæ ad grana qvindecim mane & veſpera commendandæ ſunt.

2. Si exteriora verſus tumeat ren ſuppuratus, inciſio illius chirurgica deſideratur, verum absqve ſpe ſanationis completæ perficitur.

Species V$^{ta.}$

CYSTITIS
s. INFLAMMATIO VESICÆ URINARIÆ

Eſt conſtans vehemens dolor veſicæ urinariæ cum adjuncta febre continua.

Symptomata & ſigna præter febrilia communia ſunt: 1. dolor ipſe urens fixus circa os pubis, vel in regione perinæi, 2. ſtranguria continua ſ. mingendi deſiderium, qvandoqve ſine vero mictu ſ. cum iſchuria, 3. urina admodum ſaturata, ſangvine interdum mixta & mucoſa.

Cauſæ poſſibiles: 1. calculus veſicæ urinariæ & per illum producta irritatio, 2. ſuppresſio fluxus hæmorrhoidalis vel menſtrui, 3. materia arthritica ad veſicam depoſita, 4. injectiones acres per urethram, indeqve gonorrhoea ſuppreſſa.

Eventus utplurimum votis non reſpondens propter irritationem ex affluente urina continuantem & non impediendam: doloris notabile decrementum, & reſtitutus urinæ fluxus ſpem ſanationis præbet; purulenta urina ſuppurationem factam demonſtrat, unde haud alia terminatio præſagienda eſt, qvam ulcus incurabile, diudurans, miſeros cruciatus & hecticam conſumtionem ſecum ducens; etiam citiore modo per gangrænam letalem morbus finiri poteſt.

Curatio peragenda eſt eodem modo & iisdem remediis, ac nephritis: catheterismus in hoc morbo effectu evacuante caret et irritatione morbum auget ideoqve ſemel ab excercitata manu inſtituta et haud ſuccedens vix repeti debet, anteqvam dolor ſufficienti ſangvinis misſione notabiliter minutus imo ſublatus fuerit, creber autem inſeſſus ſuper vaporem aqvæ calidæ utilis et innoxius eſt, uti qvoqve inunctio regionis veſicalis cum linimento volatili camphorato, vel epithema aromaticum; hirudines circa perineum applicitæ etiam proferre valent, (exemplum hujus morbi gradu modici ſanati, vid. diar. 1782. Jan. n. 4.)

Species VI^ta.

METRITIS s. INFLAMMATIO UTERI

Eſt dolor fixus in regione uteri, vel partium ad illum pertinentium cum annexa febre continua.

Symptomata & ſigna: 1. dolor ipſe inflammatorius, aut in collo uteri cum impedita diureſi, aut in corpore & fundo uteri presſionem abdominis haud tolerans, aut in poſtica uteri parte cum lumbagine & excretione alvi difficili, moleſta, aut in partibus lateralibus, atqve ovariis cum dolore, imo tumore in regione ingvinali & iliaca, (vid. diar. 1784. Sept. n. 4. & 1786. Maj n. 3,); 2. abdominis qvandoqve expanſio, 3. ſuppresſio fluxus

lochiorum vel menſtruorum, 4. febris acuta qvandoqve cum delirio.

Cauſæ: 1. refrigerium, imprimis frigus immediate partes uterinas tempore fluxus ſangvinei uterini aggrediens, 2. violentia externa utero inducta, uti per partum difficilem, rudem & incautam obſtetricationem, & placentæ ſolutionem; aut contuſiones, ictumve tempore graviditatis in uterum directa.

Eventus non raro benignus evadit; ſub febris & doloris ſenſim obſervato decremento, nec non effluxu puris laudabilis per vaginam ſperandus; contrarius & letalis exitus timendus eſt ſub vehementi gradu morbi per debitam medelam non decreſcente, & accedentibus effluxu materiæ ichoroſæ ex utero, purpura alba, & ſignis gangrænæ generalibus.

Curatio perficienda eſt: 1. venæſectione crebro repetita, donec dolor prorſus vel fere ceſſaverit, 2. enematibus emollientibus oleoſis qvotidie vel alternis diebus reiterandis, 3. camphoratis, aut mixtura camphorata acida, aut emulſione camphorata bihorio exhibendis, 4. diligenti inunctione abdominis per linimentum volatile camphoratum, etiam epithema ſ. pannus laneus aceto calido madefactus & freqventer repetitus abdomini cum emolumento applicari poteſt.

GENUS V^tum.

FEBRIS RHEUMATICA

Eſt febris contineua cum dolore vehement & vagante artuum.

Symptomata ſunt:

1. Communia febrilia, frigus initio, alias ſitis, æſtus, ſudor ſpontaneus largus præſertim initio morbi, urina rubeſcens in genere ſedimentoſa, pulſus celer tenſus, ſangvis e vena miſſus phlogiſticus ſ. cruſta lardacea tectus; cephalalgia non eſſentialiter huic morbo competit.

2. Specialia:

a) Dolor ipſe: ſedes illius præcipua in juncturis artuum, rariſſime omnibus ſimul, utplurimum tantum in nonnullis, ſeſe extendens ad muſculos vicinos; migratio ſ. vagatio ab uno articulo ad alterum & qvidem oppoſiti lateris ex. gr. a brachio ſiniſtro ad pedem dextrum & vice verſa, donec qvandoqve omnes juncturas pervagaverit; interdum ab artubus tranſit in truncum, pectus, abdomen, caput, eorumqve internas vel externas partes occupat; raro rheumatismus febrilis in una parte v. c. junctura aliave ab initio ad finem hæret, in qvo caſu febris levior eſt; gradus diverſus doloris, mox remittens mox exacerbatus.

b) Tumor dolentis partis, ipſi dolori ſuccedens cum levamine, vagans ut ipſe dolor, rarò ru-

bens utplurimum cuti concolor, admodum ſenſibilis, attactum & preſſionem externam haud tolerans.

c) Immobilitas affecti membri, partim ob dolorem inde adauctum, partim ob muſculos ipſos per morbum motui ineptos redditos. Duo hæc ultima ſymptomata non inſeparabilia ſunt.

Cauſæ remotæ:

1. Aëris temperies frigida, ventoſa, præſertim ex oriente ſpirans; hinc in regionibus borealibus & hyemali tempore imprimis hic morbus ſævit; nonne certa qvoqve conſtitutio epidemica? dum certis annis absqve manifeſta qvalitate ſingulari atmoſphæræ freqventior, qvam aliis annis obſervatur.

2. Refrigeratio ſ. corpus imprimis calens, vel ſudans frigori gravi vel diuturno expoſitum.

3. Diſpoſitiones, ætas adulta, morbus idem prægreſſus, abuſus bacchi & veneris.

Cauſa proxima haud immerito habetur ſerum acre viſcidum ad partes articulares & muſculos depoſitum, qvod irritatione dolorem, febrem, affluxum humorum indeque tumorem, adeoque inflammatorium ſtatum producere valet.

Diagnoſtica ſigna.

1. Rheumaticæ febris proprie talis ſ. artus occupantis ſunt ſymptomata ſupra allata ſc. 1. communia febrilia, 2. artuum dolor, tnmor, im-

mobilitas, 3. fubita morbi invafio, 4. prægreſſum manifeftum refrigerium, qvibus ultimis indiciis potisfimum rheumatismus ab arthritide diftingvendus eft, utpote hæc absqne prægreffo refrigerio manifefto, lentiusqve provenit, & fixior eft.

2. Rheumatismi non articularis, fed alias corporis partes occupantis f. anomali funt, 1. dolor has partes fubito & poft refrigerium aggrediens, 2. alternatio doloris cum affectione artuum, vel aliarum partium et fucceffio imprimis immediata poft dolorem artuum evanidum, 3. vaga doloris indoles, ita ut mox fere ceffet, moxque redeat, ita rheumatismus pectoris (vid. diar. 1785. Januar. 3. Junii 3. 1786. Auguft 4.), abdominis (1784. Auguft no. 5. 1786. Auguft 5. Novembr. 4.) Rheumatismus anomalus cum vel fine febre adeffe poteft atqve omnes trunci partes tam externas qvam internas occupare, fic dantur cephalalgia, odantalgia, otalgia, pleurodyne, tuffis, colica rheumatica cet, in qvibus rheumatica indoles qvandoqve per omnia allata figna indicatur interdum modo per primum et tertium.

Prognofis.

1. Duratio hujus morbi præfertim proprietalis diuturna ad plures hebdomades, imo menfes obfervatur, maxime ob fuperftites artuum dolores non febriles; rheumatismus non articularis citius finitur.

2. Exitus morbi in sanitatem fere semper sperari potest, sudor, urina sedimentum imprimis salinum continens, hæmorrhagia narium, diarrhoea, expectoratio larga mucosa, salutares & ad morbi finem promovendum aptæ excretiones judicandæ sunt.

3. Reliqviæ rheumaticæ febris utplurimum sunt dolores artuum non febrilis cum tumore & immobilitate.

4. Letalis eventus rarissima sunt exempla, possibilis tamen ille est præsertim in ipsa rheumatica febre per depositionem materiæ ad partes nobiles cerebrum imprimis & pulmones, & eorundem inde productam læsionem notabilem, qvod a refrigerio indeqve suppresso sudore vel remediis topicis repellentibus inprimis timendum indicatur dolore subito vel notabiliter decrescente vel evanescente præsertim succedente partium nobilium affectione.

Curatio rheumaticæ febris ad triplicem partem referri potest sc. ad curationem, 1. febris rheumaticæ regularis, 2. rheumatismi anomali, 3. affectionis articularis post febrem superstitis.

Curatio ipsius febris rheumaticæ, qvamdiu & febris & dolor præsto sunt, locum habens desiderat.

1. Venæsectionem præsertim sub dolore graviori, pulsu forti & initio morbi; bis terve facta repetitio sufficit ad levandum dolorem; si hic modicus sit, aut vires debiles videantur, neqvi-

dem ſvadenda eſt phlebotomia, utpote qvæ tantum mere levatoria, haud curatoria in hoc morbo cenſenda eſt, ſc. a) dum arthriticam originem & indolem rheumaticis doloribus ſubeſſe ſuſpicari poſſumus, nimirum in ſubjectis ſenioribus, arthritidem antea pasſis, lautumqve vitæ genus, huic morbo anſam præbens, degentibus; hiſce vix ultra unicam, ſi doloris vehementia illud expoſtulat, venæſectionem ſvadeo; (qvondam ter illam repetii, dolor hinc artus reliqvit, cerebrum morbus petiit & apoplexiam citò letalem induxit.) b) Dum bilioſa ſymptomata, lingva ſordida, ſapor amarus, capitis dolor vel vertigo rheumaticis doloribus juncta ſunt; illis nocet venæſectio plus, qvam his prodeſt, ideoque prohibenda eſt, ejusqve loco methodus antibilioſa eligenda.

2. Temperantia, reſolventia, diapnoica ſc.

a) Medicamenta talia, uti pulverem temperantem camphoratum trihorio, vel mixturam camphoratam acidam bihorio; vel ſi alvus obſervetur ſegnis, pulverem e nitri depurati, lactis ſulphuris ana ſcrupulo, camphoræ granis duobus compoſitum, trihorio ſumendum, qvalis pulvis etiam ſingulari virtute contra oppreſſionem pectoris ſub hoc morbo accedentem gaudere videtur.

b) Potum copioſum, aliqvatenus calidum, uti in aliis morbis inflammatoriis; ſerum lactis, ſi alvus non laxa ſit, tempore æſtivo, et, pronitate

ad sudorem minuta, infusum florum sambuci apprime conveniunt.

c) Victum vegetabilem, qvamdiu febris durat; carnea noxia, dolores augere & renovare valentia, monstravit experientia.

d) Aërem, qvo æger fruitur, etiam modice calidum, et stragula lecti ad promovendum sudorem in hoc morbo salutarem, atqve ad refrigerium prævertendum sufficientia.

e) Vesicatoria vel ungventum sinapinum, haud qvidem initio sub notabili febris dolorisque gradu, sed in progressu inprimis, si inexspectata remissio vel cessatio doloris, morbi ad partes internas conversionem suspectam reddat.

Curatio rheumatismi anomali juxta hujus effectus accomodanda est.

1. Si symptomata hinc surgentia in abdomine, vel pectore, vel capite inflammationis notam præ se ferant, venæsectio crebra, ut in alia inflammatione desideratur.

2. In universum prosunt camphorata supra allata, vel si febris prorsus, vel fere nulla adsit, liqvor nervinus ad guttas viginti bihorio aut potus *Punch* dictus vespere sumtus; vesicatoria aut in artubus, unde dolor recessit, aut successive in utroqve loco; vices cantharidum optime qvoqve supplet ungventum sinapinum intra paucas horas reqvisitum effectum exserens; qvandoqve crebrior talis epispastici applicatio ad pertinacem rheuma-

tismum fugandum opus eſt, tuſſi humidæ e rheumatismo ortum trahenti prodeſt decoctum radicis ſenegæ cum oxymelle ſqvillitico, vel kermes minerale, qvæ, uti ſupra de inflammationibus pectoris notatum eſt, porrigi debent.

Curatio affectionis articularis poſt febrem ſuperſtitis, ſc. doloris, tumoris, immobilitatis perficienda eſt.

1. Antarthriticis remediis internis, uti liqvore nervino aut ſolo, aut eſſentia ſtibii Huxhami & ſpiritu lavendularum compoſito junctis ad guttas ſexaginta ter indies, aut ſolutione gummi gvajaci aqvoſa ad cochleare majus bis terve indies; horum mox unum, mox alterum juvare videtur.

2. Motu corporis diligenti, imprimis affectorum artuum, qvò etiam pertinet eorundem crebra frictio mediante panno laneo.

3. Balneis, vel vaporario, potisſimum conveniente artubus rigidis & dolentibus; vel ſtillatitio tumori juncturarum non dolenti admittendo; qvotidie aut alternis diebus repetitio talis balnei fieri poteſt.

4. Linteo vel ſerico cerato aut panno laneo duplici affectæ parti applicito, quod contra omnes dolores rheumaticos externos ſaltem incipientes merito commendatur.

Ad præcavendum hunc morbum valde recidivantem cautio, qvantum potis eſt, a refri-

gerio, & indusia lanea corpori proxima svadenda sunt.

CLASSIS II^da.

DOLORES NON FEBRILES.

Dolor est molesta sensatio in parte qvadam corporis sese exserens; propria experientia omni definitione clariorem & certiorem doloris ideam exhibet; nemo est illam non habens, qvique non eandem, dum præsto est, indubitatò indicare valet.

Ad nomen dolorum proinde referendæ sunt omnes corporis molestæ sensationes, qvalicunqve etiam modo ab ægrotis appellatæ & descriptæ, uti dolor pungens, urens, lancinans, tensivus, dilacerans, pressorius, anxius; varietas sensationis non mutat essentiam dolorifici morbi.

Dolorum non febrilium classis comprehendit morbos, qvorum symptoma præcipuum dolor est, qvique per se absque concomitante febre existere possunt. Generalis dolorum therapeutica consideratio ad specialem eorundem tractatum aptam parat viam.

Symptomata & effectus doloris in universum duplicis indolis esse possunt.

1. Mentalia.

a) Motus & inqvietudo animi infolita, indeqve corporis & membrorum jactatio, sub majoris moleſtiæ gradu ad convulſiones increſcere valens; vividior imaginatio & idearum impresſio, ideoque inſomnia; actionum qvoque vitalium, ſi fortis ſit dolor, in motum febrilem excitatio.

b) Applicatio mentis ſola & valida ad ideam doloris; illius ideo abſtractio ab aliis ſenſationibus & functionibus; nil appetit, omnemque laborem odit dolore affectus, hinc macies, langvor, pallor, imo lipothymia e dolore valido & protracto intelligi qveunt.

c) Deſiderium conſtans validum dolorem, dolorificam cauſam, imo dolentem partem removendi.

2. Corporea ad partem dolentem limitata.

a) Motus excitatio & augmentum in partibus afflictis differens juxta earundem naturam; ſic in arteriis pulſatio vi & celeritate adaucta, in venis oſculorum conſtrictio, in muſculis contractio vel conſtans ſ. ſpaſmodica, vel inconſtans ſ. convulſiva.

b) Affluxus humorum ſolito copioſior ad partem dolentem, juxta hujus functionem variam differens; in organis ſecretoriis hærens dolor ſecretionem adauget, mucum ad tunicam pituitariam, urinam ad renes, lachrymas ad oculos, ſuccos ad inteſtina, ſerum ad cutim allicit dolor, at-

que in vaſis ipſis accumulationem nimiam creat; hic tamen doloris effectus in congerendo humores, experientia ſatis comprobatus, mediate oriri videtur, qvippeqvi e vaſorum motu per dolorem mutato & adaucto deduci & intelligi poteſt.

Cauſæ externæ doloris teſtante experientia ad tria genera referri poſſunt ſc.

1. Diſtendentia ſ. prolongantia, qvibus particulæ componentes ultra naturalem modum a ſe invicem dimoventur; flatus inteſtina, ſangvis vaſa, luxatum partes articulares diſtendendo dolorem excitant.

2. Vulnerantia ſ. peregrina corpora mechanica vi continuum nexum partium ſolvere nitentia, uti pungentia, ſcindentia, contundentia.

3. Penetrantia, ſ. acrimoniæ vi oculis occulta in interſtitia fibrarum penetrantes, itaque earundem ſolutionem intendentes. Talibus dolorificis materiis meritò tribuitur ſolvendi vis & conatus, utpote experientia docet, easdem ſufficienti tempore & gradu agentes veram ſolutionem efficere, ex. gr. acida mineralia, ignis; modus verò, qvo hæc in efficiendo dolore agunt, etiam in aliis ſimilibus ſic dictis acrimoniis isdem videtur.

Cauſa interna ſ. diſponens doloris eſt partium ſenſibilitas ſ. facultas impresſiones percipiendi; hac dote ſanæ non præditæ partes, uti oſſa, celluloſa, ligamenta, doloris incapaces ſunt; qvo major partis eſt ſenſibilitas ſ. naturaliter ſ. morboſe ta-

lis, eò facilius & eò gravius ſub eadem cauſa externa excitatur dolor.

Cauſa proxima doloris, qvæ neceſſario ex manifeſta cauſarum externarum actione patet, eſt ſtatus partium ſenſibilium, ſub qvo particulæ easdem componentes a naturali combinationis gradu dimoventur, unde vertus citatur motus per nervos ad animam propagatus, ideamque doloris excitans.

Curatio dolorum in univerſum ad cauſas illorum debellandas & tollendas dirigenda eſt ſc.

1. Cauſæ externæ ſupra memoratæ, ſi adhuc præſto ſint, aptis remediis ſunt auferendæ, hæc principalis & radicalis utplurimum eſt curatio; qvæ verò tantummodo in ſpeciali dolorum tractatione exponi poteſt.

2. Cauſa interna ſ. ſenſibilitas partium infringenda eſt, unde dolor etiam tolli vel levari poteſt; huic ſcopo qvadrant.

a) Deſtruere nervos ad partem dolentem pertinentes, ſic odontalgia fugatur urendo per cauterium actuale nervum dentis dolentis, ſic qvoqve in certis vulneribus nervum pro parte læſum tranſcindendo dolor tollendus eſt.

b) Relaxare dolentem partem, ita ut minus apta reddatur ad motum e cauſis dolorificis impreſſum ad animam propagandum, oleoſæ inunctiones, cataplasmata emollientia hoc modo dolorem levare videntur.

c) Stupefacientia præſertim opium, qvibus pro tempore ſenſibilitas totius nervoſi ſyſtematis, adeoqve dolentis partis diminui, itaqve dolor levari vel tolli poteſt.

d) Alterantia, qvibus alia inſolita ſenſatio, dolorem obſcurans imprimitur nervis; hoc modo varia penetrabilia, & volatilia remedia, uti camphora, moſcus, aſſa foetida, caſtoreum, dum dolores compeſcunt, agere videntur.

Diviſio dolorum ratione ſedis diverſæ convenientiſſime inſtituitur in duos ordines ſc.

1. Dolores univerſales, qvi, ſalva eadem eſſentia, in omni corporis parte locum habere posſunt, ubicunqve exiſtunt, morbum tamen qvoad eſſentiam eundem conſtituunt.

2. Dolores particulares, qvi ad certam corporis partem limitati ſunt, & ex hac ſede propriam eſſentiam & nomen capiunt, ſ. juxta ſedem diverſam etiam indolis diverſæ redduntur.

ORDO I^mus.

DOLORES UNIVERSALES s. ARTHRITIS.

Arthritis ſ. dolor arthriticus eſt dolor non febrilis, certa ſede non determinatus, in omni parte corporis poſſibilis, articulis præſertim inhærens,

e qvonam tanqvam potiori prædicato, nomine arthritidis ſ. articularis morbi inſignitur.

Duo ad hunc ordinem pertinent genera ſc. arthritis regularis, & arthritis anomala.

GENUS Imum

ARTHRITIS REGULARIS

Eſt arthritis extremitates vel juncturas earum occupans.

Symptomata arthritidis:

1. Dolor ipſe eſſentiam morbi conſtituens ſeqventibus attributis gaudens ſc.

a) Non febrilis ſ. febrem haud neceſſario ſecum ducens; accidentaliter gradus doloris tantus eſſe poteſt, ut motus febriles pro tempore induci poſſint.

b) Inconſtans ſ. vagus, ad certam corporis partem, qvamdiu exiſtit, haud limitatus, ſed qvi vel revera ſedem ſuam freqventer mutat, vel ſaltem ſub certis accedentibus cauſis ad ſedem mutandam aptus eſt.

c) Artus ſ. extremitatum juncturas freqventiſſime occupans.

d) Periodicus ſc. non idem ab initio ad finem permanens, ſed per intervalla gravior, remittens, imo ſilens.

2. Tumor qvandoqve, non ſemper in dolenti parte, ſub progreſſu doloris & cum ejusdem levamine exoriens, vel cuti concolor, vel rubens, ipſeqve præſertim ab attactu dolens, ſenſimqve evaneſcens; huc qvoqve referri poſſunt nodi in juncturis præſertim digitorum, arthritide freqventi & inveterata afflictis ſurgentes, duri, indolentes, permanentes, rarò in ſuppurationem ſponte converſi & ſub illa materiam, qvam continent, calcareæ indolis effundentes.

3. Immobilitas ſ. rigiditas partis dolentis varii gradus juxta vehementiam doloris utpote hujus ſub motu incrementum præcipua immobilitatis cauſa eſt; huc qvoqve pertinent juncturarum concretiones ſ. ankyloſis, inveteratæ arthritidis haud rarus effectus (vid. diar. 1784. Jul. no. 4.)

Cauſæ externæ arthritidis, qvatenus e nexu hujus morbi cum prægreſſis concludi poteſt, ſunt ſeqventes, præſertim illarum plures conjunctim agentes.

1. Refrigerium, ſub qvo vel integrum corpus, vel certæ ejusdem partes imprimis incaleſcentes aut ſudantes frigori gravi, crebro, protracto, humido, vel aſpiranti aeri frigido exponuntur; notabilior hujus cauſæ gradus validiores affectus rheumaticos febriles producit; lentius verò agens eadem cauſa articularem morbum chronicum ſ. arthritidem creare valet, uti qvoqve ſuppreſſio ſudoris ſoliti pedum, qvalis igitur cauſa

etiam inveſtiganda eſt, ut apta medela ſc. pediluvio debellari posſit.

2. Victus lautus ex alimentis valde nutrientibus, acribus, aromaticis compoſitus, præſertim ſub omiſſo corporis labore ad debitam ingeſtorum digeſtionem reqviſito; multi hanc vitam degentes increſcente ætate arthritide affliguntur, cujus alia cauſa qvam anteacta talis diæta cogitari neqvit.

3. Potus ſpirituoſi, ut vinum ſimplex, vel aduſtum, copia nimia ingeſti, Swietenius perhibet, arthritidem ante uſum vini in Hollandia rarum fuiſſe morbum, poſtea freqventiorem; vix alios, qvam vini potatores in anglia podagricos eſſe refert Makbride, nec ab hac aſſertione qvoad noſtrates propria mea experientia multum diſcrepat. Spiritus fortes ſine dubio præprimis ſub coelo frigido arthritidis ſemina corpori inducunt, qvod minus ſaltem valet de regionibus calidioribus, ubi largior tranſpiratio acres particulas humoribus per tales potus communicatas aufert & disſipat.

4. Animi affectiones validæ, protractæ, vel pathemata talia, vel labores & ſtudia, ipſe bis vidi malum iſchiaticum ſubito poſt grave animi pathema exortum; Sauvage arthritidis, qvam ipſe patiebatur, haud aliam novit cauſam, qvam ſtudia acriora; communiter arthritici ſunt ingenioſi, ſine dubio qvia diligens animi exercitatio hanc do-

tem acqvirens, ſimul diſpoſitionem ad illum morbum producit.

5. Morbi varii articularem affectum ſecum ducentes, aut progignere valentes, uti malum venereum, ſcorbutus, ſuppresſio fluxus ſangvinis ſoliti menſtrui vel hæmorrhoidalis, cancer, retropreſſa & exſiccata ulcera aut efflorefcentiæ cutaneæ (vid. diar. 1784 Novbr. 7 & 8, 1775 Auguſt no. 3 & Jul. no. 5.) Arthritis ex his cauſis meritò ſymptomatica cenſenda eſt, ejusdemqve ideo mentio ad principales morbos pertinet. (Arthritici affectus pertinacis exemplum poſt febrem intermittentem exhibent diar. 1786 Januar. no. 2.) Senſibilitate nervorum nimia laborantes, hyſtericæ, hydochondriaci, veneris uſu & onanismo debilitati teſte experientia artuum dolores crebro qveruntur facile orientes, iterumqve facile evaneſcentes; talibus enim perſonis parvum ſufficit irritamentum, qvod igitur eo facilius tollitur; etiam talis arthritis ſymptomatica eſt.

6. Diſpoſitio arthritica an datur? ſ. ſtatus corporis qvosdam præ aliis ad arthritidem diſponens? naturalis, ſive hæreditaria, ſive congenita vix demonſtrari poteſt; certa autem eſt morboſa per arthritidem prægreſſam acqviſita, & qvidem eo major, qvo ſæpius ille morbus adfuit, (vid. diar. 1784 Jul. n. 4.)

Caufa proxima arthritidis vix alia effe poteft qvam humores fubtiliores lymphatici depravati irritanti f. acri imprægnati indole, vi cujus in partibus, ubi præcipue congeruntur, dolorem inducere valent; hæc theoria feqventibus rationibus dilucidatur & demonftratur:

1. Humores ut involvant irritamentum arthriticum, neceffario fluit ex huius morbi vaga natura f. potentia ab una ad alteram partem migrandi; nulla autem præter fluida f. humores in corpore humano exiftit materia talis motus & tranfitus capax, unde feqvitur, arthriticum miasma, qvatenus vagatur, non nifi humoribus inhærere poffe.

2. Lymphatici qvoqve fint humores fc. fyftema vaforum lymphaticorum permeantes, qvi miafmatis arthritici involucrum conftituunt; duplex tantum certo cognofcitur fyftema circulantium humorum fc. fangviferum & lymphaticum; in alterutro proinde neceffe eft, ut refideat miasma arthriticum: priorem fedem haud admittit fumme volatilis arthritidis indoles, non poffibilis, fi materia arthritica ad tranfitum faciendum integram fangvinis maffam percurreret & per renovatam fecretionem in altera parte deponeretur; pofterior ideo locus f. fyftema lymphaticum folus probabilis eft, qvinimo ad phænomena arthritidis declaranda valde aptus: immediate enim, ideoqve celeriter materia arthritica per abforptionem lym-

phaticam ab una ad alteram partem transponi poteſt; et nonne integra lymphæ maſſa in arthriticis vitiata eſt? ita ut illius varia congeſtio ad dolores in morbis, ubi lymphæ vitium manifeſtum adeſt, ſc. ſyphilide, cancro, etiam probabile reddunt, reliqvam arthritidem ſimilem habere ſedem; nonne balneationes calidæ arthriticis adeo proficuæ ſunt, qvia abſorptioni aqvei humoris, qva lymphaticum vitium diluitur & reſolvitur, anſam dant. Swietenius ſtatuit ſedem arthriticæ materiæ in fluido ſubtili ipſos nervos circumdante & humectante, qvænam hypotheſis tamen haud excuſat, ſed potius accuſat lymphaticum ſyſtema, ad cujus circulationem allatum fluidum ſine dubio pertinet.

3. Indoles tandem vitiata dictorum humorum neceſſario ad conſtituendum arthriticum irritamentum reqviritur; naturaliter enim comparati humores nullius morbi cauſam continent, vitium humorum morbificum duplex eſt ſc. ſpisſitudo & acrimonia, aut alterutrum ideo, aut utrumqve efficeret miasma arthriticum; perpenſa arthritidis ratio utriusqve præſentiam monſtrare videtur, dolor ſc. acrimoniam irritantem, & freqvens hujus morbi pertinacia materiæ ſpisſitudinem ſolutu difficilem arguunt. Non verò eadem reqviritur indoles acrimoniæ, ſufficit enim qvæcunqve, dum irritat; varii imo morbi, variæqve cauſa ex-

ternæ arthritidem procreantes probant, variam acrimoniam hunc morbum inducere valere; malum venereum, cancrofum, fcabiofum, herpeticum, unde arthritici dolores fæpe ortum trahunt, propria unumquodqve acrimonia gaudet; in alia arthritide materia peccans forfan multiplex eft, atqve vitiis diætæ, unde contrahitur, conformis; arthritis e refrigerio perfpirabile pro materia habere videtur; victus fuperfluus, fufficienti corporis motu non digeftus, alterius fine dubio naturæ impuritatem f. acrimoniam lymphæ inducendo arthritidis caufa evadit, & nonue adhuc aliud ex abufu fpiritus fortis, toties arthritidis caufa, inqvinamentum generatur? Lymphatici humores natura fua coagulabiles funt, nonne in arthriticis nimia ad tale coagulum lymphæ pronitas ftatui poteft? morbi hujus facilis relapfus e tali lymphæ conftitutione optime explicari poteft.

Nexus fymptomatum arthritidis cum allata caufa proxima f. modus, qvo ex hac phænomena in arthritico morbo obvia declarari poffunt.

1. Dolor ipfe eft acrimoniæ cujuslibet, adeoqve arthriticæ in partes fenfibiles agentis neceffarius effectus; illius intenfitatem & durationem variam acrimoniæ diverfa vis & fpisfitudo declarant.

2. Vaga doloris arthritici indoles f. ejusdem potentia etiam celerrimo pvafi motu ab una ad alteram partem migrandi, comprehenditur e fede

materiæ morbificæ in humoribus lymphaticis, qvorum congeſtio a leviter agentibus cauſis mutari, mox ad unam, mox alteram partem dirigi, itaqve dolorem tranſponere poteſt.

3. Periodica doloris arthritici indoles e materia morbifica mox in certa parte magis collecta & mox in maſſa integra lymphæ diſtributa produci poteſt.

4. Posſibilis arthritidis ſedes forſan in omnibus corporis partibus e vaſorum lymphaticorum ad totum corpus extenſione, eorumqve mutua communicatione, qvæ depravati lymphatici humoris ad cunctas corporis partes congeſtionem admittit, intelligi poteſt.

5. Crebrior in juncturis artuum arthritidis ſedes adſcribenda eſt cauſis, qvæ ibidem magis qvam in aliis corporis locis motum lymphatici humoris retardant, itaqve illius ſtagnationi & congeſtioni anſam dant; rigiditas harum partium naturalis dilatationem vaſorum pro trasmittenda lympha ſpisſiori difficilem reddens; earundem minor calor ſ. major expoſitio ad frigus, qvo lymphatici humores inſpiſſari poſſunt, & demum forſan longa a corde diſtantia, ob qvam motus humores propellens in artubus minus validus eſt.

6. Tumor manifeſtus, qvodammodo inflammatorius, arthritidi ſæpe nexus, ſolitus doloris eſt effectus; ſalutaris hic & levatorius eſt, qvia & vaſorum circumjacentium adauctum mo-

tum & majorem calorem, qvibus caufis materia arthritica diffolvi & disfipari poteft, fecum ducit.

7. Nodi arthritici perennes per inveteratam arthritidem producti merito adfcribuntur lymphæ & materiæ arthriticæ adeo vifcidæ, ut reforberi neqveat, hinc prorfus ftagnanti, lapfu temporis fub refluxu tenuioris partis magis magisque infpiffatæ, qvinimo ob adjunctam, attractam & accrefcentem terreftrem affluentium humorum partem, calculorum renis vel veficæ adinftar, adauctæ, & concrementa notabilia materie terrea compofita efficienti; coalefcentia juncturarum in arthriticis ex lympha vitiata fimili modo in cavo articulorum effufa & infpiffata facile intelligitur.

8. Motus impotentia vel difficultas in partibus arthriticis, partim a tenfione per motum inducta & dolentibus partibus intolerabili declarari poteft; in certis tamen cafibus validior caufa ad hoc phænomenon producendum reqviri videtur, an fedes materiæ juxta nervos fecundum mentem Swietenii incufaretur?

Diagnoftica arthritidis figna funt fymptomata hujus morbi fupra allata imprimis, qvæ definitionem conftituunt fc. dolor, non febrilis, vagus, periodicus, articulos f. juncturas artuum minus magisve conftanter occupans.

Diftinctio arthritidis a rheumatismo apyreto haud defumi poteft a fede doloris, qvi, ut nonnullis ftatuere placet, in priori tantum juncturas, in

posteriori musculares partes occupat, verum qvis expertus nescit contrarium sc. arthritidem æqve ac rheumatismum, & hunc æqve ac illam, & juncturas & reliqvas corporis partes occupare posse; sola distinctiva nota est origo mali; dolor sc. articularis apyretos post febrem rheumaticam superstes, etiam rheumaticus censendus & nuncupandus est; absque hoc signo distinctio, nec possibilis, nec qvidem opus est, utpote eadem medela in utroque malo convenit.

Prognosis:

1. Duratio arthritici morbi diversa; primi illius accessus uti mitiores, ita qvoque in genere breviores observantur; reversio fere qvævis diuturnior fit, & juxta increscentem ægroti ætatem qvoad durationem increscit.

2. Transitus arthritidis in sanitatem fere semper lentus observatur, sive soli naturæ fuerit commissus, sive arte debellatus, hinc difficultas remedia antarthritica inveniendi.

3. Periculum arthritidis consistit præsertim in transitu illius, ejusdemque materiæ, a partibus externis ad internas, unde harum læsio, & destructio ad funestum gradum sive acuto sive lentiori modo produci potest; & fractæ naturæ vires imprimis in senioribus, & perversa medela talis periculi causa fieri valent.

4. Relapsus arthritidis semper timendus est. Sola arthritis e refrigerio, vel si mavis, rheu-

matica exceptionem qvandam ab hac regula admittit, ſemper tamen diſpoſitionem recidivantem poſt ſe relinqvit; reliqva autem arthritis aut ſponte aut accidentibus cauſis externis revertitur; anni tempora & aeris conſtitutio etiam in hunc morbum influxum exſerunt; in aliis hyemale frigus, in aliis æſtivus calor dolores revocat; etiam tempeſtates procelloſas, auſtrinas, nivales moleſte ſentiunt arthritici.

Medicatio morbi arthritici duplice parte conſtat:

1. Medicatione curatoria, qva morbus arthriticus præſens debellandus eſt.

2. Medicatione prophylactica, qvæ ad arthritidis relapſum prævertendum tendit.

Medicatio arthritidis curatoria duplicem ſcopum, cui obtemperaudum eſt, continet:

1. Sedem morbi præſentem in partibus externis ſ. extremitatibus conſervare, utpote præcipuum hujus morbi periculum e materia ad internas partes directa dependet.

2. Materiam morbi per remedia experientiâ comprobata diſſolvere & evacuare.

In artubus tanqvam convenienti & maxime inſonti ſede arthriticus morbus conſervatur evitando cauſas, qvibus converſionem ad interiora effici experientia docuit.

1. Topica varia dolenti parti applicata, diſſipantis & conſtringentis indolis, uti frigus, aqvam

frigidam, linimenta volatilia, ſpirituoſa epithemata, facculos aromaticos & fumigationes ſimiles. Hisce aut conſtrictio & reſiſtentia nimia efficitur, ita ut jam depoſita materia retropelli & deponenda haud admitti qveat, aut reſolutio præmatura materiæ, indeqve ejusdem abſorptio & ad alias partes converſio producatur. Dantur qvidem caſus infra memorandi, ubi nonnulla ex allatis topicis non nocent, imo juvant: verum eorundem uſus indiſcriminatim & absqve debita cautione factus damnandus eſt.

2. Phlebotomiam imprimis ſæpius repetitam ſine dubio noxiam, qvia abſorptionem præmaturam depoſitæ materiæ promovet. In plethoricis tamen et ad congeſtiones in partes nobiles pronis venæſectio prophylactica una alterave vice per annum inſtituta juxta meam experientiam arthritidem non auxit.

3. Purgantia fortiora, qvibus humores, adeoque arthritica materia nimium interiora verſus diriguntur.

4. Opium; qvod modo caute et ſub dolore inſigni adhiberi poteſt.

Antarthritica remedia ſtricto ſenſu, qvæ cauſam proximam vel materiem arthritidis efficientem tollerent, talia eſſent, qvæ lympham ſpiſſam reſolvere, & acrem corrigere, aut e corpore eliminare valerent. Huic ſcopo conformia auxilia theoretice determinare, medicaminum haud ſatis

perſpecta agendi ratio vix permittit. Caſu potius, & analogia inventa, atque experientia qvodammodo comprobata ſunt illa, qvæ arthritidi proficua novimus, remedia ſc.

1. Interna variæ indolis, qvorum tamen electio ſecundum certam arthritidis indolem ſaltem non ſemper definiri poteſt, ſed qvæ ideo potius ſuccesſive juxta effectum inde obſervatum in uſum trahi poſſunt.

a) Antimonialia ex. gr. kermis mineralis grana qvatuor cum pulveris temperantis camphorati uncia ad cochleare minus ter qvaterve indies exhibitum; aut eſſentia ſtibii Hnxhami cum æqvali parte ſpiritus lavendularum compoſiti ad guttas ſexaginta ter indies. Arthritidi e refrigerio potisſimum hæc medela convenire videtur.

b) Camphorata, qvo pertinet ſupra dictus pulvis, vel liqvor nervinus ad guttas circiter triginta ter qvaterve per diem ſolus vel cum æquali parte eſſentiæ ſtibii; etiam hic arthritidi e refrigerio, atque illi, qvæ in hyſtericis occurrit, præſertim ſine dubio qvadrat.

c) Gvajaci gummi & reſina ſc. ſolutio gummi gvajaci aqvoſa ad cochleare majus bis ter vel ſæpius per diem, ita tamen ut non plus qvam modica alvi laxitas citetur. Multis profuit, qvandoqve excretiones imprimis alvinam augendo, qvandoque absque manifeſto tali effectu (vid. diar.

1782. Junii 2. 1783. Mart. 5. 1784. Sptbr. 13. April 3.) qvandoque nil juvat (vid. diar. 1788. Auguſt 3.); tempore æſtivo maximam efficaciam exſerere videtur. Etiam ſpirituoſa ſolutio ſc. reſinæ gvajaci uncia dimidia ſoluta in ſpiritus ſachari libra ad cochleare majus bis per diem in uſu eſt, validius hoc & magis purgans remedium vix niſi fortioribus qvadrat; illud alternatim cum ſolntione aqvoſa cum bono effectu adhibitum vidi; amoniata vero ſeu volatilis gvajaci tinctura juxta meam experientiam minus efficax habenda eſt; in univerſum gvajacina remedia arthritidi luxurioſo vitæ genere contractæ præſertim convenire videntur.

d) Elixirium antarthriticum ad guttas ſexaginta ter indies, reliqvis fruſtra adhibitis profuit, maxime illis, qvi ob vitam prægreſſam vel concomitantia ſymptomata in ſuſpicionem ſcorbuti cadunt (vid. diar. 1784. Sptbr. 7. nec non 1786. Januar. 2,) adjuncto tumore oedematoſo imprimis crurum, allato remedio dimidiam vel æqvalem aceti ſqvillitici partem apponere convenit.

e) Ex allio vel in ſubſtantia ſumpto vel in ſpiritu vini infuſo etiam bonus effectus obſervatur.

f) Salis cornu cervi unciæ tres in vini rhenani libris duabus ſolutæ ad cochleare majus ter quaterve perdiem in pertinaciori morbo.

g) Potus medicati varii cum reliqvis appropriatis conjuncti, ut ferum lactis, fi febrile aliqvid præfto fit; thea fambuci et potus *Punch* in arthritide a refrigerio & incipiente; infufum concentratum ligni faffafras in arthritide admodum vaga; infufum trifolii fibrini fub fcorbuto fufpecto; decoctum mundificans ad partellam ter die fumptum morbo inveterato cum fufpicione venereæ originis præfertim conveniens.

h) Mercurialia fc. mercurius dulcis ad falivationem fat copiofam exhibitus, demum tentandus, qvando fupra allata non juvant, in junioribus, etiamfi vera figna fyphilidis prægresfæ, vel præfentis detegi neqveant (vid. diar. 1783. Dcbr. 6. & 1785. Aug. 5.)

2. Externa topice prope dolentem partem applicita fc.

a) Veficatoria aut ungventum finapinum præfertim apta, fi dolor fixus & limitatus ad certas partes uti humeros, lumbos, ifchium, genu; fuppuratio ita producta qvandoque utiliter per ungventum bafiliconis pulvere cantharidum acuatum promovetur & confervatur. (vid. diar. 1784. Auguft 6. & 1786. Januar. 2.) fi verò affecta pars fimul cutaneo laborat tumore dolente & imprimis rubente uti in podagra, ipfa natura fupplet vices veficatorii, cujus ideo effectus fupra modum & nimius effet.

b) Involutio partis dolentis in tegumento calido præſertim laneo, aut linteo vel ſerico cerato, aut lana molli ſuperimpoſito dicto ſerico ſæpius renovanda, vi cujus promotus & conſervatus æqvalis calor ad ſolvendam materiem inſervit; cannabis recens vel picea hoc ſcopo etiam adhibetur imprimis ſub inveterato dolore & rigiditate juncturæ.

c) Fumigia ſ. vapores aromatici ad partem affectam ducti, fragmenta ſuccini igni immiſſa adhibentur & pannus laneus hujus fumo imbutus parti circnmdatur, qvale auxilium ſemel per diem repetitur; verum illud haud commendo, niſi in debilitate juncturarum rebelli poſt arthritidem ipſam relicta & aliis remediis non cedente, narrantur etiam exempla illius innocentiæ & mirabilis efficaciæ in arthritide e refrigerio ſ. rheumatica.

d) Sangvinis misſiones topicæ ex. gr. cucurbitæ cruentæ dorſo vel lumbis ſub horum dolore applicitæ, & hirudines ad podagricam ſumme dolentem partem admotæ, verum ex hiſce vix niſi temporarium levamen exſpectari poteſt.

e) Ventoſa ſ. cucurbitæ ſiccæ juxta partem affectam tractæ, & repetitæ; præſertim in brachiis poſt arthritidem debilibus cum emolumento applicari ſolent.

f) Fonticulorum ſummam utilitatem in arthritide pertinaci & inveterato etiam obſervavi;

ſed larga tunc promovenda eſt ſuppuratio tribus vel qvatuor piſis ſimul ulceri injectis.

g) Balnea vaporaria ſ. vapores aqvæ calidæ, præſertim cum decoctis herbis aromaticis ſ. ſpeciebus pro balneo vaporis convenienti modo ad partes arthriticas admisſi cum inſeqventi ſudore in lecto calido promoto; qvod auxilium qvotidie vel alternis diebus reiteratum in arthritide fixo diu durante, qvalescumque etiam artuum juncturas occupante, prodeſt; talis balneatio inter antarthritica remedia & tutisſimum, & teſtante experientia fere efficacisſimum eſt; rationi etiam convenit, vaporem ſubtilem, e vaſis lymphaticis ſuſceptu facilem, itaque ad ſpisſitudinem & acrimoniam reſolvendam & diluendam aptisſimum eſſe. Semicupium qvoqve, ut in lumbagine arthritica, convenit. Nonnulla mihi occurrunt exempla arthritici doloris et rigiditatis in maleolis, cui, omnibus aliis remediis fruſtra adhibitis, demum profuit quotidie repetita immisſio pedum in aqva frigida, donec perfriguerint; juniores vero hi fuere ægroti. Simile vidi emolumentum ex repetito aqvæ frigidæ uſu in odontalgia arthritica per plures menſes protracta omnes dentes occupante.

h) Motus & exercitia corporis præſertim ipſorum artuum affectorum tunc ſvadendus & locum habens, cum dolor qvodammodo minutus illum ſufferat; ad ſpiſſos humores commovendos & reſolvendos, & rigida flexibilia reddenda hoc ad-

miniculum qvadrare per ſe comprehenditur. Frictiones diligentes per pannum laneum vices motus aliqvatenus ſupplent.

Medicatio arthritidis prophylactica, qva ſc. illius reverſio, qvantum potis eſt, impediretur, conſiſtit in evitando ſupra allatas arthritidis cauſas & electione diætæ hiſce cauſis oppoſitæ ſc.

1. Victus ita comparandus eſt, ut utilem inde blandumque chylum digerentes naturæ vires extrahere valeant, itaque humorum ſpisſitudo & acrimonia præverti posſint, carnis bovinæ & ſuillæ freqvens & copioſus uſus, aromata, ſpiritus ſ. vina uſtulata damnanda ſunt; vinum non prorſus prohibendum præſertim illi aſſuetis, eoque ad roborandum ventriculum opus habentibus; minor tamen doſis ſvadenda eſt; optimus potus eſt cereviſia clara tenuis, fortis tamen debilioribus commendanda, nec damnoſum imo proficuum obſervavi ſpiritum vini modica doſi porrectum vinoqve præferendum iis, qvi ad fermentationem acidam ventriculi ſeſe pronos ſentiunt, utpote hæc arthriticis noxia priori potu compeſcitur, haud vero poſteriori. Spiritus vini gallicus et qvidem aqua mixtus præſertim huic ſcopo qvadrat.

2. Corporis motus & excercitia crebra ſumme ſunt ſalutaria, qvippeqvæ & digeſtionem & excretiones promovent, itaque generationem & collectionem materiæ morboſæ avertunt; caven-

dum tamen eſt a nimia ſub motu incaleſcentia & ſudore, qvi refrigerio arthriticis adeo inimico anſam præbet.

3. Animi graviora pathemata & intenſior labor, utpote qvæ primum arthritidis aggreſſum, ideo etiam reverſionem producere valent, vitanda ſunt.

4. Somnus ſufficiens ſit, nimis enim parcus perſpirationi obſtat; ſomnus optimus eſt maxime qvietus, qvi ſc. ante mediam noctem incipit; ſerius captus ſomnus ob vigilias protractas indeqve circulum magis citatum, minus tranqvillus & minus utilis eſt; ſomnus poſt prandium etiam convenit, utpote concoctionem promovet.

5. Aer arthriticis conveniens cenſendus eſt, qvi tranſpirationi præſertim favet, adeoqve modice calidus & ſiccus; juxta hoc principium determinari poteſt electio regionis, domus, tempeſtatis, qvibus uti & non uti opportet.

6. Excretionum naturalis ordo promovendus & conſervandus eſt; alvus non rite fluens eccoproticis uti electuario aperiente, lacte ſulphuris, pulvere anticolico, præſertim autem magneſia cum rheo pro neseſſitate ſolvenda eſt, qvia arthritici vix non ſemper ad acrimoniam acidam proni ſunt; perſpiratio autem cutanea maxime curanda eſt; ad æqvabilem illius progreſſum meritò commendantur induſia lanea cuti proxima.

Differentiæ arthritidis e partibus affectis depromuntur & denominantur, ſic chiragra eſt arthritis manuum; gonagra, qvæ genua occupat; ſpeciali autem tractatu tantum digna ſunt podagra & iſchias.

Species Ima.

PODAGRA

Eſt dolor arthriticus fixus in junctura qvadam pedis præſertim halucis.

Symptomata commodo diſtingvuntur in

1. Prænuntia, e qvibus hic morbus inprimis recurrens timendus eſt.

a) Primarum viarum incommoda, oppreſſio inflatio, nauſea, ſtricta alvus, aliqvot ſæpe ſeptimanis aggreſſum morbi præcedentia; cito inſtantem morbum appetitus enormis, urina pallida portendunt.

b) Corporis ipſius gravativus ſenſus magis magisve increſcens cum ſingulari langvore femorum & ſenſatione qvaſi a flatubus ibidem deſcendentibus; copioſus acris ſeri ad oculos fluxus huc computatur.

c) In pedibus ipſis ſudoris ſoliti ceſſatio & varicoſa venarum cruralium intumeſcentia.

2. Dolorem ipſum, cujus modus & decurſus ſeqventi modo obſervari ſolent.

a) Tempus invaſionis utplurimum nocturnum eſt & qvidem cum gallus canat.

b) Locus doloris genuinus ſ. communiſſimus eſt halux, rarius talus vel calcaneum, imo genu.

c) Indoles doloris varia; ſub acceſſu mitis eſt qvaſi ab inſperſa aqva calida, mox verò gravior dilacerans, mordens, urens cum adjunctis tumore & rubedine.

d) Duratio paroxysmi junioris morbi ad viginti qvatuor horas, inveterati verò ad plures dies extenditur; inſeqvitur tunc partis affectæ ſudor cum decremento doloris & tumoris, ita ut tantummodo ſub motu pes doleat.

e) Renovatio allati paroxysmi fere ſemper exſpectanda poſt unum vel plures dies incidit præſertim veſpertino tempore, eodem modo ac primus paroxysmus procedens. Talis renovatio aut tantum in uno pede, aut primum in uno, deinceps ſimili ratione in altero locum habet itaqve ad plures vices: ultimi paroxysmi leviores & breviores fiunt, qvo junior morbus, eo pauciores paroxysmi qvandoqve modo unicus, & vice verſa.

3. Concomitantia ſymptomata, frigus aliqvale ſub aggrediente morbo, motus nonnulli febriles ſub adaucto & fixo dolore ceſſantes, alias inqvietudo, urina parca rubra, anorexia, langvor, alvus ſtricta.

Cauſæ externæ podagræ habentur luxurioſum vitæ genus, vini largus uſus, venus præmatura et immodica, neglectus corporis motus, affectus animi & ſtudia immoderata.

Diſpoſitiones ſunt ſexus virilis, rariſſimæ ſunt feminæ podagricæ; ætas adulta ſc. ultra qvadraginta annos; num hæreditarium, num contagioſum aliqvid huic morbo anſam dare poteſt? Licet hoc minus conſtat, non ſuperflua videtur cautio a decubitu cum ſubjectis podagra inprimis inveterata affectis.

Cauſa proxima podagrici doloris ſ. illius ſedis in pede nonne habenda eſt præcipua hujus loci ad ſtagnationem & collectionem humorum aptitudo ſc. ob ejusdem diſtantiam a corde, compresſionem a calceis, conſtrictionem a frigore.

Diagnoſtica ſigna podagræ ſunt allata illius ſymptomata per ſe ſatis manifeſta & propria, imprimis ipſius doloris deſcripta ſedes, indoles, ſpontanea origo ſc. absqvo externæ cauſæ violenta actione in partem dolentem.

Prognoſis

1. Tranſitus præſentis podagræ in ſanitatem utplurimum & qvidem ipſius naturæ viribus perficitur; aptiſſime inqvit Sydenhamus: podagra eſt podagræ amariſſimum remedium; dolor enim ipſe affluxum humorum, motum vaſorum, caloremqve augendo efficit reſolutionem impactæ

materiæ morbificæ, ejusdemqve; dein exſudationem.

2. In arthritidem vagam apud debilia & ſeniora ſubjecta podagricus morbus lapſu temporis immutari poteſt, ita ut ad alios artus vertatur dolor, eosdemqve haud adeo ſtricto ordine, ſed diutius affligat, qvam ipſa podagra.

3. In læſiones partium internarum, ſive acutas, ſive chronicas qvandoqve funeſtas converti & terminari poteſt podagricus morbus, vel male ſ. retropellentibus tractatus, vel ob depravationem lymphæ ſub increſcente ætate ad ſummum faſtigium provectam; tali modo in funeſtas inflammationes, aut obſtructiones hepatis, vel pulmonum cum inſeqventi hydrope, vel aſthmate letali incidunt podagrici.

4. Tumorem oedematoſum indolentem perennem crurum, cujus retrogreſſus ſummum periculum habet, nec non nodos duros arthriticos ſupra deſcriptos inveterata podagra generare & poſt ſe relinqvere poteſt.

5. Recidivans demum indoles podagræ esſentialiter competit; qvotannis utplurimum redit ſemel aut bis, præſertim vernali vel autumnali tempore; interdum alternis annis recurrit, diuturnior protractio minus boni ominis eſt, qvia tunc materiæ podagricæ ad alias & internas partes converſio & depoſitio timeri poteſt.

Curatio podagrici morbi potiſſimum ipſi naturæ committenda eſt; artis medendi regulæ ſunt.

1. Promovere reſolutionem & evacuationem materiæ morbificæ per diaphoreſin modicam, cui ſcopo conveniunt potus largus, uti ſerum lactis, infuſum florum ſambuci, mixtura camphorata vel diapnoica, involutio pedis dolentis in panno aut lana molli ſuperinpoſito ſerico cerato.

2. Avertere & evitare omnia qvibus dolor a pede retropelli poteſt, uti fortiora purgantia, venæſectionem repetitam, opiata, topica, vi frigida, conſtringenti, volatili agentia.

3. Motus febriles, ſi adſint, compeſcere & avertere; junioribus plethoricis hac ratione convenire poteſt venæſectio ſemel initio adminiſtrata, alias pulvis temperans camphoratus ad cochleare minus ter qvaterve per diem, cui, ſi alvus obſtipata ſit, dimidia pars lactis ſulphuris apponitur. Doloris vehementia et inſomnium moſcho interdum levantur.

4. Diu protractam, nec ut fieri ſolet, ſponte evaneſcentem podagram, ſive illi ſuccedentem arthritidem vagam ſupra allatis remediis antarthriticis imprimis e guajaco paratis debellare.

5. Intervallis a podagrico morbo liberis, regulis medicationis prophylacticæ contra arthritidem ſupra commendatis obedire, ut regreſſus hujus morbi averti, ſaltem mitior reddi poſſit; huic

ſcopo etiam convenientem judico uſum guajaci, uno alterove menſe æſtivo faciendum.

Species IIda.

ISCHIAS s. MALUM ISCIATICUM

Eſt dolor ſpontaneus, qvodammodo fixus in alterutra, raro utraqve articulatione femoris cum acetabulo.

Symptomata iſciadis:

1. Dolor ipſe allati loci, ſponte ſ. absqve violentia externa aggreſſus, vel articulationem ipſam modo occupans, & iſchias ſimplex vocatus, vel dolorem ſecum ducens in partibus vicinis femoris poſticis vel anticis; tunc iſchias nervoſa a Cotunnio nominatur ſc. iſchias antica cum dolore protenſo ad ingven & anticam partem femoris, & extrorſum ad genu qvandoqve ad pedem fere usqve extenditur.

2. Motus affecti femoris ideoqve ambulatio difficilis, imo prorſus impedita.

3. Tumor dolentis loci perraro adjunctus, qvandoqve autem contabeſcentia femoris infra eundem.

Cauſæ externæ iſchiadis ſine dobio eædem ſunt, qvam ipſius arthritidis generaliter, qvarum actio modo non ſemper cognito ad juncturam iſchii dirigitur; ſic apud ſutores hunc morbum

crebiorem, qvam apud alios obſervavi, & derivavi e more eorundem ſaltem apud nos ſedendi in ſella dura lignea, unde vaſa iſciatica comprimuntur, itaqve ad ſtagnationem humorem diſponuntur.

Cauſa proxima merito cenſetur lympha acris ſpiſſa, remorans, qvandoqve forſan effuſa circa partes ad juncturam iſchii pertinentes; Cotunnius haud injuſto ſtatuit, iſchiadem nervoſam produci e materia morbifica liqvorem nervos circumdantem & humectantem contaminante.

Diagnoſtica ſigna ſatis manifeſta ſiſtunt, doloris deſcripta ſedes, & ſpontanea origo, qvanam ultima mali arthritica indoles patet atqve diſtingvitur ab alia hujus articulationis læſione per contuſionem, vel luxationem inducta.

Prognoſis:

1. Duratio iſchiadis communiter longum tempus continet, imprimis ſi initium illius aptis remediis haud oppugnetur; iſchias poſtica pertinacior & diuturnior qvam antica obſervatur.

2. Eventus iſchiadis poſſibilis

a) In ſanitatem utplurimum ſperandus, imprimis ſub apta medela; migratio doloris ad alias partes boni talis exitus indicium eſt.

2. In immobilitatem juncturæ ob ankyloſin ejusdem vel paralyſin, pravæ imprimis medelæ effectum (vid. diar. 1784. Septbr. 9.)

c) In corruptionem funeſtam juncturæ ſc. vel ſuppurationem, indeqve productam hecticam

febrem, vel monſtroſam excreſcentiam, qvæ vaſa & viſcera cum lethali effectu comprimere valet, (vid. diar. 1784. Febr. 8. 1783. Febr. 9.)

Curatio mali iſchiatici promovetur

1. Externis topicis.

a) Linimento volatili camphorato ſæpius ad partem dolentem applicito; incipienti & a refrigerio derivando morbo præſertim hoc convenit; iſchiadi ſimplici & anticæ qvandoqve ſufficit; illud nunqvam noxium vidi, etiamſi enim ad alias partes propellat dolorem, minus tamen hinc creatur incommodum, utpote arthritis iſchiatica pejor & pertinacior eſt arthritide alterius loci. Pannus laneus duplex incipientem morbum non raro profugat.

b) Balneo vaporis ad locum affectum ducendo & alternis circiter diebus repetendo, qvod in omni iſchiade convenit, & inſigne emolumentum præſtat; qvandoqve ſemicupium tepidum præ aliis deſideratam opem affert.

c) Veſicatorio præſertim contra iſchiadem poſticam deſiderato, haud in loco dolenti ſed juxta methodum Cotunni in exteriore parte cruris ad duos pollices infra genu applicando; magnitudinem volæ manus hoc habeat, & ad ſuppurationem exinde promovendum ſæpe convenit, illi ſubjungere ungventum cantharidum, (vid. diar. 1784. Januar. 4. & Februar. 4.); qvandoqve pluries applicare veſicatorium reqviritur; in inveterato ma-

lo balneum aliqvoties repetitum veſicatorio præmittere convenit, ut evacuationi per hoc efficiendæ aptior ſit materies per balneum reſoluta.

d) Emplaſtro de hyoſcyamo cum æqvali parte emplaſtri miraculoſi, triduo vel qvatriduo renovando, diuqve gerendo, unde levamen ſaltem notabile obſervavi; etiam in rebelli malo cataplasma emolliens mitigat dolorem imo ad reſolutionem confert: qvinimo aliis non juvantibus ungventum mercuriale vel reſolvens ad drachmam dimidiam qvavis veſpera applicandum eſt.

e) Tandemque, omnibus aliis fruſtra tentatis, ex fonticulo vel ſetaceo infra acetabulum applicito optatum effectum obſervavi. Nec, qvæ ſvadentur inuſtiones ope ferri candentis cuti appliciti, ſpernendæ videntur.

2. Internis, qvorum camphorata, uti pulvis temperans camphoratus, vel liqvor nervinus incipienti morbo qvadrant; his fruſtra adhibitis, ſupra allata antarthritica, antimonialia & gvajacina in uſum trahenda ſunt. Etiam venæſectio initio morbi, imprimis apud plethoricos vel febricitantes locum habet, qvin imo juxta effectum inde obſervatum & indolem phlogiſticam miſſi ſangvinis aliqvoties repeti poteſt.

GENUS II$^{dum.}$

ARTHRITIS ANOMALA

Eſt dolor vel affectio morboſa in loco qvodam capitis aut trunci externo vel interno ſeſe exſerens, artuum dolorem immediate excipiens & cum eodem alternans.

Symptomata arthritidis anomalæ multiplicia, juxta partem, qvæ afficitur, differentia.

1. In capite, unde cephalalgia qvandoqve enormis vel univerſalis, (vid. diar. 1786. Octbr. 3,) utplurimum particularis ſc. hemicrania, odontalgia, otalgia, ophtalmia, vertigo, (vid. diar. 1785. Jul. 6.); apoplexia, citaqve mors, (vid. diar. 1786. April. 14.); qvo referri poſſunt tremor, (vid. diar. 1783. April 3.); & paralyſis (vid. diar. 1782. Adril 5.)

2. In collo & faucibus, uti dolor nuchæ pertinax, faucium freqvens levior vel gravior affectio cum difficultate deglutitionis vel voce rauca; raro apud nos arthritidis ad hunc locum directio obſervatur.

3. In pectore effectus arthritidis anomalæ admodum freqventes, tam ſub acuto, qvam chronico morbo ſeſe exſerentes, uti veræ inflammationes, dolores non febriles, tuſſis ſicca vel humida, aſthma, (vid. diar. 1782. Auguſt. 3.); imo hy-

drothorax. (Septuagenarium tractavi, qvi a ſolita podagra per aliqvot annos liberatus incidit in tusſim moleſtam per expectorationem kerme minerali largiter promotam demum evanidam, verum brevi poſthac ſupervenit peripneumonia paucis diebus lethalis; alter ſeptuagenarius loco podagræ per annum circiter dyſpnoea laborabat cum intercurrente paroxysmo gravi aſthmatico tandem in hydrothoracem letalem finito; vid. diar. 1784. Januar 8.)

4. In abdomine dolor colicus varius, partim inflammationem ſimulans, vel revera efficiens, ſingultus, expanſio moleſta, (vid. diar. 1683. Jul. 4. 1785. Novbr. 3. 1784. April. 3. 1784. Mart. 5. 1786. Mart. 8. 1785. Junii 12.); probabile eſt, materiam arthriticam in hepate vel pancreate depoſitam ſæpius horum infarctus efficere, itaqve hydropem demum funeſtum; ad vias urinarias converſa materia arthritica dyſuriam, ſtranguriam, doloresqve lithiaſi ſimiles inferre valet.

Cauſæ externæ & antecedentes arthritidis anomalæ eſſe qveunt:

1. Retropellentia topica artubus arthritide affectis applicita, uti aqva frigida, ſpirituoſa, linimenta volatilia, fumigationes. (Comes qvidam inter noſtros ditiſſimus clanculum, inſciis me aliisqve illius medicis, per frictionem & fumum aromaticum dolorem podagricum levavit & diſſipavit,

primum cardialgia cum freqventi vomitu mox ſurrexit, & poſt paucos dies apoplexia letalis.)

2. Virium decrementum, & materiæ arthriticæ increſcens copia; in ſeneſcentibus præſertim arthriticis utraqve hæc cauſa conjungitur, ita ut natura haud amplius ad exteriora valeat propellere materiam morbificam, & ut hæc qvatenus abundantior etiam internas occupet partes. Venæſectio repetita debilitando vires occaſio arthritidis anomalæ evadit.

3. Attrahentes certæ conditiones in ipſis partibus internis, qvibus huc verſus materia morbi allici poteſt, uti irritamenta primarum viarum, ſive cruditates morboſæ, ſive purgantia fortiora, nec non debilitas & laxitas viſcerum.

Cauſa proxima arthritidis anomalæ eſt depoſitio & collectio materiæ arthriticæ acris & irritantis in partibus capitis, vel trunci, unde juxta regulas irritationis ſolitas dolor, affluxus humorum, & læſio functionis affectæ partis citantur.

Diagnoſtica ſigna ſc. e qvibus dolorem & affectionem morboſam capitis vel trunci arthriticæ indolis eſſe cognoſcitur, ſunt ſeqventia ſeparatim vel præſertim & certius conjunctim præſentia.

1. Periodica & inconſtans talis affectionis indoles ita ut mox adſit, & mox evaneſcat; (qverebatur qvidam dolorem internum laryngis modicum, matutino tempore præſentem, interdiu prorſus ſilentem, non recordans dolorem ullum

prægreſſum artuum, nilominus incommodum arthriticum eſſe declaravi & dein illum cum dolore manus nexum fuiſſe mihi innotuit.) Verum non ſemper periodica eſt affectio arthritidis anomala, ſed qvandoqve ſat fixa, nec omnis periodicus dolor eſt arthriticus, qvandoqve enim ſpasmo debetur maxime in hyſtericis, ideo hoc ſignum minus perfectum, attamen indicativum in viris vel ipſi arthritidi vel cauſis ejusdem ſubjectis putandum eſt, & ſemper anſam cetera inqvirendi ſigna exhibet.

2. Succeſſio immediata doloris vel affectionis morboſæ poſt dolorem articularem, ſive ſponte, ſive arte incongrua evanidum, præſertim ſi ſubitò hæc ceſſatio facta ſit.

3. Alternatio & migratio doloris & affectionis; ita ut mox unam mox alteram corporis partem ſive articularem ſive aliam occupet; hæc ultima duo ſigna tam ſeparatim qvam conjunctim æqve certo arthritidem anomalam indicant.

Prognoſis:

1. Externæ partes capitis & trunci ex arthritide anomala nullum periculum incurrunt, & per artem convenientem reſtitui poſſunt.

2. Interna viſcera præſertim cerebrum, & pulmones maxime hoc morbo periclitantur, & vel acuto, vel lentiore modo ad functiones vitales inepta fieri poſſunt; abdominalia viſcera tempeſtiva & rita medela non raro juvantur, (vid. diaria

ſupra ad ſymptomata arthritidis abdominalis citata.)

3. Gravior & ſubito ad interiora converſa arthritis majorem perniciem inducit, qvam levior & iamiam decreſcens, per ſe enim intelligitur, gradum affectionis internæ æqvalem fieri dolori externo prægreſſo, utpote eadem eſt cauſa.

4. Junioribus minus damni inducit anomala arthritis, qvam ſenioribus & arthritide ſæpius afflictis, major enim in his eſt materia morbi, & vires naturæ minores; interiorum funeſta deſtructio, ni alia mortis cauſa interveniat, finalis arthritidis effectus evadit. (Memorabile hujus exemplum æſtimo virum qvendam nobilem; podagricus apud illum inſultus debito citius evaneſcens levem apoplexiam induxit, qvæ, cujusqve paralytici effectus ſuperveniente febre intermittente, illiqve accomodatis remediis prorſus tollebantur; qvatuor poſthac annis per venæſectionem & eccoprotica crebro & tempeſtive applicita qvodammodo ſanus conſervabatur, qvinto anno ad tempus autumnale acceſſit hemicrania moleſta tandem auris fluxu ſeroſo modico ſoluta: ſexto anno ad idem tempus rediit hemicrania gravior diuturnior, demum etiam finita in auris fluxum, ſed iam purulentum, tandem poſt aliqvot menſes ſenſim, & ſponte terminatum; ab hoc vero tempore levis palpitatio cordis ſentiebatur cum dyſpnoea lente increſcente, qvæ anno elapſo cum gravibus par-

oxysmis aſtmaticis nocturnis, ad ultimum letiferis jungebatur; num fonticuli brachiis tempeſtive appliciti ad materiæ morbificæ fluxum verſus pectus prævertendum utiles & ſufficientes fuiſſent?)

Curatio arthritidis anomalæ continet regulas, & univerſales, cuicumqve hujus morbi ſedi convenientes, & ſpeciales juxta ſingularem ejusdem ſedem accomodandas.

Univerſalis medicatio in arthritide anomala duplice auxilii genere promovenda eſt:

1. Externis morbum ad artus derivantibus; qvalia ſunt pediluvia, ſinapismi, præſertim veſicatoria ad magnitudinem volæ manus potiſſimum membris, unde dolor receſſit, aut brachiis aut ſuris applicanda cum ſuppuratione, ſi opus ſit, per ungventum cantharidnm diutius promota; qvandoqve hoc modo dolor revera ad membra reducitur, interdum ſnppuratio materiam morbi absqve renovato arthritico dolore evacuat. Veſicatorium qvoqve vel unqventum ſinapinum amplum et ſæpius repetitum ipſis trunci partibus tam pectori qvam abdomini applicandum convenit. Etiam involutio pedum nocturna in cannabi ad craſſitiem digiti qvibusdam profuit.

2. Internis, humores, & materiam morbi ad ſuperficiem corporis propellendi vi gaudentibus; volatilia, ſudorifera hoc ſcopo conveniunt & commendantur. Mihi ſolitum & experientia ſatis comprobatum remedium eſt liqvor nervinus

bihorio vel rarius ad guttas circiter triginta exhibendum; mofcum qvandoqve fimul in auxilium voco. Efficaciam hujus methodi teftantur exempla arthritidis anomalæ fupra e diario citata. Etiam fpiritus luvendularum compofitus cum æqvali parte liqvoris nervini vel fpiritus falis amoniaci vinofi laudem meretur.

Specialis in arthritide anomala medicatio refpicit differentem fedem, nec non indolem affectionis.

1. Inflammatio, five pectoris, five abdominis arthritidi evanefcenti immediate fuccedens, fuisqve fignis denotata eadem ac alia inflammatio reqvirit remedia, prætereaqve externa derivantia fupra commendata.

2. Capite affecto, fi cutanei & fugaces dolores fefe exferant, balneatio crebra dolentis loci per aqvam frigidam fæpe fufficientem opem affert, fi verò fixior reddatur dolor, cucullus ex linteo vel ferico cerato et veficatoria reqviruntur in brachiis magis qvam in nucha efficacia (vid. diar. 1786. Octbr. 3.), eadem valet regula de odontalgia, otalgia & interna encephali affectione arthritica; (Singularem ophtalmiam ex hac origine mihi contigit obfervare in comite qvodam; poft dolorem oculorum aliqvot horarum infignis copia feri fub tunica adnata colligebatur, formans notabilem veficulam inter palpebras proninentem, qvæ, ne claudi poffent oculi, impediebat; per incifio-

nem promoto ſeri effluxu, dein balneatione oculi per mucilaginem ſeminum cydoniorum aqva roſarum mixtam, hirudinibus circa oculum & veſicatoriis ille affectus debellatus fuit. Apud alium nobilem fere octogenarium podagræ evaneſcenti ſucceſſit pertinax & notabilis tumor oculi dextri-cum rubedine & palpebras & ſcleroticam tingente, ſangviſugio per hirudines, & aqva ophtalmica comphorata maxima pars hujus mali tollebatur, reliqviæ ſenſim evaneſcebant ſub uſu vitrioli albi ſoluti in aqva roſarum cum admixto albumine ovi. Alii enormi tali cephalalgia afflicto inprimis profuit ſacculus e ſulphere contuſo paratus capiti impoſitus.) Externis talibus remediis convenit interna adjungere: uti liqvorem nervinum, moſchum, & in morbo lentius progrediente gvajacina.

3. Abdominis affectus arthritici, inflammatorii ſupra dicta ratione qvatales tractandi ſunt, verum non inflammatorii reqvirunt expurgationem cruditatum, qvæ forſan arthriticam materiam attraxerunt, vel per clyſmata, imo emeticum (vid. diar. 1785. Novbr. 3.); alias medicatio univerſalis qvadrat; ſi forſan diarrhoea retrogreſſæ arthritidis vices ſubeat, ſiſtentia damnoſa habeantur, etiam tunc liqvor nervinus qvadrat, vel anima rhei cum qvarta parte liqvoris anodyni mineralis ad guttas ſexaginta ter indies convenit, et, ſi diuturnior fiat diarrhoea, tinctura rhei vinoſa cum

(17)

dimidia parte liqvoris nervini; in univerſum inunctio freqvens abdominis per linimeutum volatile camphoratum contra arthriticas illius affectiones utilis eſt. (Expanſio abdominis arthritica gvajaco ſanata occurrit in diar. 1784. April. 3.)

4. Urinariæ viæ arthritide moleſtatæ etiam medicatione univerſali tractandæ ſunt, nec non inunctione allati linimenti, atqve potu largo mucilaginoſo acrimoniam involvere & diluere valenti, uti, thea plantaginis aqvaticæ cum radice althææ, vel emulſionibus; derivantia qvoqve uti pediluvia & ungventum ſinapinum artubus admota conveniunt.

5. Aſthma & dyſpnoea in arthriticis ſubito vel lente oborta, initio qvidem cura univerſali, nec non veſicatorio amplo inter ſcapulas vel pectori antico applicito tentari poſſunt; qvajaci uſus aliqvandoqve prodeſt (vid. diar. 17y3. April 5.); aliqvoties ex ſpiritu lavendularum compoſito cum ſpiritus ſalis amoniaci vinoſi æqvali parte bonum effectum obſervavi; ſimul in uſum trahi poteſt cortex mezerei vel fonticulus large ſuppurans in brachiis applicitus; ad ipſos paroxyſmos aſthmatis ex hac cauſa moſcus ad grana tria vel qvatuor bihorio exhibitus convenit, vel emetica (vid. aſthma convulſivum.) Tuſſis arthritica ſicca rememedia ut aſthma, humida autem expectorantia deſiderat. (Aſthma diuturnius poſt evaneſcentem podagram ortum, multis fruſtra tentatis, ſeminis ſi-

napis anglicani haud contusi uncia dimidia omni mane per plures menses sumta, revertente podagra, sanatum fuit. Tussis gravissima ab eadem causa orta largo vini de champagne usu, primaria revertente affectione, evanuit.)

Arthritis symptomatica dicitur dolor artuum vel juncturarum, imo aliarum partium externarum modo dependens ex alio concomitante morbo, nec aliam qvam primarii morbi medelam desiderans, qvales sunt dolores membrorum in venereis, hystericis, hypocondriaeis, hæmorrhoidariis, scorbuticis, imo ictericis &c. & qvandoqve locum intermittentis febris subeuntes.

ORDO II^dus.

DOLORES PARTICULARES.

Sunt dolores ad certam, qvamdiu durant, sedem s. partem corporis limitati, fixique, & ex hac ideo denominati.

Divisio horum haud incommoda sit juxta regiones, qvæ afficiuntur, diversas in seqventia genera.

GENUS I^mum.

CAPITIS DOLORES

Ad qvos referendæ sunt plures, juxta partem capitis affectam distinctæ & nuncnpatæ species sc.

Species I^ma^

CEPHALALGIA

Eſt dolor capillatæ partis capitis non febrilis ſive internus, ſive externus, ſive totam hanc partem occupans, ſive magis circumſcriptum illius locum, qvi hemicrania dicitur.

Cauſæ cephalalgiæ diverſæ, qvibus ipſius morbi dijudicatio & tractatio conformandæ ſunt ſc.

1. Cephalalgia plethorica, cujus canſa proxima eſt ſangvinis plenitudo univerſalis; remotæ cauſæ: bona nutritio imprimis absque ſufficiente labore, inhibitæ ſolitæ evacuationes ſangvinis ſive menſtrui ſive hæmorrhordalis ſive naſalis, neglecta conſveta venæſectio, æſtivus calor, ingeſta calefacientia, cibi multi, imprimis ſpirituoſa, vehementes animi affectus imprimis ira; ſigna illius diagnoſtica partim ipſe dolor, partim cauſæ remotæ & præſertim concomitantes moleſtiæ ſc. faciei rubedo & inflatio, gravativus capitis ſenſus, qvandoque vertigo, inſomnia & incrementum doloris poſt prandium, atque ex aliis cauſis incitantibus, primæ viæ ſanæ. Auxilium eſt duplex, a) ſangvinis diminutio, vel & primò per venæſectionem, vel ſi pertinacius & gravius ſit malum, per hirudines temporibus vel naribns, ſi ex ſolita epiſtaxi ſuppreſſa oriatur, applicitas, b) ſangvinis

temperatio per pulverem refrigerantem, potus acidulos, abſtinentiam a calefacientibus.

2. Cephalalgia congeſtionis, cujus cauſa proxima eſt affluxus, & collectio nimia ſangvinis ad caput ob impeditum illius circulum in aliis corporis partibus, uti e refrigeratis pedibus, diuturna alvi obſtipatione, tusſi moleſta, vomitu enormi, dyſpnoea, graviditate, qvænam cauſæ morbi ipſius indolem deſignant; in primo caſu pediluvium calidum, & dein cauſæ vitatio, in altero eccoprotica, qvoties opus eſt; & in duobus ultimis ſangvinis misſiones proſunt, & ſi incommodum notabile videatur, reqviruntur.

3. Cephalalgia debilitatis, qvæ ſc. e laxitate & debilitate vaſorum capitis & cerebralium derivauda eſt, propter qvam facilis & nimia collectio ſangvinis indeqve diſtentio dolorifica producuntur. Hujus cephalalgiæ remotæ cauſæ ſunt vitia diætæ ſangvinem ad caput allicere valentia, & crebrò commiſſa, uti ſtudia intenſiora protracta, vigiliæ, ſpirituoſorum abuſus, capitis nimis calida obductio; medela conveniens in avertendis cauſis, & roboratione capitis topica per balneationem ex aqva frigida conſiſtit.

4. Cephalalgia ex acrimonia, qvæ variæ indolis eſſe poteſt, præſertim aliunde ad capitis nervos depoſita, uti ex ulceribus & efflorefcentiis cutaneis conſolidatis & exſiccatis; (talis e ſcabie retropulſa occurrit in diar. 1786. Jul. 4.); reme-

dia ad artus derivantia imprimis veſicatoria cum protracta ſuppuratione, nec non interna depurantia conveniunt; (exemplum v. diar. 1783. Maj. 14., ubi veſicatorium magnum capiti eeraſo applicitum demnm poſt alia fruſtra adhibita profuit, huc ſine dubio referendum eſt.) Huc pvoqve pertinet cephalalgia frontalis ortum trahens e materia nociva in ſinubus frontalibus hærente v. c. colluvie mucoſa vel purulenta imo vermiculis, qvalia exempla per effluxam et emunctionem talis materiæ ſanata ipſe obſervavi.

5. Cephalalgia cerebralis e vitio ipſius encephali ortum trahens, ex eo dignoſcenda, qvod conſtans ſit cum ſtupore & vertigine communiter adjunctis, nullius remediis cedens, ſenſim increſcens, tandemque per lethargum vel apoplexiam finita in mortem; cauſa efficiens in defunctis inventa eſt varia, uti ſerum effuſum (vid. diar. 1784. April 7. & 1786. April 15.) ſerum & ſangvis ſimul effuſa (vid. diar. 1782. Jul. 5. 1783. Novbr. 7.) ſangvis merus effuſus (vid. diar. 1783. Maj. 7.) abſceſſus cerebralis (vid. diar. 1783. April 8.)

6. Cephalalgia ſtomachica, cujus cauſam ſiſtunt ſordes primarum viarum imprimis bilioſæ; hanc deſignant indicia ſolita ſaburræ bilioſæ, ejusdemque curatio per emetico-cathartica, qvoties opus eſt, repetenda peragi debet, (vid. ſat notabile hujus exemplum in diar. 1785. Februar. 3.)

7. Cephalalgia ſymptomatica, qvæ aliorum morborum ſimul præſentium effectus & ſymptoma eſt, uti cephalalgia febrilis, nec non rhenmatica, arthritica, hyſterica, ſyphillitica, verminoſa, qvæ omnes e concomitantis principalis morbi ſignis dignoſcendæ & per hujus curationes debellandæ ſunt; ex hiſce cauſis hemicrania utplurimum ortum trahit; (mihi nota eſt ægrota optime contra tale malum hyſtericæ ſ. nervoſæ indolis ſe habens ex infuſo theiformi corticis peruviani, raſuræ ligni qvasſiæ, radicis valerianæ ſylveſtris cum pauxillo feniculi ſeminis.) In plurimis hemicrania nullis remediis cedit, irregulariter periodica intra paucas horas inprimis ſub lecti calore et ſomno tranſiens; ex fonticulo brachiali tamen habentur tanationis exempla; ſeneſcente ætate decreſcit. Idem ferendum eſt judicium de proſopalgia ceu faciei dolore, atroci, per intervalla recurrente.

Species II^da.

OPHTALMIA

Eſt dolor oculorum, unius vel utriusque ſine vel ſæpius cum adjunctis rubedine, intolerantia lucis, & lachrymatione.

Plures hujus differentiæ dantur, qvæ omnes chirurgo oculiſtæ exacte cognoſcendæ ſunt, communes tantum varietates medico cuivis dijudicandas & juvandas attingo.

1. Ophtalmia accidentalis f. taraxis e principio cognito externo, uti fumo & vapore acri, corpore peregrino illapſo, vento frigido, oculorum nimio labore inducta, ſæpe ſponte & remotis cauſis tranſiens, ſi permaneant dolor & rubor, balneatio frequens per aqvam frigidam vel ſaturninam juvare ſolet; etiam aqva ophtalmica ſimplex v. camphorata conveniunt. Dantur non raro ophtalmiæ remediis humidis pejores redditæ, qvibus ſacculus aromaticus camphoratus optime qvadrat.

2. Ophtalmia, trikiaſis f. dolor oculorum e ciliorum directione verſus bulbum oculorum; evulſio ciliorum talium ſingulatim inſtituta per aptum inſtrumentum reqviritur.

3. Ophtalmia tuberculoſa f. hordeolum, cujus cauſa eſt tuberculum in palpebra ortum, ſæpius rubrum, per emollientia, imprimis lac tepidum cum croco coctum, ad ſuppurationem perducendum; etiam tale notabile vidi in canto interno oculi fruſtra allato modo tractatum, ſenſim verò ungvento neapolitano diſſipatum; interdum tubercula hæc pellucida ſero claro plena per puncturam facile ſananda.

4. Ophtalmia dentitionis, qvæ apud infantes non ratò obſervatur tempore, qvo dentes prorumpere ſolent; nullius hæc eſt periculi, & ſponte ceſſat perfecto naturæ molimine.

5. Ophtalmia inflammatoria, qvæ gravem secum ducit dolorem atque rubedinem & palpebrarum & bulbi oculi, ortum in genere trahens e materia acri ad oculos conversa, uti rheumatica, arthritica, tineosa, herpetosa, variolosa aliaque metastatica; curatio peragenda est, sangvinis missionibus, imprimis sangvisugio hirudinum e palpebris inferioribus, catharticis interpolatis, vesicatoriis vel in nucha, vel in brachiis, qvandoque cum protracta suppuratione; facta sic per aliqvot dies depletione vasorum optime convenit cataplasma saturninum sæpius per diem, qvoties sc. siccum sentitur, applicandum & renovandum; oculos ab irritante lumine cavendos esse per se intelligitur; in pertinaci opthalmia, etiamsi haud venerea, bonum effectum e mercurio dulci observavi, protracto malo fonticuli in brachiis applicandi sunt. Cum chronica talis ophtalmia debilitati vasorum non minus qvam acrimoniæ irritanti adscribenda est, roborantia conveniunt, uti aqua ophtalmica cum floribus zinci v.mercurialis; ungventum ophtalmicum rubrum,inprimis congruum ad inunctionem vespertinam in marginibus oculorum qvando muco spisso noctu agglutinantur. In ophtalmiis chronicis ex variis acrimoniis uti scrophulosa cet: infusum radicis altheæ ut optimum involvens comendari meretur. Rariorem ophtalmiæ causam mihi observare contigit sc. pediculos ex avicula, supra puellam ægrotam posita delapsos palpebra-

rum marginibus obſidentes; omnibus remediis fruſtra tentatis, detecta tandem et remota cauſa, oculi brevi reſtituti ſunt.

6. Ophtalmia venerea, qvæ qvandoqve effectus eſt miasmatis hujus nominis; chronica hæc eſt, non adeo dolens, ſtillationem ſeri viſcidi fluido per gonorrhoeam effuſo ſimiles ſecum ducens, præſertim e genuinis ſyphilidis ſignis præſentibus vel prægreſſis cognoſcenda, & medela huic morbo convenienti tantum tollenda.

Species III^tia.

OTALGIA

Eſt dolor auris internus absqve febre, cujus abſentia diſtingvitur ab otitide ſupra inter inflammationes memorata, qvoad cauſas præſertim duplex eſt.

1. Otalgia catarrhalis e refrigerio cognito exorta modica qvandoqve remitteus, ſanabilis per diaphoretica uti camphorata, pediluvia, extus applicitum fermentum panis calidum vel micam panis ſpiritu vini camphorato humectatam vel ſacculum aromaticum camphoratum, pertiuacior reqvirit venæſectionem, hirudines pone aurem, cataplasma emolliens, vel veſicatorium in nucha.

2. Otalgia ab intruſis peregrinis corpuſculis imo inſectis ſanabitur tollendo cauſas per in-

jectionem fluidi cujusdam ut lactis, vel extractionem, si potis est. Mihi nota sunt exempla, ubi pulices aurem ingressi enormes turbas & dolorem produxerunt, per spiritum frumenti immissum illico ejecti; simile emolumentum sperari potest ex oleo vel gossypio auri immisso, cui animalculum inhærens extrahi potest.

Species IV^ta.

ODONTALGIA

Est dolor ad sensum ægroti ipsorum dentium, plurium vel unius, veram sedem habens in nervis dentium vicinis.

1. Odontalgia cariosa, unicum modò in genere dentem occupans, e carie s. corrosione ejusdem ortum trahens, certissima medela est dentis affecti evulsio; alterum auxilium est ferrum filiforme candens sæpius foramini dentis cariosi immissum; oleum caryophyllorum cum æqvali parte laudani liqvidi sydenhami ad guttas nonnullas gossypio exceptum, & denti carioso inmissum, levamen saltem pro tempore affert, opium ipsum in pilulam aptam formatum eadem spe adhiberi potest.

2. Odontalgia catharralis s. rheumatica e refrigerio utplurimum cognito exorta, plures communiter dentes sive sanos sive cariosos occupans,

ſæpius cum tumore gingivarum vel genarum; ſudorifera camphorata, pediluvia, veſicatorium vel ungventum ſinapinum in nucha, inunctio genæ per linimentum volatile camphoratum, venæſectio præſertim in plethoricis, vel etiam hirudines gingivis impoſitæ, adhiberi debent, mox horum unum, mox aliud juvat; interdum evulſio dentis cujusdam carioſi, qvi occaſionem dolori præbuit, promptiſſime malum tollit, qvandoqve circa gingivas formatur tumor circumſcriptus durus ad abſceſſum tendens, ideoqve emollientia, uti lac calidum ſæpius in ore tenendum, ficum in lacte coctum gingivis admotum, vel cataplasma emolliens genæ applicandum deſiderans; maturato ſic abſceſſu paucum puris effunditur & dolor omnis ceſſat. Huic ſimilis eſt odontalgia arthritica, veſicatoriis præſertim juvanda.

3. Odontalgia gravidarum non raro in prægnantibus obvia, e plethorico ſtatu probabiliter derivata, ideoqve potiſſimum venæſectione tractanda; ſi forſan qvædam ex ſupra allatis aliis cauſis concurrat, caute hæc, nec nimis violentis modis auferenda eſt.

3. Odontalgia dentitionis, infantibus a ſexto circiter, imo qvarto ætatis menſe ad annum & ultra propria. Symptomata & ſigna illius ſunt, oblatorum omnium verſus dentes admotio & appreſſio, morſus ſolito fortior papillarum, ſalivatio multa, ardor oris, ſitis, inqvietudo, vigiliæ, ejula-

tus, qvandoqve diarrhoea boni ominis, etiam vomitus, ecclampſia ſæpe letalis. Frictio freqvens gingivarum, ipſius naturæ inſtinctum imitans, ad indolentiam producendam inſervit; alvi fluxus, utpote ſalutaris obſervatus, non impediendus, & ſponte non præſens arte, uti ſyrupo rhei vel mannæ vel pulvere infantum cum rhei promovendus; periculoſa nervorum irritatio prævertenda, vel tollenda eſt, cui ſcopo confert moſcus ad aliqvot grana allatis ſyrupis admixtus, vel ſyrupus diacodii, aut ſolus, aut ſi alvus minus fluat, cum æqvali parte ſyrupi de rheo, cujus compoſiti unciis duabus apponuntur moſci grana qvatuor vel ſex, unde cochleare minus vel duo porriguntur bihorio vel rarius, loco moſchi flores zinci interdum, cum fructa adhibentur; etiam anima rhei cum qvarta parte liqvoris anodyni mineralis a guttis decem ad viginti ter bisve die exhibita laudabilis eſt, imprimis ſi fluxus alvi profuſior obſervetur.

GENUS II^dum^.

DOLORES COLLI ET PECTORIS

Qvo referuntur duæ ſpecies ſc.

Species I^ma^.

DYSPHAGIA

Eſt moleſta, dolorifica qvandoqve prorſus impedita deglutitio, a cauſa vel obſtaculo in loco

qvodam viæ alimentariæ hærente producta. Varietates hujus feqventes notabiles funt:

1. Dyfphagia fpasmodica, qvæ intermittit, hyftericis admodum fveqvens & antifpasmodicis circa hunc morbnm referendis juvanda; huc annumeranda eft dyfphagia in putridis qvandoqve obvia, (vid. diar. 1782. Junii 1. & 1783. Febr. 1,) ubi liqvor nervinus profuit. Abfente febre laudanum liquidum convenit.

2. Dyfphagia paralytica continua fine dubio rariffima. Diagnofin hujus exhibent abfentia doloris & fenfationis obftaculi, qvod etiam inftituta exploratione haud occurrit. (Semel hunc morbum vidi in juvene fedecim annorum, qvi plures menfes durans, modo liqvida admittens, plurimis remediis fruftra tractatus demum fponte ceffavit. Sine dubio caufa ejus erat enorme corporis incrementum intra annum ad dimidiam ulnam factum, qvo abfoluto malum fenfim evanuit; verofimiliter fibræ mufculares oefophagi per allatam caufam debilitatæ et elongatæ functioni fuæ haud refpondebant.) Alias in hac dyfphagia remedia folita antiparalytica adhibenda funt et cibi mafticati per oefophagum propellendi ope brachille e balæna fpongiam in extremo gerentis, donec vires fenfim reftaurentur.

3. Dyfphagia a deglutitis, qvando fc. aliqvod ingeftum in via alimentaria fixum hæreat, adeoqve defcenfum aliorum impediens; prægreffa

caufa fat manifeftum hujus fignum eft; & auxilium ex allato inftrumento pharyngi & æfophago immittendo petendum eft vel a pulfatione forti inter fcapulas, qvo, a plebe adhibito remedio qvandoqve folutionem et ejectionem ingefti efficitur; hæc dyfphagia qvandoqve vitam exftinxit ob compreffas fimul vias aeriferas.

4. Dyfphagia inflammatoria fc. ab inflammatione oefophagi ortum trahens; hæc mihi ipfi licet rarius occurrit, fenfum moleftum in tractu oefophagi prefforium, excoriationis, vel ardentem fecum ducens, nec non pulfum tenfum, & fangvinis miffi phlogifticam indolem; phlebotomia repetita & camphorata juvarunt. Alia, anginæ effectus, fupra memorata eft.

5. Dyfphagia e tumoribus, variæ indolis, fchirris, vel excrefcentiis, cujus exempla apud autores plura obveniunt attamen fat rara, e conftanti indole, fixo loco, & diuturnitate doloris & obftaculi hæc dysphagia facile fatis cognofcitur, nullis remediis tollitur, & tandem ingeftionem nutrimenti impediendo neceffariam & letalem confumptionem inducit.

6. Dysphagia aphtofa f. ex aphtis os internum & fauces occupantibus. Aphtæ funt ulcufcula alba, vel difcreta, dum incipiunt, & tunc parva rotunda; vel fub progreffu confluentia, lingvam fæpius & præfertim, etiam labia, palatum, tonfillas, fauces obfidentes; ex hac defcrip-

tione, & imprimis ſi ſub dicto nomine ſemel obſervatæ ſunt, facilis eſt diagnoſis. Oriri poſſunt in ætate infantili, febre biliosa, & ſtricte putrida; febre phtiſica omnis generis ſc. e ſuppuratione viſcerum internarum, ut & ulceribus inveteratis conſolidatis, hydropis ultimo gradu, atqve dyſenteria. In tribus ultimis caſibus morbum, unde dependent, ad letalem terminum provectum aphtæ denotant; in aliis autem prioribus aut innocuæ, imo criticæ judicari poſſunt. Curatio earundem vel radicalis eſt conſiſtens in medicatione, ſi poſſibilis ſit, primitivi morbi, aut levatoria localis in aphtis e qvalicumqve origine productis conveniens, topicis abſolvenda, e qvibus ſe optime præſtitit linctus boracinus mediante penicillo aliqvoties per diem aphtoſis partibus applicatus; aphtoſus mucus ita ſolutus collutione oris per aqvam ſimpliceem ſubfrigidam abſtergitur & exſpuitur. Laudatum linctum etiam collutorio commixtum in ore agitare prodeſt; ſi aphtæ altiorem ſedem in faucibus habeant, ut remedium deglutiatur, neceſſe eſt. Citum qvoqve auxilium vidi ex aluminis crudi drachma dimidia in aqvæ unciis ſex ſoluta contra ardorem faucium intolerabilem et pronitatem ad aphtas poſt febrem intermittentem cortice abactam orta, aliis remediis fruſtra tentatis.

7. Dyſphagia habitualis ſeu conſtans, chronica non tollenda oeſophagi affectio, tenuia ali-

menta modo admittens, forſan calloſæ indurationi poſt inflammationem ſuperſtiti adſcribenda.

Species II$^{da.}$

PLEURODYNE.

Eſt dolor in regione qvadam pectoris modicus absqve concomitante febre. Differt juxta cauſas diverſas. ſc.

1. Pleurodyne plethorica a plenitudine ſangvinis in genere, vel per retentum fluxum hæmorrhoidalem aut menſtruum orta, ex ultima cauſa ſat diuturnam pleurodynen obſervavi; a ſangvinis miſſione auxilium petendum eſt.

2. Pleurodyne flatulenta imprimis poſt cibos largiter ingeſtos oborta, & cum alvi ſegnitie juncta, factaqve evacuatione per clysma aut eccoprotica ceſſans.

3. Pleurodyne ſcorbutica qvandoqve ſat diuturna morbum hujus nominis interdum concomitans, & præſertim remediis illi adaptatis tollenda (vid. diar. 1684. Februar. 5.)

4. Pleurodyne ſcabioſa e materia hujus tituli retenta vel retrogreſſa ortum trahens, & remediis præſertim ſulphureis morbum ad cutem propellentibus juvanda (vid. diar. 1784. Mart. 6.)

5. Pleurodyne metaſtatica per materiam purulentam alibi in corpore generatam & in pec-

tore depositam inducta; hæc letalis est (vid. diar. 1786. Januar. 6.)

6. Pleurodyne ex concretione, hanc puto modicum dolorem, qvandoqve post inflammationem pectoris superstitem, absqve febre aut signis suppurationis & fere sine ulla respirationis difficultate; lapsu temporis sponte cessat, vel obscuratur.

7. Pleurodyne spasmodica subito aggrediens vehemens, sine causis allatis et sine ullo febrili symptomate, antispasmodicis uti liquori nervino crebrius sumpto cedens. (Cardiogmus s. molesta præcordiorum affectio & pectoris pulsatio, imprimis sub motu, vitioque ipsius cordis imputandus ad asthmata referri potest.)

GENUS IIItium.

DOLORES GASTRICI.

Qvos in stomacho sedem habere æger sentit.

Species Ima.

PYROSIS.

Est sensus ardoris molestus ventriculi per oesophagum ascendens, qvandoqve largam salivationem excitans.

1. Pyroſis ex acido, vel ingeſtis nimiis hujus indolis; huic conveniunt antacida, imprimis magneſia, cui ſub alvo ſegniori apponitur pulvis rhei, ad cochleare minus aliqvoties ad productum juvamen exhibita; vel ob defectum bilis acidum corrigentis (vid. diar. 1783. Auguſt. 5.), ubi remedia hepati medentia adhiberi debent.

2. Pyroſis e pingvibus ſc. ingeſtis cibis pingvibus vel rancidis oriens, ſponte qvidem tranſit, citius per vinum uſtulatum vel acidos fructus juvatur, eccoprotica perſeverans malum reqvirit.

3. Pyroſis periodica loco intermittentis febris, perrara (vide exemplum in diar. 1786. Jun. 2. eccoproticis ſanatum.)

4. Pyroſis gravidarum, vario graviditatis tempore poſſibilis; multa pro levamine, ſed fere incaſſum aſſvaſi; qvippe ventriculum vacuum præſertim hoc malo laborare obſervatur, jentaculum prima luce, nec non potum chocolade commendavi.

5. Pyroſis habitualis, freqventer, imo qvotidie recurrit cum aut ſine ſalivatione multa, vel ſponte, vel per occaſionem ingeſti cibi acidi & pingvis; abſtinentia ab hiſce, & uſus freqvens lactis & piſcium incommodum hoc levant; ipſe talem pyroſin præſertim noctu moleſtam diu passus demum, aliis fruſtra tentatis, ſpiritu vini modica doſi ad coenam ſumta fugavi. Alium deſpe-

ratum ſanavit ovum recens omni mane; qvandoqve ſalutaris eſt, ad integritatem reliqvæ ſanitatis ſerviens.

Species IIda.

CARDIALGIA.

Eſt ſenſatio moleſta, anxia in regione epigaſtrii lipothymiam minitans, imo inferens.

1, Cardialgia a ſaburra varii generis ſc. ingeſtione cibi nimii, pravi, viſcidi mox producta, vel bilioſa lentius generata & ſymptomatibus bilioſis ſolitis deſignata; hanc emetica & eccopprotica juvant, & deſiderantur, ni malum cito ſponteqve tranſeat.

2. Cardialgia a veneno gravis, neglectâ citâ medelâ, tranſiens in inflammationem funeſtam; lacte dulci & præſertim oleo et ſaponis ſolutione largiter & continuo ingerendo, unde vomitus ſalutaris qvandoqve citatur, illico huic infortunio ſuccurendum eſt (vid. diar. 1787. Februar. 12.)

3. Cardialgia ſymptomatica ab alio ſimul præſente morbo ortum trahens, uti cardialgia hyſterica, arthritica, verminoſa, ſcirrhoſa, febrilis; qvæ omnes principalis morbi indiciis cognoſcuntur, ejusdemqve medela debellari debent.

Species IIItia.

GASTRODYNIA.

Eſt dolor preſſorius in regione ſtomachi continuus ſæpius cum aliqvali tumore ejusdem junctus.

1. Gaſtrodynia ſaburralis, ex iisdem cauſis & eandem reqvirens medelam ac cardialgia ex ſaburra, hujus indolis eſt dolor epigaſtrii febri bliioſæ freqventisſime junctus.

2. Gaſtrodynia e retento fluxu menſtruo; hæc mihi ſæpius obvia, intumeſcentiam epigaſtrii ſecum ducens, optime adjuta pilulis aperientibus cum marte vel ſolis vel cum æqvali parte pilularum gummoſarum unde grana qvindecim ter indies ſumuntur. Huic ſimilis eſt gaſtrodynia hæmorrhoidalis etiam crebra illis, qvi hæmorrhoïdibus coecis vel fluentibus retentis laborant. Lac ſulphuris cum æqva parte ſalis polychreſti ad cochleare minus bis terve indies juvare ſolet.

8. Gaſtrodynia flatulenta dyſpepſiæ effectus qvandoqve per ſe exiſtens, varii gradus, ſenſum expanſi ventriculi ſecum ducens, nec non emiſſionem flatuum præſertim ſurſum cum levamine mali, præprimis in illis, qvi liqvidis tepidis nimium utuntur, occurrit, per aqvas aromaticas, uti menthæ, appoſitis viginti guttis liqvoris anodini mineralis levatur; pertinacior & freqventior reqvirit medelam roborantem per

animam rhei, vel corticis peruviani, rafuræ ligni qvasfiæ ana unciam dimidiam, feminis feniculi drachmam pro infufo frigide ingerendo; vel aqvam pyrmontanam, & abftinentiam a liqvidis relaxantibus.

4. Gaftrodynia fymptomatica, alterius fe. compræfentis morbi effectus, uti gaftrodynia verminofa, qvæ cura primitivi morbi adaptata debellari debet.

Species IVta.

DYSPEPSIA.

Eft chronica crebra & molefta affectio ventriculi & inteftinorum ab ingeftis.

Symptomata.

1. Aëris nimia in tubo inteftinali expanfio, unde inflatio abdominis, & molefta flatulentia, anxietas, triftitia, & animi depresfio, & ob impeditum in vafis abdominalibus circulum, fangvinis verfus caput congeftio, indeqve vertigo, fufurrus aurium, infomnia, incubus.

2. Ingeftorum mala digeftio, pravaqve inde imprimis acida contracta indoles, uude cardialgia, eructationes freqventes, male fapidæ, fæpius acidæ, appetitus depravatus, ob prædominantem acrimoniam acidam non raro debito major, malus tamen ventriculi habitus mox poft in-

gestionem, & corporis potius consumptio & debilitas, qvam bona nutritio.

3. Alvi difficilis exoneratio, unde sensus molestus pressorius abdominalis, affectiones hæmorrhoidales, incrementum aliorum ex hac causa malorum.

Causæ remotæ sunt seqventes separatim, imprimis conjunctim agentes.

1. Vita sedentaria; qvapropter hic morbus litteratis maxime competit; & defectus motus corporei, summi sanitatis adminiculi, & situs diu incurvatus viscera comprimens, in sedentariis ad dyspepsiam producendam conspirant.

2. Protracti animi labores, ejusdemqve tristia pathemata; validus mæror testante qvotidiana experientia mox appetitum prosternit, itaqve efficaciam nervis stomachi nocendi manifestam exserit, per se ideo patet, protractum talem mentis statum adhuc damnosiorem esse; dyspepsia a mærore communiter inapetentiam sibi junctam habet. Animi autem labores similem vim ventriculo nocendi habere demonstrat dyspepsia in litteratis præ aliis, qvoad reliqva eodem vitæ genere utentibus.

3. Victus inconveniens sc. nimius vel digestu difficilis, uti lardum, pisa, poma terrea, olera & similia debito largius & crebrius ingesta, vel aqvosius, potissimum aqva multa tepida, ut potus thee; hisce omnibus distenduntur & relaxantur

fibræ mufculares; & nervi itaqve vim debitam perdunt.

4. Debilitas inteftinorum poft alios morbos relicta & fuperftes, imprimis poft dyfenteriam, diarrhoeam, febrem intermittentem qvandoqve obfervata. Huc referri poteft dyfpepfia e læfione hepatis & defectu bilis, qvæ tamen mere fymptomatica eft.

5. Defectus mafticationis et debitæ alimenti in ore comminationis et triturationis.

Caufa proxima merito habenda eft laxitas atqve debilitas tubi inteftinalis, ejusdemqve fibrarum mufcularium, utpoteqvæ et e caufis prægresfis, diftendentibus, relaxantibus, debilitantibus facile intelligi & declarari poteft; qvæqve ad declaranda hujus morbi fymptomata apprime convenit & fufficit; aeris enim expanfio nimia, ejusdemqve effectus neceffario furgunt, dum vires mufculares illam coercentes deficiunt, ingeftorum prava indoles, & debito fegnior egeftio non minus probabiles labefactati motus periftaltici effectus funt.

Diagnofis dyfpepfiæ e fymptomatibus ejusdem fupra memoratis fat facile eruitur; vix enim cum alio morbo confundi poteft; excepto hepatis morbo chronico, cujus compræfentia figna dyfpepfiam fymptomaticam indicant, illis autem abfentibus dyfpepfia vera & idiopathica cenfenda eft.

Prognoſis. Periculi expers hic morbus per plures annos imo longam vitam durare poteſt, interdum ægroti ipſi vitia diætæ, unde malum ſurgit, obſervantes, proprio marte vitando cauſas, morbum frangunt, ſive medicum petunt & medicinam, qva rite electa & adhibita certior & completior curatio promoveri poteſt.

Curatio dyſpepſiæ promovenda eſt.

1. Eccoproticis ſ. alvum modice ſubducentibus remediis. Indicans horum duplex eſt ſc. vel cruditates, earumqve ſigna, lingva nimirum ſordida, ſapor & ructus pravæ indolis; vel exoneratio alvi non ſponte procedens; indicata ſunt medicamina non modo vim catharcticam, ſed ſimul roborantem habentia, uti pulveris rhei ſcrupulus cum æqvali parte ſalis neutrius, aut ſi acidum ructus indicent, magneſia alba cum vel ſine rheo, qvandoqve plures doſes ad effectum deſiderantur; a protracto illius uſu nil mali timendum eſt.

2. Roborantibus remediis, qvæ principalem & radicalem curam hujus morbi efficiunt, qvo præſertim pertinent amara & aſtrigentia ſc. cortex peruvianus vario modo adhibitus, mox enim una mox alia forma prodeſſe videtur; aut pulvis illius ad drachmam dimidiam bis terve die porrectus; aut illi ſimul appoſita grana qvinqve limaturæ martis ſubtilis, aut tot grana radicis rhei, aut illius decoctum, aut infuſum ſimplex, vel ex adjuncta æqvali parte ligni qvaſſiæ in uſum

trahi poſſunt. Qvandoqve anima rhei ſola bis terve per diem ſumta ad guttas ſexaginta ipſo cortice melius juvat. Alia amara haud contemnenda ſunt; ſc. pulvis zingiberis albi ad cochleare minus aut aqvæ aut vino vel ſpiritui vini admixtus ante meridiem ingerendus. Pluribus profuit tinctura aperiens amara; (adhuc recordor exemplum puellæ pertinaci anorexia & dyſpepſia laborantis, qvæ poſt multa alia fruſtra tentata infuſo ſummitatum abſinthii qvotidie hauſto ſanabatur.)

3. Diæta convenienti.

a) Alimentis, qvantitatis modicæ, qvæ ſc. ſumta nullas vel vix notabiles moleſtias creat, qvalitatis itidem conuenientis, qvam ægri ipſi ſæpe melius, qvam medici juxta effectum inde animadverſum definire poſſunt; pingvia tamen, viſcida, acida, flatulenta fugienda ſunt; aromata ut ſemina piperis groſſe contuſa crebro adhibenda ſunt.

b) Potu modico roborantis indolis; pro jentaculo cereviſia fortis aut potus caffe, aut thea carminativa inſerviunt, pro prandio modica vini rubri doſis, non inter fercula, ſed poſt illa ſumenda, vel ejus loco cereviſia fortis, aliqvot poſt prandium horis elapſis, potus thee fere frigidus minus nocet, laudabilior vero eſt aqva frigida ſimplex; poſt cænam major copia liqvidi convenit ſc. aut vinum rubrum aqva frigida mixtum, aut cereviſia fortis.

c) Motn corpori ſufficienti quacunqve ratione inſtituto, eqvitatio merito maxime laudatur, aut brevi ante prandium, aut aliqvot poſt illud præteritis horis talis motus eligendus eſt, mox enim poſt prandium ſomnus tamen haud nimis protractus valde convenit ad concoctionem promovendam.

d) Vitando omnes reliqvas ſupra allatas dyſpepſiæ cauſas, & qvamdiu morbus durat, & poſt illum devictum, ne, qvod jure timendum eſt, recidivet.

4. Aqvis pyrmontanis, aut ad fontem ipſum qvod efficaciſſimum eſt, aut ad nos translatis; nil certo hoc remedio contra dyſpepſiam præſtantius eſt; & ut roborans, & ut acrimonias diluens & auferens agit; æſtivo tempore adhibendum eſt ad tres qvatuorve hebdomades continuas, primis diebus ad dimidiam dein ad integram lagenam; alvi fluxu non procedente drachma ſalis ſedliſencis ſimul ſumitur; poſt exhauſtam definitam qvantitatem potum caffe aut chocolade bibere convenit, ſub aere libero potiſſimum & motu corporis modico haurienda eſt illa aqva, vegetabilia non cocta prohiberi ſolent, animiqve qvies imperari. Bis ipſe maximo cum emolumento hisce aqvis contra dyſpepſiam uſus fui.

GENUS IVtum

COLICA s. DOLORES COLICI.

Eſt dolor in regione inteſtinorum ſedem habens, plures hujus morbi dantur ſpecies juxta originem differentes & denominatæ; omnis ideo colica qvoad cauſam exploranda, dijudicanda, & tractanda eſt.

Species Ima.

COLICA INDIGESTIONIS.

Eſt dolor colicus ſ. inteſtinalis ex ingeſtis nociva & irritante potentia agentibus obortus; e tali prægreſſa cauſa cognoſcendus, ejusdemqve indoli variæ adaptatis remediis tractandus & juvandus. Nimia ingeſti qvantitas, ſi in culpa ſit, auferenda eſt, vel emeſi, præſertim dum ipſa natura illam molitur, vel enemate, ſi periculum in mora eſt, alias pulvere digeſtivo; ſi acida ingeſtorum indoles hanc acrimoniam peccantem indicat, magneſia alba vel ſola ad cochleare minus bihorio aut trihorio usqve ad levamen porrigatur, vel illi apponatur dimidia pars rhei; ſi pingvia vel rancida malum creaverint, modica doſis ſpiritus vini præſertim cum admixta qvadam eſſentia amara qvandoqve juvat; pertinacior dolor evacuantia deſide-

rat clyſmata aut pulverem eccoproticum. Huc pertinet colica flatulenta; cui occaſionem præbent certi cibi aere pleni uti piſa, brasſica aliaqve legumina, expanſione abdominis inde freqvente, levamine per flatus ſurſum vel deorſum emiſſos dignoſcitur; aqva menthæ præſertim cum liqvore anodyno minerali levatur, qvandoqve pro tempore tollitur; ſi alvus ſegnior ſit, clyſma vel pulvis eccoproticus ſimul in uſum trahenda ſunt; crebior illius reverſio dyſpepſiæ ſignum eſt, ejusdemqve curam ſupra memoratam deſiderat.

Species II[da].

COLICA E REFRIGERIO.

Eſt dolor abdominalis ſ. rectius inteſtinalis immediate ortus poſt refrigerium cognitum notabile pedum, vel alterius corporis partis; lectus & potus calidi, mixtura camphorata acida bihorio ad cochlearia duo majora, vel ſi alvus ſegnis ſit mixtura camphorata laxativa, vel liqvor nervinus huic caſui medentur vel, ſi a ſuppreſſo ſudore ſolito pedum colica oritur, repetita pediluvia in uſum trahenda ſunt; ſi pertinacior reddatur, tanqvam enteritis conſideranda & curanda eſt.

Species III^tia.

COLICA PANCREATICA.

Eſt dolor fixus modicus medii abdominis, admodum chronicus in caſu, qvem obſervavi (vid. diar. 1782. Auguſt. 5.) juncta habens pyroſin, ſalivationem notabilem, tabem demum letalem; maxime reſolventia remedia intus ſumta præſcripſi, forſan efficaciora contra malum minus inveteratum. Certum hujus morbi indicium poſſibile creditur per explorationem abdominalem jejuno ventriculo & femoribus ægroti antrorſum ductis inſtitutam, dum induratum pancreas ita palpari & diſtingvi poteſt.

Species IV^ta.

COLICA STERCOREA.

Eſt dolor inteſtinalis poſt diuturnam alvi obſtipationem atqve e ſcybalis copioſis ortum trahens, partim e cauſa prægreſſa partim e dolore minus qvam in enteritide vivido dignoſcitur; etiam effectus clysmatis oleoſi, qvod in hoc caſu principale remedium efficit, juvando nominatam morbi indolem deſignat; qvod ſi non obſervetur, inflammatorium aliqvid ſubeſſe credere licet. (Mihi occurrit exemplum vetulæ tali colica labo-

rantis demortuæ, cujusqve diſſectæ colon integrum ſcybalis duris prorſus plenum & notabiliter expanſum inveni; in altera tali colica demortua præternaturalis coli curvatura evacuationem impediebat. Aliam obſervavi in puerpera cum vomitu omnis ingeſti et materiæ vicidis; e clysmatibus ſolitis et ſtimulantibus nullus effectus; demum poſt largum uſum cataplasmatis emollientis in abdomine et dein injectum oleum lini ad uncias octo, qvod per duodecim horas retentnm nonnullam, et dein repetitum ſimul adhibito clysmate emolliente largam et ſufficientem evacuationem produxit.)

Species V^ta.

COLICA HYSTERICA

Eſt dolor colicus gravis, intermittens, vel notabiliter remittens apud hyſtericas perſonas oboriens, communiter ſymptomata hyſterica ſibi juncta habens, uti frigus crurum, ſingultum, cardialgiam, vomitum alvumqve ſegnem; intermiſſio doloris illam diſtingvit a colica inflammatoria ſ. enteritide; ſordes inteſtinales illius præcipuam cauſam efficiunt, ideoqve ſanatio peragenda eſt per apta evacuantia, uti clysma, in qvo drachmæ duæ aſſa foetidæ ſolutæ ſunt; etiam mixtura e ſalis mirabilis Glauberi unciis duabus ſolutis in aqvæ

destillatæ menthæ unciis octo cum addita uncia animæ rhabarbari ad cochlearia duo bihorio exhibita, & per plures qvandoqve dies continuata; vel oleum ricini laudabilem effectum exserit; si reliqviæ hystericæ dein permaneant, liqvor antispasticus ad guttas qvinqvaginta ter per diem porrigatur (vid. diar. 1783. Aug. n. 6. 1784. Aug. 3. & 1785. Febr. 5. Talem colicam ex animi pathemate subito ortam sine prægressis junctisve sordibus intestinalibus laudani liquidi guttis qvinqve in aqva menthæ omni hora præbitis cito fugatam vidi.)

Species VI^ta.

COLICA NERVOSA, s. PICTONUM

Est dolor intestinalis atrox, constrictorius cum obstipatione alvi & adjuncta affectione artuum morbosa, dolorifica vel paralytica, (vid. diar. 1782. Sept. n. 2. 1783. Nov. 5. 1785. Jul. 12. & 1786. Octbr. 6.)

Symptomata in hoc morbo possibilia:

1. Dolor ipse gravis constans præsertim medii abdominis etiam extensus ad epigastrium & hypochondria, constrictionem s. retractionem abdominis secum ducens, a pressione externa non increscens.

2. Obſtipatio alvi & retentio flatuum; ſub modico morbi gradu alvus licet ſegniter & cum excrementis duris aperitur, ſub adultiore morbo plena adeſt conſtipatio.

3. Artuum affectio morboſa; ſævientem dolorem abdominalem ſæpe comitatur dolor crurum vel genuum, illum autem potiſſimum decreſcentem excipiunt debilitates paralyticæ ſæpius extremitatum ſuperiorum, unius vel utriusqve, vel manuum, vel certorum digitorum, qvandoqve artus inferiores ſimul debilitantur, ſemel totalem ex hac cauſa vidi paralyſin ſc. & artuum omnium & lingvæ, oris, ſpinæqve dorſi integræ.

2. Accidentalia uti vomitus & ſingultus in magno morbi gradu, utplurimmm inqvietudo, inſomnia, facies pallido-flaveſcens, anorexia, pulſus varius, indifferens, qvandoqve naturalis, qvandoqve celer tenſus.

Cauſæ remotæ antecedentes:

1. Metallica materies præſertim plumbea aliqvo modo in corpus introducta, opifices ideo talem materiem freqventer tractantes uti pictores præſertim, figuli, typothetæ; etiam vina falſificata per admixtam materiem metallicam accuſantur.

2. Refrigerium notabile & hinc conjecta qvædam acris materia ad nervos; qvod præſertim accidit in regionibus calidis; nautæ nonnulli ab

hiſce reduces & hoc morbo afflicti mihi occurrerunt (vid. diar. 1785. Julii 12; num exemplum diarii 1785. Januarii 7. ex eadem origine derivandum eſt?)

3. An ſpasmodica affectio nervorum mera etiam incuſanda eſt? absque ſupra allatis ſaltem irritamentis efficax; (num exempla diarii 1782. Mart. 4. & 1786. Octbr. 6. tale qvid arguunt?)

Cauſa proxima vix alia haberi poteſt qvam nervorum inteſtinalium irritatio ex acrimonia illis tenaciter adhærente, indeqve ſuſcitatæ contractiones partim idiopathicæ, partim ſympathicæ per conſenſum & mediante forſan nervo magno intercoſtali ad artus propagatæ.

Diagnoſtica ſigna:

1. Dolor ipſe colicus ſupra deſcriptus, per conſtrictionem abdominis & tolerantiam preſſionis externæ præſertim ab inflammatorio dolore diſtingvendus.

2. Cauſa prægreſſa ſ. qvod ægroti ſupra allato modo materiam morbificam tractaverint, qvandoqve hoc morbo antea afflicti fuerunt, unde etiam indicium præſentis caſus depromi poteſt.

3. Artuum concurrens ſupra allata affectio; hoc certisſimum eſt ſignum, qvandoque autem tantummodo ſub progreſſu colicæ ſeſe exſerens.

Dantur rariores tamen caſus, dubii præſertim ob defectum ſymptomatis artuum, ubi reipſa inflammatorius morbus apparet nervo-

ſus, & vice verſa; tunc a juvantibus & non juvantibus de indole illius judicium deducere opportet (vid. diar. 1783. Auguſt. 8. & Novbr. 6.)

Prognoſis. Artis ope convenienti ſemper ſanabilis eſt hic morbus, ſola autem natura ſanatum exemplum mihi haud occurrit, abdominis afflictio facilius & citius tollitur; artuum verò debilitas pertinacior eſt, tandem verè & prorſus vincibilis, ni malum ſibi ipſi diuturno nimis tempore relictum fuerit.

Curatio duplice parte conſtat:

1. Contra affectum abdominalem, qvi primò tollendus eſt & ſemper tolli poteſt remediis emollientibus oleoſis; incipiendum eſt a ſolutione mannato-oleoſa ad cochlearia duo majora, vel melius oleo ricini a unciam dimidiam, omni hora vel bihorio porrigenda; optimum qvoqve effectum vidi ex mixtura camphorata laxativa, etiam poſt oleum fruſtra tentatam; ſi poſt diem alvi apertura & levamen inde non producatur, vel ſi dolor gravis urgeat, ſimul clyſma oleoſum applicandum eſt; inunctio oleoſa abdominis etiam utilis eſt, vel cataplaſma emolliens illi applicitum, balneum univerſale tepidum cito & notabiliter juvat; opiata raro et tunc alternatim cum remedio laxante porrexi. Plane devicta colica convenit uſus olei olivarum bis terve de die per duas treſve hebdoma-

des ad morbum eo certius exſtirpandum et præcavendum.

2. Contra debilitatem artuum ſuperſtitem, qvæ ſi univerſalior ſit, balnei integri tepidi uſum alternis diebus faciendum deſiderat; partialis affectus unius vel alterius brachii balneo vaporis qvandoque melius balneo ſtillatio, vel utroque alternatim adhibito, jnvabitur; electriſatio, qvæ affectibus paralyticis ex hac cauſa ortis optime convenit, cucurbitæ ſiccæ, frictio crebra ſine vel cum eſſentia cantharidum camphorata etiam in uſum trahantur; intus eſſentia ſtibii cum æqvali parte ſpiritus lavendularum compoſiti ad guttas ſexaginta ter indies, qvæ medicina non ſolum paralyticæ debilitati externarum partium, ſed ſimili qvoqve inteſtinorum poſt hunc morbum ſuperſtiti prodeſt, nec non infuſum theiforme ſlorum arnicæ adhibeantur.

Species VII^ma.

COLICA VERMINOSA.

Eſt dolor inteſtinalis inconſtans, vagus, ut plurimum punctorius e vermibus in canali inteſtinorum hoſpitantibus ortum trahens.

Symptomata per vermes poſſibilia;

1. In ipſo abdomine

a) Dolor inteſtinalis ſupra deſcriptæ indolis ſc. vagus mox unam in genere mox alteram abdo-

minis partem moleſtans, nec non inconſtans, id eſt, non ſemper præſens, ſed per intervalla recurrens.

b) Tumor ſ. expanſio aliqvatenus dura abdominis, præſertim apud pueros, vix autem in adultis notabilis.

c) Magis accidentalia; cardialgia imprimis jejuno ventriculo, appetitus irregularis qvandoqve enormis, alvus itidem irregularis, non raró laxa; etiam ſputatio multa, ſenſus ponderis cardiæ, ſymptomata bilioſa qvin imó vomitus habitualis (vid. diar. 1785. Jul. 5.)

2. In reliqvo corpore ſymptomata multiplicis generis citari poſſunt, haud immerito potiſſimum nervis per conſenſum irritatis adſcripta, uti circulus lividus in palpebris inferioribus, pupillæ dilatatæ, creber naſi pruritus, urina albida turbida; minus ſolita ſunt vertigo, ſuſurrus aurium, lipothymia, convulſiones, vera epilepſia, (ſingulares tales vermium effectus exhibet diar. 1783. Junii 5.); etiam macies & pallor faicei in verminoſis ſæpe occurrunt, nec non color mutabilis.

Cauſæ remotæ ſunt vermes varii generis in tubo inteſtinorum præſentes ſc. 1. vermes longi rotundi lumbrici appellati, 2. vermes lati faſciæ ſimiles e pluribus fruſtis ſ. vermiculis, ſeparatim qvoque viventibus compoſiti, ad plures ulnas longi, qvi tæniæ dicuntur; ſeparata hujus fruſta cucurbitini nuncupantur 3. tenues breves acubus

ſimiles, qvi aſcarides vocantur, imprimis in inteſtino recto ſedem habentes.

Cauſa proxima colicæ verminoſæ indeqve fluentium ſymptomatum eſt morbifica vermium actio ſc. 1. irritatio roſione vel ſuctione producta, unde dolor & motus irregularis varius & idiopathicus & per conſenſum in aliis corporis partibus citatus, 2. moles, qvandoqve in glomeres convoluti ſunt vermes, qvibus tranſitus contentorum per per inteſtina impeditur, unde expanſio & relaxatio inteſtinorum facile intelliguntur, 3. conſumtio materiæ nutritivæ, indeque tabes; tanta interdum vermium eſt cohors, ut ille effectus haud mirus videretur.

Diagnoſtica ſigna ſunt ſymptomata ſupra allata conſtantiora, imprimis tamen duo: dolor nempe allata ratione in abdomine ſeſe exſerens, atqve ejectio ipſa vermium, ſurſum vel qvod ſæpius fit, deorſum facta.

Prognoſis:

1. Per artem ſanatio qvidem poſſibilis, non raro difficilis qvandoqve impoſſibilis eſt, qvod maxime valet de ſpecie vermium tænia dicta; interdum remedia expulſionem vermium itaqve curationem radicalem efficiunt, qvandoqve absqve tali expulſione etiam juvare videntur.

2. Sponte interdum ſub increſcente ætate moleſtiæ verminoſæ, puerilibus annis potiſſimum familiares, diminuuntur, imo ceſſant.

3. Duratio verminofi morbi ad plures annos qvinimo præfente tænia per longam vitam extendi poteft.

4. Funeftus illius exitus, licet rarus tamen poffibilis eft aut per diarrhoeam colliqvativam, aut ob epilepfiæ violentos motus, qvalis eventus in pueris potiffimum timendus eft.

Curatio verminofi morbi peragenda eft.

1. Vermifugis fic dictis remediis, qvibus nimirum vermes necari vel fopiri creditur, qvalia funt femina tanaceti, fanthonici, fabbadillios, braffficæ rubfæ, fal martis & ex his compofita varia: mihi potiffimum in ufu eft pulvis vermifugus pharmacopoeæ danicæ cum æqvali parte cremoris tartari, unde cochleare minus ter per diem porrigitur, duplex dofis adultioribus; affa foetida, uti illius pilulæ ad grana qvindecim bis per diem potius ad fymptomata e vermibus tollenda, qvam ad illos expellendos conveniffe mihi videbantur; rafuræ ftanni drachmæ duæ, falis martis grana qvinqve bis per diem fumtæ commendantur contra tæniam; aliud præfertim contra hanc eft remedium Noufferi: vefpera nimirum fumitur pulmentum cum butyro mixtum, infeqventi mane pulveris filicis maris drachmæ duæ, bihorio abhinc elapfo bolus e mercurii dulcis & fcammonii ana granis duodecim, gummi guttæ granis qvinqve, confervæ cujusdam ut rofarum fcrupulo paratus, & dein infufum theæ viridis largiter hau-

riendus eſt, qvalem methodum cum optimo effectu aliqvoties, ſed ſæpe fruſtra tentavi. Etiam mercurius vivus contra vermes commendatur & qvidem uncia illius coqvitur cum aqvæ ſimplicis menſura ad ebullitionem; hæc aqva dein lacte & ſacharo mixta porrigitur per aliqvod tempus pro potu ordinario; etiam ipſe mihi videor aliqvod emolumentum exinde obſervaſſe, verum absque evacuatione vermium. Proſunt porro infuſum vinoſum ſumitatum abſinthii, vinum rubrum ad cochleare majus cum pauxillo ſalis marini jejuno ventriculo ſumptum, et electuarium ex pulvere ſeminis ſanthonici, aniſi, foliorum rutæ, ſennæ et radicis rhei optimi ad partes aquales cum melle mixto, quod mane et veſpere præſertim cum cereviſia porrigendum eſt. Oleum terebinthinæ ad unciam dimidiam bis per diem, contra tænias præſertim, laudatur. Contra ascarides oleum ricini per intervalla exhibitum commendatur.

2. Purgantibus remediis; mihi ſolitus eſt pulvis radicis jalappæ, ſachari canarienſis ana drachma dimidia, mercurii dulcis grana decem pro adulto, & minor doſis juxta ætatem ægroti conformanda, nec ſalina comtemnenda ſunt; etiam aliis fruſtra tentatis efficax inveni electuarium e ſeminis ſanthonici, braſſicæ rubræ ana uncia dimidia radicis jalappæ drachma mellis communis ſufficiente qvantitate paratum, cujus cochlearia

duo minora omni mane jejuno ventriculo ſumi debent, nec immerito laudatur largior olei ricini uſus; circa mere purgantium contra vermes uſum illa regula recepta eſt, qvod ad diem qvartum vel qvintum vermifugis interponantur, eo ſcopo, ut vermes anthelmenticis necati vel debilitati evacuarentur.

3. Emeticis ſolitis præſertim indicatis, ſi biliofa ſymptomata verminoſo morbo annexa ſunt, vel ſi e preſſorio ſenſu cardiæ aut ejectione vermium per os ſedes eorundem in ventriculo ſuſpecta reddatur.

4. Clysmatibus imprimis contra aſcarides commendari ſolitis, atqve ex aſſa foetidæ drachma una vel altera in decocto avenæ vel lacte ſolvenda cum admixtis duabus unciis olei olivarum, etiam allium loco aſſæ foetidæ cum lacte coctum vel extracti aloes ſcrupulus in ſufficiente qvantitate lactis ſolutus cum fructu adhibentur. Decoctum mercurii ſupra dictum lacte & melle mixtum qvoqve laudatur.

5. Symptomaticis remediis, qvæ ſc. ſymptomatibus notabilioribus verminoſo morbo productis medentur; ubi convulſivi vel epileptici motus juncti fuerunt, bonum percepi effectum e moſco pulveri ſupra allato vermifugo commixto; ſi diarrhoea ſimul præſto fuerit, pulverem radicis gei ubani ad æqvalem partem cum vermifugo jungere prodeſt.

Species VIII^va.

COLICA INFANTILIS

Ejulatibus ſponte obortis apud infantes extra dentitionis tempus hæc colica indicatur, præſertim e triplice cauſa, cui medela accommodanda eſt.

1. E meconio nondum ſufficienter evacuato, qvod recens natis intra ſex primas hebdomades accidere ſolet; tunc ſyrupus de rheo vel de manna ad cochlearia minora aliqvoties per diem porrigi debet donec bene evacuatus & qvietus reddatur infans.

2. Ex acrimonia acida in primis viis per viridia excrementa dignoſcenda; in qvo caſu pulvis magneſiæ albæ vel absqve rheo vel ſi viſcida appareat dejectio cum rheo ad cochleare minus bis per diem exhiberi debet, donec cauſa morbi tollatur, & infans qvietus reddatur. Poſt alvum medicamine bene ſolutam etiam convenit uncia ſyrapi diacodii cum drachma dimidia olei tartari per deliquium ad cochleare minus bihorio vel rarius.

3. E flatulentia, qvam ſuſpicari fas eſt, ſi infans absqve allatis cauſis ejulet, & inqvietus ſit, tunc anima rhei uncia dimidia, liqvoris anodini drachma mixta juvant ad guttas duodecim vel plures bis terve per diem porrectas.

Species IX$^{ma.}$

COLICA SYMPTOMATICA.

Eſt dolor inteſtinalis, qvi ex aliis compræſentibus morbis ortum trahit, & medela principali morbo accomodata tractari debet, uti colica inflammatoria, hæmorrhoidalis, catamenialis, arthritica & ex aliis retrogreſſis materiis ad inteſtina converſis, uti ſcabioſa (vid. diar. 1785. Aug. 4. vel alia vid. diar. 1783. Octbr. 3.)

GENUS V$^{tum.}$

HEPATALGIA

Eſt dolor diuturnus obtuſus in genere, & gravativus in regione hepatis, cardiæ ſc. vel hypochondrio dextro præſens; varia hepatis læſio docente ſectione cadaverum hujus doloris cauſa eſſe poteſt, e qvanam differentia ſpecies hepatalgiæ plures exſurgunt.

Species I$^{ma.}$

HEPATALGIA INFARCTUS

Eſt dolor chronicus conſtans, modicus, presſorins in regione hepatis, hæc freqventiſſima ſpecies eſt.

Symptomata:

1. Dolor f. fenfatio molefta fupra defcriptæ indolis rarò totam regionem hepatis occupans aliàs certas illius partes, aut lobum dextrum, aut mediam cardiacam partem, aut lobum finiftrum verfus coftas fpurias finiftras; augmentum doloris obfervatur a presfione externa, incurvatione corporis, & fæpe poft cibos largiter ingeftos.

2. Intumefcentia & nonnulla durities tamen æqvabilis, haud tuberculofa fæpe in affecta parte palpantibus digitis occurrit; fi vitium autem in concava fuperficie hepatis hæreat, talis tumor non præfto eft.

3. Functionis hepaticæ læfæ indeque deficientis bilis effectus fc. fegnities alvi, appetitus proftratus; qvo referri poffunt faciei & oculorum color pallido-flavefcens e biliofo humore in fangvinis maffa retento: nec non collectiones hydropicæ, diu duranti morbo annexæ, aut in fuperficie aut in cavitatibus corporis obortæ partim impuritati humorum biliofæ, partimque impeditæ reforptioni per venam portæ adfcribendæ, unde etiam moleftiæ hæmorrhoidales citari & intelligi qveunt.

4. Vicinarum partium incommoda mole & pondere præternaturali hepatis citata, uti dyfpnoea cum vel fine tusfi ob nexum hepatis cum diaphragmate, decubitus moleftus in latere finiftro propter presfionem a nimis ponderofo hepate;

vomitus, interdum etiam ex affecto hepate ventriculum molestante derivandus.

Causae remotae infarctus hepatis meritò statuuntur seqventes separatim, imprimis conjunctim agentes.

1. Vita sedentaria, praesertim cum corpore antrorsum incurvato; unde circulus humorum in hepate haud debitó promovetur, vel impeditur; naturaliter lentior est motus humorum in hepate, qvam in aliis corporis partibus, atque crebra diaphragmatis actione adjuvandus, hoc ideo deficiente humores hepatis ad stagnationem tendere per se intelligitur.

2. Pathemata animi injucunda protracta; violenta haec icterum subito inducendo influxum in vasa hepatis efficacem demonstrant, moeror lentius eodem modo agit, nec non circulationem sangvinis in universum debilitando.

3. Materia varia morbifica ad hepar deposita, uti arthritica, rheumatica, scabiosa, metastatica (vid. diar. 1786. Decbr. 4. 1787, Januar. 2. & Februar. 5. 6. 7.)

4. Abusus potus spirituosi imprimis vini ustulati s. spiritus frumenti, plures apud nos huic dediti hepatalgiam exinde & demum hydropem letalem sibi contrahunt (vide ex. gr. diar. 1786. August 13. & 1782. Sptbr. 3.)

5. Febres intermittentes diu protractae, praesertim cortice vel aliis adstringentibus minus tem-

peſtive tractatæ (vid. diar. 1786. Maj. 2. & Julii 2.)

6. Inflammationes hepatis prægreſſæ (vid. diar. 1783. Jun. 3. Auguſt 5. & 1785. Februarii 6.)

7. Contuſiones externæ verſus hepar directæ (vid. diar. 1784. Decbr. 5.)

Cauſa proxima infarctus hepatis juxta extiſpicia demortuorum eſt duplex vitiatus ſtatus ſc. moles enormis (vid. diar. 1782. Octbr. Decbr. 7. & 1786. April 12 & 13.) vel durities nimia (vid. diar. 1784. Novbr. 11. & 1783. Decbr. 3 & 4.) Hac experientia & caſto ratiocinio ductus cauſam proximam ſtrictius determinatam ſtatuo, 1. qvoad indolem conſiſtentem in circulatione humorum, ad hepar pertinentium, debitò tardiori vel ob vaſorum nimiam reſiſtentiam & rigiditatem vel ob humorum viſcoſitatem producta; ex qva retardata circulatione impedita bilis ſecretio, impedita reſorptio per venas portæ, diſtentio vaſorum dolorifica, ipſum volumen hepatis ſi laxum ſit, adauctum & reliqva infarctus ſymptomata declarari poſſunt. 2. Qvoad ſedem hæc retardatio maxime probabilis eſt in ramificationibus venæ portæ, & qvia in hiſce humorum motus naturaliter ſegnior fit, qvam in aliis hepatis vaſis & qvia contenti in illis humores immediate ab inteſtinis reſorpti variam pravam indolem & ſpiſſitudinem ad ſtagnandum pronam habere poſſunt.

Diagnoſtica ſigna infarctus hepatis ſunt ejusdem ſymptomata ſupra allata, præſertim dolor ipſe deſcriptæ indolis & ſedis lente increſcens, qvo ſigno diſtingvitur a dolore rheumatico et metaſtatico regionem hepatis qvandoqve occupante ſed ſubito graviusqve; dolori adjuncta intumeſcentia affecti loci, atque durities æqvabilis.

Prognoſis:

1. Sanabilis per artem hic morbns haberi poteſt & qvidem eo certius & facilius, qvo recentior eſt atque vice verſa, adeo ut inveteratus nimium inprimis in ſenioribus ſubjectis curationis haud capax declarari posſit.

2. Sponte ſ. ipſius naturæ viribus incurabilis morbus ſenſim juxta amplitudinem infarctus tendit ad hydropem varium, abdominis, pectoris & totius corporis tandem funeſtum (vide exempla diarii de cauſa proxima citata); talis hydropis ortus e reſorptione impedita per venas portæ obſtructas, & e compresſione aliorum vaſorum per volumen & duritiem hepatis producta forſan declarari poteſt; an etiam moles hepatis enormis pectoris viſcera lædere, comprimere & ipſius cordis vim poteſt ita labefactare, ut circulationem haud amplius promovere valeat? (exemplum diarii 1786. April 13. huic ſententiæ anſam præbet.)

Curatio infarctus hepatis cauſæ illius proximæ ſupra ſtabilitæ opponenda eſt, adeoqve pro ſcopo habeat reſtitutionem liberæ & naturalis cir-

culationis humorum in ramificationibus venæ portæ, cui ſcopo duplex indicatio inſervire poteſt, ſc. vaſorum, ſi rigida ſint, emollitio; & humorum, qvorum ſpisſitudinem ſemper ſuſpicamur, reſolutio; hæc ultima principalior eſt, per experientiam comprobata, & remediis bili ſimilibus amaro ſaponacea virtute gaudentibus promovenda ſc.

1. Tinctura aperiente ad guttas ſexaginta bihorio vel trihorio exhibenda, qvæ in malo incipiente & modico qvandoqve ſufficit.

2. Pilulis ſaponaceis, nimirum reſolventibus noſtris, qvæ ad morbum notabiliorem & magis inveteratum deſiderantur ſeqpenti ratione; ſi alvus prorſus libera ſit, tinctura aperiens ter die porrigitur, & pilulæ reſolventes ſimplices mane & veſpera ad grana qvindecim vel plura; ſi alvus etiam ſub hac medicina ſtricta maneat, pilulas reſolventes cum aloe in uſum traho ad doſin mox memoratam, imo adauctam; fel bovinum inſpisſatum a nonnullis laudatur et dictis pilulis apponitur; in univerſum horum medicaminum uſus ita determinandus eſt, ut alvi fluxus qvodammodo naturalis inde promoveatur, illius enim exceſſus medicamenta ſimul evacuat, adeoque eorundem juvandi vim impedit.

3. Decoctum reſolvens e radicibus graminis & taraxaci paratum, ad libram qvotidie adhibendum ſimul cum aliis ſupra laudatis; præſertim ſi hiſce morbus haud decreſcere videatur;

etiam hujus decocti loco tempore vernali ſuccus recens preſſus herbæ & radicis taraxaci vel ſolus vel cum ſucco cherefolii & acetoſæ junctus cum notabili emolumento propinari poteſt.

4. Externis affectæ parti applicitis; leviori & incipienti morbo prodeſt inunctio freqvens linimenti volatilis camphorati vel melius linimenti reſolventis; ſemel ſuppuratio per veſicatorium citata & diu protracta mihi admodum utilis contra hepatalgiam videbatur. Per ſe intelligitur, allata remedia tamdiu, licet per plures qvandoque menſes, continuanda eſſe, donec ſymptomata morbi ceſſaverint. (Exempla hac methodo ſanata vid. diar. 1783. Junii. no. 2. & no. 3. Auguſt 5. Sptbr. 6. 1774. Sptbr. 12. Decbr. 5. 1785. Febr. 6. 7. April 3. & 1786. Debr. 4.)

5. Diæta convenienti ſc. victu attenuanti ſ. tenui, potisſimum juſculis carneis, abſtinentia a ſpirituoſis, motu corporis crebro præſertim eqvitatione, frictione diligenti abdominis per pannum laneum, qvalis diæta etiam ad recidivam hujus morbi ſat facilem præcavendam convenit.

6. An clyſmata methodo Kæmpſiana conveniant & commendanda ſint? ſaltem medela hæc plurimis adeo incommoda, vix comendanda, anteqvam ſupra allata remedia absque ſufficienti effectu tentata ſint. Species huic ſcopo aptatæ, ab autore propoſitæ, ſunt radices taraxaci, graminis, valerianæ, lapati, acuti, herbæ cardui benedicti,

anagallidis, marrubii albi, millefolii, fumariæ, flores chamomillæ, verbafci, arnicæ; mihi maxime placent radices graminis, taraxaci, lapati acuti, flores verbafci, qvarum manipuli duo cum parvo manipulo farraginis (*Kliid*) fecalinæ vel triticiæ leni igni coqvantur cum aqvæ fimplicis vel calcis libra una & dimidia ad libram; tale dein decoctum tepidum bis per diem poft naturalem excretionem, fponte vel mediante alio clyfmate peractam, fub forma clyfmatis applicetur & qvamdiu ægro potis eft, retineatur, cui fcopo etiam decubitus in latere dextro cum corpore incurvato qvadrat, fæpius plures menfes ad effectum hujus medicationis reqviri docet ille auctor; alia interna uti fupra memorata vel fimilia etiam fimul adhibenda confvadet. Contra inveteratum infarctum hac jam fere obfoleta methodo fruftra ufus fui.

Species II^da.

HEPATALGIA STEATOMATOSA

Eft hepatalgia e tumoribus fteatomatofis in fubftantia hepatis hærentibus; dignofcenda eft per modicum dolorem & tumores difcretos duros hepatis, exploranti manui percipiendos; his uon inventis morbus ab hepatalgia infarctus diftingvi neqvit; etiam obftaculum contra defcenfum ingeftorum prope cardiam fentitum affectus hujus he-

patalgiæ eſſe poteſt ob ſteatoma ventriculum vicinum comprimens; qvoad reliqva ſymptomata & eventum refert infarctum, nullius verò curationis capax eſt. (Exempla illius vid. diar. 1783. Mart. 10. Sptbr. 8. & 1787. Junii 9. qvo referri poteſt caſus diar. 1783. Dcbr. 14.)

Species III^tia.

HEPATALGIA CALCULOSA

Eſt hepatalgia e calculis in ipſa ſubſtantia hepatis generatis & præſentibus orta; ſymptomata eadem ac infarctus habet; vivente ægroto dignoſci neqvit; incurabilis eſt, & ni alia mortis cauſa præveniat, per hydropem letalis (vid. diar. 1786. Jul. 10.)

Species IV^ta.

HEPATALGIA CANCROSA

Eſt hepatalgia e ſchirro, & cancro hepatis ortum trahens, per diuturnitatem, conſtantiam & vehementiam doloris dignoſci debet, incurabilis & letalis; pro levamine opiata admitti poſſunt. (Exempl. vid. diar. 1786. Novbr. 10.)

GENUS VItum.

SPLENALGIA

Eſt dolor chronicus non febrilis in regione lienis ſc. infra coſtas ſpurias ſiniſtras prope dorſum.

Species Ima.

SPLENALGIA FEBRISEQVA

Eſt gravativus ſenſus regionis lienalis junctus cum ejusdem tumore duro non raró admodum lato, poſt febres intermittentes diuturnas oriri ſolitus; in Holſatia hic morbus freqvens perhibetur, haud adeo periculoſus eſt, dummodo remediis modice reſolventibus tractatur, raró mihi occurrit; exemplum tamen nigritæ recordor, qvi hanc noxam in inſulis americanis ſibi contraxerat, qviqve mixtura aperienti & decocto reſolventi longo tempore adhibitis qvodammodo reſtituebatur; in altero autem ſimili ſubito demortuo inveni lienem enormis magnitudinis disruptum cum multo effuſo ſangvine.

Species IIda.

SPLENALGIA SPASMODICA

Eſt dolor lienalis gravis absqve mutatione externa, remittens, imo intermittens, ſub exacer-

batione dolorem reliqvi abdominis fecum ducens. In cafu, qvem obfervavi (vid. diar. 1783. Augufl 4.) pilulæ e faponis venetæ drachmis duabus, gummi ammoniaci, affæ foetidæ, extracti chamomillæ ana drachma & aloes aqvofi drachma dimidia paratæ, & ad grana qvindecim ter indies exhibitæ fex hebdomadum fpatio morbum tollebant.

Species III[tia.]

SPLENALGIA SPURIA

Eft dolor lienalis fat moleftus, per intervalla exacerbatus, vomitum, imo fangvineum, & fingultum producere valens, ex ipfius lienis vitio non exfurgens, fed ex adjacente colo tenacibus fcybalis abundante; ex antecedente fpecie vix dignofci poteft, nifi effectu medicaminum evacuantium huic ultimæ utilium, qvæqve ideo fub hoc apparente dubio mox propinare opportet, & ex eorum effectu proficuo hanc, & non juvante illam concludere fpeciem. Occurrit mihi cafus (vide diar. 1783. Auguft. 6.) ubi mixtura e falis mirabilis unciis duabus aqvæ deftillatæ menthæ unciis octo, animæ rhei uncia media ad cochlearia duo biborio fumta intra duos dies morbum pertinacem & protractum purgando fanavit. Nomen fplenalgiæ fpuriæ f. fymptomaticæ meretur ille dolor brevi

durans hyſtericis paroxysmis admodum freqventer annexus & principalis morbi cura juvandus.

GENUS VII^mum.

LITHIASIS

Eſt dolor in viis uriniferis productus e calculis & materia calculoſa ibidem hærentibus, juxta ſedem differentem doloris, ejusdemqve cauſæ duplex hinc formatur ſpecies.

Species I^ma.

LITHIASIS RENALIS s. NEPHRALGIA CALCULOSA

Eſt dolor in regione renum, vel ad illos pertinentium ureterum e materia calculoſa ibidem hærente citatus.

Symptomata:

1. Dolor ipſe in alterutra vel utraqve regione renali variæ indolis, tenſivus, punctorius, exacerbatus ſub corporis motu, imprimis eqvitatione, vel vectione in locis lapidoſis, remittens imo ſilens ſub qviete corporis præſertim decumbentis in latere affecto. Qvandoqve dolor hic ſentitur in tractu ureterum, qvando ſc. per hos calculus deſcendit.

2. Diurefis a debita norma mutata; qvandoqve qvidem fat naturalis eft; alias impedita, cruenta obfervatur; vel calculos fecum ducit, vel materiam calculofam rubram, vel albefcentem aut oculis cognitam, aut palpantibus digitis, colligitur talis transmittendo urinam per chartam bibulam.

3. Sympathicus qvandoqve dolor f. tractio dolorifica tefticuli, nec non ftupor moleftus femoris affecti lateris.

4. Exacerbatio doloris intercurrens, qvando fc. calculus e renibus in ureterem defcendit, cum annexis horripilatione, vomituritione, vomitu, dolore colico, ifchuria, poft qvæ ad diem alterumve interdum durantia tandem cum urina larga calculus provenit; hæ exacerbationes paroxysmi nephralgici appellantur.

Caufa efficiens nephralgiæ eft calculus f. calculofa materies in renibus hærens vel per diurefin fe prodens, vel per fectionem cadaverum, qvæqve pondere aut figura afpera dolorem excitat, & fub cujus propulfione in ureteres maximæ moleftiæ f. paroxysmi nephralgici furgunt, e confenfu nervorum pro parte declarandi.

Caufæ remotæ calculi renalis funt vita fedentaria, imprimis diuturnus decubitus in dorfo, qvibus expurgatio renum impeditur; fenium fub qvo humores terreftribus particulis abundant; conftitutio arthritica, etiam congenita vel hære-

ditaria dispositio accusatur forsan tubulis uriniferis propria; an alia diætæ vitia etiam in culpa esse possunt? uti vina acida tartarum multum continentia; ren sinister dextro sæpius calculosus invenitur forsan ob presſionem a colo adjacente.

Diagnostica signa nephralgiæ sunt: 1. dolor ipse descriptus ab alia lumbagine per exacerbationem sub motu & mitigationem sub qviete corporis distingvendus. 2. Accidentes paroxysmi nephralgici. 3. Urina alienata præsertim calculos vel calculosam materiem secum ducens.

Prognosis nephralgiæ:

1. Plena curatio posſibilis licet rara est, dum sc. calculus generatus per vias uriniferas evacuatur ejusdemqve regeneratio apta arte præcavetur.

2. Sæpisſime recidivans est morbus, ita ut aliqvo post ejectum calculum præterlapso tempore novus sensim renascatur, unde etiam novæ timeri possunt molestiæ.

3. Qvandoqve calculus renalis major est qvam ut per vias uriniferas transmitti posſit, unde experientia teste duplex eventus exspectari potest: vel per plures annos ibidem morari valet fere absqve ullo incommodo, vel, qvod sæpius exiexistit, tandem funestos effectus producit, aut urinæ fluxum impediendo, ita ut hæc ad cerebrum conversa delirationem, lethargum et mortem in-

ducat, aut renes inflammando, indeqve five gangrænam five fuppurationem hecticam cum urina purulenta producendo.

Curatio nephralgiæ ad duplicem partem reducitur fc. in paroxysmis ejusdem, & extra illos convenientem.

Curatio paroxysmi nephralgici, fub qvo natura calculum ejicere molitur, fcopos habeat avertere inflammationem, conatibus naturæ optemperare & dolores pertinaces moleftos & noxios fublevare; congrua ideo remedia cenfenda funt.

1. Venæfectio, fi nimirum dolor notabilis fit & corpus plethoricum, qvinimo juxta perfeverantiam doloris ad plures vices inftituenda eft, ut eo certius inflammatio ex irritatione timenda avertatur. Dantur etiam leviores citoqve tranfeuntes paroxysmi venæfectione vix opus habentes.

2. Remedia emollientia, modice & absqve ftimulo diuretica uti clysma oleofum, inunctio freqvens abdominis per oleum calidum vel ungventum althææ, & in pertinaci cafu femicupium tepidum; intus mixtura ex oleo olivarum albo & fucco citri ad partes æqvales parata & ad cochleare majus omni hora vel bihorio exhibita, infufum theiforme ex herba plantaginis aqvaticæ partibus duabus, radicis althææ parte una largiter hauftum qvadrant, etiam fpiritus falis dulcis in mitiori malo ad guttas qvinqvaginta trihorio juvat.

3. Opiata, qvæ indicantur, ſi dolor poſt allata remedia non mutatus permaneat, laudani liqvidi Sydenhami guttæ qvindecim una alterave vice imprimis veſpere tunc exhiberi poſſunt.

Curatio nephralgiæ extra paroxysmos duplicem partem continet ſc. regenerationem calculi prævertere, & moleſtias e calculo magno non evacuando mitigare & debellare.

1. Regeneratio calculi, ejusdemqve tale incrementum ut notabiles moleſtias creet, præverti debent auxiliis & remediis, qvibus diureſis larga promovetur, indeqve viæ uriniferæ eluuntur & a materia calculos efficiente vel revera calculoſa tempeſtive depurantur. Huc pertinent potus largus præſertim aqvæ frigidæ mane aut veſpera hauriendæ, freqvens uſus ſucci citri, & aliarum plantarum & fructuum diuretica vi præditorum qvales ſunt raphanus ruſticanus, aſparagi, fragæ, ceraſa, fructus ribeſiæ nigræ, allii recentis frequens uſus. Motus corporis creber etiam ſumme proficuus eſt, qvatenus renes inde commoti a materie ſtagnante liberantur, verum ſi urina ſangvinea poſthac obſervetur, vel dolor renum notabilis, calculus ibidem hærens & irritans indicatur, motum non tolerans.

2. Moleſta ſymptomata e calculo magno non evacuando citata juxta variam indolem tractanda ſunt; ſi dolor tolerabilis ſit, qvies tamen corporis & abſtinentia exacta ab omnibus diure-

ticis ſtimulo qvodam præditis reqviritur, ne commotus calculus dolorem graviorem, inflammationem aliaqve mala producat; ſi inflammationis indicia ſub hoc ſtatu ſeſe exſerant, venæſectio & emulſiones camphoratæ in uſum trahantur, ſi diureſis ſangvinea exſurgat, mixtura acida ad cochlearia duo omni hora vel bihorio exhibita qvadrat, aqva frigida pro potu & forſan venæſectio, ſi urina purulenta obſervetur, eadem mixtura convenit, vel eſſentia corticis peruviana uncia cum tincturæ antiſcorbuticæ drachma ad guttas ſexaginta ter indies, licet in hoc caſu nullum remedium ſufficiat.

Varia ſic dicta lithontriptica etiam commendata ſunt ad calculum diſſolvendum, uti ſapo venetus larga doſi ſenſim ad unciam ter per diem ſumtus, aqva calcis pro uſu interno ad menſuram integram per diem, remedium Steffenianum e teſtis ovorum calcinatis paratum, a drachma dimidia ad integram ter die ſumtum, etiam ante plures annos aliud provulgatum ſc. ſalis tartari grana qvindecim aqvæ unciis tribus mixta & ter die ſumta, & mox poſtea ingeſtæ ſpiritus vitrioli guttæ qvindecim eadem copia aqvæ dilutæ; verum hæc & alia lithontriptico titulo ornata attributam laudem non ſervarunt & ſine dubio nunqvam meruerunt; rationi enim minime convenit, vim ullius medicamenti ad ſolvendos calculos ſufficien-

tem per integram humorum maſſam ad renes propagari poſſe.

Species IIda.

LITHIASIS CYSTICA

Eſt dolorifica affectio veſica urinariæ e calculo ibidem hærente ortum trahens.

Symptomata:

1. Urinæ fluxus depravatus, qvandoqve guttatim exſtillans, vel ad unum alterumve latus profiliens.

2. Urinæ indoles qvandoqve depravata ſc. muco multo mixta, & interdum præſertim poſt motum validiorem ſangvinea; interdum copia inſignis; (vid. diar. 1787. Maj. 4.) evacuatio calculi vel calculoſæ materiei.

3. Moleſta ſenſatio veſicæ utplurimum ſtranguriofa ſ. ad mingendum debito freqventius cogens, qvandoqve gravativa in regione perinei, qvandoqve adjunctus tenesmus, etiam pruritus ſingularis in glande penis communis eſt.

Cauſa proxima hujus morbi eſt calculus in veſica urinaria contentus & retentus, qvi mole & figura aſpera urethram obturare, veſicam irritare itaqve diureſin alienatam, impeditam, variosqve allatos dolores producere valet.

Cauſæ remotæ calculi veſicæ urinariæ præſertim duæ ſunt.

1. Qvæcunqve corpora peregrina in veſica hoſpitantia, qvibus materia calculoſa in omni etiam ſaniſſima urina præſens attrahitur, adhæret, ſenſimqve in majus volumen colligitur; communisſimum tale calculi veſicalis ſtamen eſt calculus renalis in veſicam delatus & poſtea haud evacuatus; alias pus & ſangvis condenſata, bacillum cereum per urethram introductum in veſicam fundamenta calculorum præbere poſſunt.

2. Effluxus urinæ per urethram difficilis, pro parte impeditus, indeque diuturnior urinæ in veſica remora, & calculorum minorum renalium retentio, ob hanc cauſam mares anguſtiore urethra præditos præ fæminis crebrius calculo veſicæ obnoxios eſſe creditur; etiam obſervatum eſt, urethram morbo qvodam præſertim venereo anguſtatam calculo veſicæ anſam præbuiſſe.

Diagnoſtica ſigna calculi veſicæ ſunt:

1. Symptomata ſupra allata, qvæ etiamſi haud certa calculi indicia, tamen illum ſuſpectum reddunt & ut exploratione chirurgica inqviratur & detegatur malum, occaſionem exhibent.

2. Cauſæ prægreſſæ, præſertim calculus renalis in veſicam translatus nec poſtea evacuatus.

3. Exploratio chirurgica partim catheteris ope, qvi per urethram in veſicam introductus calculum ibidem hærentem offendit; combinatur

etiam exploratio per digitum in inteſtino recto intromiſſum.

Prognoſis:

1. Sanabilis habendus eſt morbus ſi calculus ita conſtitutus ſit, ut evacuari posſit aut per urethram, ſi nimirum parvus urethræ capacitatem haud ſuperans judicari poſſit, aut per operationem chirurgi.

2. Incurabile eſt malum ſi neutrum e dictis auxiliis admittat, tandemqve funeſtam præſertim mediante inflammatione per irritationem calculi vel urinæ retentæ citata, & per gangrænam aut ſuppurationem veſicæ, diuturnas calamitates & conſumtionem hecticam terminata.

Curatio morbi e calculo veſicæ triplici ſcopo accomodanda eſt.

1. Contra calculum minorem, cujus expulſio per urethram posſibilis judicari valet, præſertim qvia nuper e renibus depoſitus eſt, in tali caſu remedia diuretica ſupra contra calculum renalem laudata conveniunt, nec inepte æger per aliqvod tempus retineat urinam, ut dein majori vi ad dilatandam urethram & expellendum calculum ageret, etiam injectio olei in urethram qvatenus viam emolliens & amplificans qvadrat, & præſertim deſideratur, ſi calculus in urethra ipſa hæreat. Proficua qvoqve ſunt ſemicupia tepida et inſeſſus freqvens ſuper aqvam calidam.

2. Contra calculum majorem, qvi per urethram transmitti & exire neqvit; huic non alia opitulatur medela qvam operatio chirurgica lithotomia dicta.

3. Contra ſymptomata moleſta. Sub dolore vehementi ſolamen ſubinde ex opio ſ. laudano liqvido Sydenhami qværendum eſt; etiam prodesſe mixturam acidam exemplum e diario ſupracitatum docet; urina ſangvinea eandem mixturam & qvietem corporis deſiderat; inflammatio exſurgens antiphlogiſticis ſolitis compeſci debet; ulcus & ſuppuratio veſicæ indeqve ſummæ miſeriæ opii crebrum uſum permittunt, imo deſiderant.

Lithontriptica eadem contra calculum veſicæ ac contra calculum renalem commendata ſunt, ut pulvis foliorum uvæ urſi ad drachmam dimidiam ter indies; verem etiam de eorum efficacia idem valet judicium, qvod ſupra de calculis renalibus tulimus.

GENUS VIIIvum.

HYSTERALGIA

Eſt dolor non febrilis in regione uteri. Species illius ex differenti cauſa formantur.

Species Ima.

HYSTERALGIA MENSTRUALIS

Eſt dolor ille abdominalis, lumborum, femorum tempore menſtruationis ſeſe exſcrens e diffi-

cili vel impedito hoc fluxu dependens, distentioni vasorum haud debita cum facilitate sangvinem transmittentium adscribendus, sponte post aliqvot dies transiens, remedia, si illis opus est, infra ad dysmenorrhæam dicenda reqvirens.

Species II^da.

HYSTERALGIA LOCHIALIS

Est dolor s. tormina periodica circa regionem uteri mox post partum sese exserentia, unumqve vel alterum diem raro diutius præsertim in fæminis sæpius enixis durantia, ex uteri contractione derivanda, ejectionem sangvinis lochialis secum ducentia, sæpe nullo auxilio opus habent; si graviora videantur, emulsionem camphoratam bihorio porrigere soleo.

Species III^tia.

HYSTERALGIA SCHIRROSA

Est dolor gravativus constans diuturnus in regione uteri.

1. Allatus dolor & hypogastrium, qvandoqve ingvina & lumbos afficiens.

2. Durities perceptibilis, aut per vaginam aut etiam extus per integumenta abdominis palpabilis, qvandoqve admodum notabilis, (vid. diar.

1788. Maj. 8, ubi uteri ſchirroſitas enormis graviditatis ſpeciem habebat.)

3. Excretio moleſta dolorifica tam urinæ, ſi ita poſitus ſit ſchirrus ut collum veſicæ comprimat, qvam alvinæ, ſi verſus inteſtinum rectum ſpectet tumor ſchirroſus; (nobilisſimam tractavi matronam hoc morbo diu cruciatam & demum necatam, tumores duri ſchirroſi in abdomine manifeſto palpari potuerant, et per explorationem vaginalem, præcipua & moleſtisſima incommoda e compresſione canalis inteſtinalis ſurgebant, vomitus creber, inappetentia plenaria fluxus hæmorrhoidalis & ſummi dolores, qvoties alvus exoneranda erat, qvamvis illa artis ope liqvide aperta fuerit. Novem circiter menſibus ad notabile volumen increvit tumor absqve ullo conjuncto vaginali fluxu, febris demum hectica cum tusſi & aphtis, forſan a ſuppuratione demum aggreſſa miſerrimam vitam cum morte optata commutabant. Sectio cadaveris haud permiſſa fuit.)

4. Doloris incrementum in acutum lancinantem, pungentem intolerabilem, per intervalla affligentem, qvi ſchirri mutationem in cancrum indicat.

5. Fluxus vaginalis ſub hoc ſtatu adjunctus, partim albus acris, excorians, fœtidus, partim ſangvineus ſæpe & irregulariter accedens, qvandoqve valde largus.

Caufæ remotæ hujus mali funt animi gravia pathemata, moeror protractus, libidinofum vitæ genus, apud meretrices mihi freqventius hic morbus occurrit, & ætas ultra tempus menftruationis; rarò ante hunc terminum fefe exferit.

Caufa proxima eft tumor vel rectius plures tumores fchirrofi in utero furgentes & lapfu temporis carcinomatofam fuppurationem concipientes (vid. diar. 1782. Sptbr. 4.)

Diagnoftica figna funt allata fymptomata fc. dolor uterinus, fluxus vaginalis et tumores duri exploratione detecti.

Prognofis immedicabile declarat malum diu durans qvandoqve perplures annos, fumme calamitofum & demum mediante confumtione hectica vel rarius menorrhagia funeftum.

Curatio proinde mere palliativa f. fymptomatica eft; dolor enormis opiata defiderat, fangvifluxus & febris mixturam acidam.

Species IVta.

HYSTERALGIA e LAXITATE

Eft dolor f. dolores illis ad partum fimiles, per intervalla recurrentes, præfertim & forfan unice ab exoneratione alvi, illamqve comitante nifu depresforio citati; haud iniqve laxitati latorum ligamentorum adfcribendi, ideoque alvi fa-

cilem reddendo fluxum, qva fimul ligamentis occafio fefe contrahendi præbetur, (vid. diar. 1787. April 7.)

Species V^ta.

HYSTERALGIA AB UTERI PROLAPSU

Eft dolor lumborum ingvinum & regionis uteri productus ex utero in vaginam prolabente; facile dignofcitur ipfius ægrotæ fenfu vel exploratione vaginali, e laxitate partium merito derivatur, ideoqve roborantibus variis topicis juvabitur, uti facculis adftringentibus aromaticis, e speciebus refolventibus in vino & aceto calidis infufis & vulvæ applicitis, vaporibus aromaticis uti e fpeciebus pro fuffitu igni infperfis, ita ut vapor inde proveniens verfus uterum afcendat; qvies fimul, & decubitus corporis horizontalis defideratur, ut ligamenta diftenfioni haud expofita anfam fefe contrahendi habeant; his non juvantibus peffarium in vagina applicetur; uterus prorfus prolapfus, & inverfus, fæpe nullam medelam admittit.

GENUS IXhum.

PROCTALGIA

Eſt dolor inteſtini recti in fine illius, partibusqve vicinis.

Oriri poteſt e variis cauſis, qvibus medela conformanda eſt, uti:

1. Ex inflammatione præſertim in hæmorrhoidariis; hujus ſignum eſt dolor inſignis conſtans, medela ſit antiphlogiſtica per venæſectionem repetitam hirudines, nitrum & camphoram; extus inungatur ungventum camphoratum album, ſi abſceſſus & fiſtula oriantur, res ad chirurgum pertinet.

2. E ſchirroſa & cancroſa conſtitutione inteſtini recti cum dolore chronico lancinante, pungente, & effluxu acris humoris, (unicum hujus mali mihi occurrit exemplum hectica febre demum funeſtum); opiata intus & ungventa e ceruſſa parata uti ungventum camphoratum album extus pro levamine inſervire poſſunt, uti qvoqve mucilaginis ſeminis cydoniorum uncia cum drachmis duabus laudani liqvidi.

3. Ex ani prolapſu apud infantes vel pueros præſertim locum habens, diligenti lotione per vinum rubrum frigidum vel decoctum corticis qverci juvari ſolet.

4. E diarrhoea qvandoqve oboriens ſponte tranſit vel lotione aqvæ frigidæ; idem auxilium

contra dolorem podicis ex intertrigine f. motu nimio præfertim eqvitatione ortum adhiberi debet; etiam proctalgiam ex offe pifcis in inteftino recto hærente, per explorationem detecto & ablato obfervavi.

CLASSIS III^tia.

NEUROSES.

Sunt morbi, & læfiones functionum, qvæ ex hominum arbitraria f. voluntaria facultate dependent.

Divifio hujus clafsis juxta aberrationis differentem modum in tres ordines fieri debet fc.

1. In adynamias f. debilitates functiones voluntarias peragendi.

2. Spasmos f. exceffus motuum voluntati fubditorum.

3. Paronoias f. læfiones actuum ad animam immediate pertinentium.

ORDO I^mus.

ADYNAMIÆ

Sunt morbi, qvorum præcipuum fymptoma eft impotentia functiones f. motus voluntarios perficiendi.

GENUS I^mum.

VERTIGO

Eſt impotentia minoris, vel majoris gradus corpus erectum ſuſtentandi juncta cum timore lapſus, & utplurimum apparente motu objectorum externorum, revera qvieſcentium.

Symptomata:

1. Impotentia allata & ſenſatio ejusdem, in majori gradu tremorem corporis & verum lapſum ſecum ducens, in qvo caſu vertigo caduca dicitur.

2. Error viſus qvoad objecta externa, qvæ licet qvieſcentia moveri tamen apparent, aut in gyrum, aut ſurſum & deorſum, qvandoqve ſimplex objectum videtur duplex, vel alterius coloris qvam veri.

3. Auditus qvandoqve in graviori malo per ſuſurrus, tinnitus, bombi ſonum turbatus.

4. Nauſea, vomitus qvandoqve majorem vertiginis gradum comitantes.

Cauſa proxima videtur eſſe motus tremulus encephali, præcipuum & primum effectum exſerens in maxime ſenſibilibus nervis opticis & retina, in majori gradu etiam reliqvos nervos afficiens.

Cauſæ remotæ differentes ſunt, indeqve variæ ſpecies vertiginis exſurgunt.

Species I^{ma.}

VERTIGO PLETHORICA

Eſt vertigo e plenitudinc ſ. abundantia ſangvinis derivanda.

Dignoſcitur e diæta lauta, facie rubra, pulſu pleno ſæpius tardiore, gravitate corporis, exacerbatione calefacientibus, mitigatione e frigido regimine, & qvandoqve retentione ſoliti cujusdam ſangvifluxus menſtrualis vel hæmorrhoidalis, venæſectionisqve aſſvetæ.

Exitus illius per ſe in apoplexiam poſſibilis eſt, arte verò convenienti in ſanitatem determinandus.

Curatio peragenda eſt 1. ſangvinis copiam minuendo per miſſionem ejusdem variam ſc. phlebotomiam, hirudines temporales, cucurbitas cruentas nuchæ & inter ſcapulas ponendas, victuqve parciori non nimium nutrienti, potiſſimum ideo e vegetabilibus depromendo 2. ſangvinis æſtum & rarefactionem debellando & impediendo per remedia refrigerantia, uti cremorem tartari, mixturam acidam, nec non per abſtinentiam a calefacientibus, ſpirituoſis, vino, aromaticis, aëre calido, motu corporis violento animiqve pathematibus 3. ſangvinem ad alias corporis partes derivando, ejusdemqve in illis circulum liberum promovendo; huic ſcopo conveniunt ſitus corporis erec-

tus, calor extremitatum inferiorum pediluviis, tegumentis efficiendus; maxime autem juvat alvi fluxus ad modicam laxitatem eccoproticis productus; (Fratrem hac vertigine gravi, pertinaci supra allatis auxiliis non prorsus cedente afflictum, tandem plenario restituit aqva Seidscytzensis omni fere mane ad libram vel minorem dosin hausta, indeqve alvus modice laxata); cujus aqvæ locum subire potest salis anglicani unciæ duæ in aqvæ fontanæ mensura solutæ. Huc qvoqve pertinet capitis modica vel nulla obductio, ejusdemqve capillis denudati freqvens imo qvotidianum per aqvam frigidam lavacrum. Medela prophylactica similis sit allatæ curativæ sc. per venæsectionem qvater circiter qvotannis repetendam, lavacrum capitis frigidum & reliqva; qvo notabilior fuit vertiginosus talis insultus, eo magis necessaria & exacta prophylaxis desideratur.

Species II^{da}.

VERTIGO NERVOSA

Est vertigo per intervalla recurrens debilitati vel mobilitati nimiæ encephali, & nervorum tribuenda.

Causæ antecedentes sunt, intensiores animi labores, & studia, veneris usus immodicus, & onanismus, atqve hysteria.

Dignofcitur caufis allatis, abfentia fignorum vertiginis plethoricæ, exacerbatione per evacuantia qvæcunqve, potius qvam levamine.

Eventus haud periculofus timendus eft, literatos novi per plures annos illa moleftatos; increfcente ætate fponte mitefcit, imo ceffat hoc incommodum.

Curatio vel mitigatio mali promovenda eft 1. per roborantia interna & externa topica uti corticem peruvianum, radicem gei urbani per intervalla, qvando & qvamdiu ægroti inde bene fe habere videntur, fumenda, radix valerianæ fylveftris, aut fola aut fupra allatis mixta etiam commendatur, pulveres hi ad drachmam dimidiam bis terve per diem ingeri poffunt, maxime verò proficuæ aqvæ pyrmontanæ tempore æftivo fumtæ reperiuntur; hifce jungendum eft lavaerum capitis frigidum qvotidianum, qvinimo balneum frigidum fuperinfufum (*Styrte-Bad*) cujus præcipuum emolumentum proprio exemplo illuftriffimus apud nos medicus atteftatur; 2. per abftinentiam a caufis hujus mali fupra memoratis, nec non ab aliis debilitantibus, nitrofis, potu relaxanti, evacuationibus notabilioribus fangvineis, alvinis, imo per veficatoria productis.

Species III^tia.

VERTIGO STOMACHICA

Eſt vertigo ſ. vertiginoſus capitis ſtatus productus & cognoſcendus ex adjunctis impuritatibus bilioſis ventriculi & earundem effectibus, ut nauſea, ſapore amaro, lingva mucoſa, anorexia; cremor tartari, emeticum in hoc caſu propinanda ſunt & juvant; ipſe nondum medicus hoc incommodo ſat diu afflictus ſero lactis per cremorem tartari parato ſanabar, qvod forſan ocyus perfectum eſſet, ſi emeticum ſumſiſſem.

Species IV^ta.

VERTIGO EX ACRIMONIIS

Eſt vertigo ex acri qvadam materia aliunde a corporis partibus ad nervos capitis tranſpoſita, uti ex ulceribus conſolidatis (vid. diar. 1784. Aug. 7. 1785. Jul. 6,) vel ſudore pedum ſolito ſuppreſſo, (vid. diar. 1784. Jul. 9.) Dignoſcitur hoc malum e prægreſſis, & juvabitur derivantibus præſertim illis, qvæ antecedentem acrimoniæ evacuationem reſtituunt, vel aliam illi ſimilem ſubſtituunt, uti fonticulis. Maxime hinc ſpeciei analoga eſt vertigo arthritica qvamvis etiam ad ſymptomaticas referenda, methodo de arthritide anomala memorata tractanda.

Species V[ta.]

VERTIGO SYMPTOMATICA

Eſt vertigo, qvod tanqvam merum ſymptoma aliis morbis competit, ideoqve medela illis convenienti ſananda, uti vertigo febrilis bilioſas, putridas & exanthematicas febres concomitans; vertigo febricoſa ſ. intermittentis vices ſupplens; vertigo febriſeqva admodum crebro poſt putridas febres remanens; vertigo epileptica paroxysmos convulſivos, epilepticos præcedens vel ſubſeqvens, vertigo lethargica vel hydrocephalica extravaſationem ſeri in cerebro pro cauſa habens (vid. diar. 1784. Jul. 10.)

GENUS II[dum.]

LIPOTHYMIA

Eſt dejectio vel abolitio virium animalium & vitalium ſubitanea.

Symptomata & ſigna;

1. Animalis vis & ſeſe & alia objecta extra ſe percipiendi vel qvam maxime obſcuratur, vel prorſus ceſſat; vis motrix arbitraria prorſus perditur, ita ut ſtantes ad terram proſternantur & qvamdiu morbus durat, ſeſe nec moveant, nec movere qveant.

2. Vitales actiones refpiratio, & arteriarum pulfatio vel maxime debilitantur, vel prorfus ceffare videntur, hinc pallefcunt ægroti imo frigefcunt, qvali ftatu actionum vitalium lipothymia ab apoplexia difcernenda eft.

Caufa proxima lipothymiæ alia effe neqvit, qvam impeditus influxus vis vitalis f. fluidi nervei in partes corporis; qvandoqve mens ipfa, dum fc. ex illius pathematibus morbus oritur, in culpa effe videtur, alias caufæ phyficæ ratione haud explicanda fluidi vitalis motum alterant, & pro tempore fiftunt.

Gradus hujus affectionis diverfus eft, indeqve duplex fpecies ejusdem diftingvenda.

Species I^ma.

SYNCOPE

Eft lipothymia cum fuperftite aliqvali ictu pulfuum & refpiratione brevi intra aliqvot minuta tranfiens.

Caufæ antecedentes effe poffunt:

1. Animi pathemata violenta, indignatio, terror; antipathia, uti contra felem, mures, cafeum; qvo pertinet dolor enormis.

2. Venæfectio vario modo lipothymiæ caufa evadit, interdum inftans & facienda, fine dubio mediante illius metu, qvandoqve ob fangvinis nimiam & fubito detractam copiam, qvandoqve

finito ſangvinis fluxu, & obturata vena oritur hæc affectio, forſan alterationi cordis per renovatum ad illud fluxum ſangvinis antea e vena proſilientis adſcribenda.

3. Affectiones ventriculi & primarum viarum ob ingeſtorum & contentorum nimiam molem, pravam indolem, vermes, flatus in qvo caſu cardialgia lipotymiæ præcurſor eſt.

4. Debilitatio notabilis vel ſubitanea aut per evacuationes largas ſangvineas vel alias uti vomitum, diarrhæam, ſalivationem, qvo referri poteſt evacuatio ſeri hydropici per paracenteſin, partus acceleratus, aut per morbos varios virium jacturam acuto, vel lento modo ſecum ducentes, imprimis febres putridas graviores, & magnum ſcorbuti gradum, ſphacelum.

5. Mobilitas nervorum, uti in epilepticis hyſtericis, qvibus admodum freqvens ſymptoma eſt lipothymia; qvo pertinet ſyncope febricoſa ſ. febribus intermittentibus annexa vel earum locum ſubiens.

6. Vapores maligni putridi, mephitici, carbonum; (horum fumus nobiliſſimam matronam inſtanti morte minabatur, ſponte vomitus ſalutaris ſuperveniebat, dein acetum vini intus & extus largiter applicitum periculum avertebat.) Huc pertinent axhalationes mineralium.

Prognoſis. Syncope per ſe tranſitorius eſt affectus periculo carens; qvatenus ab aliis morbis

dependet, eventus juxta horum indolem dijudicandus eſt.

Curatio ſyncopes duplex:

1. Symptomatica contra ipſum inſultum adhibenda, qvæ ſtimulans ſit, uti ſpiritus ſalis ammoniaci vel acetum forte naribus appoſita, vel in hyſtericis gummi aſſæ foetidæ; inſperſio vel effuſio aqvæ frigidæ in facie, frictio per pannum laneum rudius, aër præterea liber frigidiuſculus utpote in pulmones maximum vim exſerens, nec non decubitus horizontalis, ſub qvo pondus ſangvinis venoſi verſus cor majus eſſe videtur, conveniunt: etiam mediante pluma nares titillati poſſunt; lipothymia hyſterica, qvæ in convulſiones ſæpius tranſire ſolet, ſponte ceſſat et ſtimulantibus non tractanda eſt, qvippeqvæ inſeqventes convulſiones graviores reddunt; ad ſe parum redeuntibus ægrotis & deglutitione reſtituta, vinum, liqvor anodynus mineralis, imo acetum vini ingeri poſſunt.

2. Radicalis, qvæ tantum modo locum habet ſi ſyncope effectus ſit alterius morboſæ affectionis, cui prophylactica ſyncopes medela adaptanda eſt.

Species II^da.

ASPHYXIA

Eſt lipothymia ſubitanea mortis veræ imaginem, ceu nulla vitæ ſigna ſecum ferens. Ca-

lor, pulſus, reſpiratio ceſſant, perqve tempus notabile uti plurium horarum imo diutius non redeunt.

Cauſæ efficientes & antecedentes:

1. Qvædam earum, unde ſyncopen oriri dictum eſt, uti animi pathemata & hyſteria.

2. Exhalationes fortes, mephitici, e muſto recenti fermenteſcenti orientes; nec non e tumulis diu clauſis provenientes; aſphyxiæ tali uti ſyncope medicandam eſt.

3. Aliæ, violentæ cauſæ dicendæ, nimirum demerſio in aqvis, indeqve nuper facta vitæ ceſſatio, hæc enim ad horam protracta vix mutatur; nec non congelatio; frictio & calor modicus corpori applicanda præcipuam in his caſibus medicationem efficient; pro demerſis mihi maxime proficuum videtur auxilium a vulgo receptum corpus ſcilicet ſuper orcam rotando, qva ratione et motus diaphragmatis citatur et aqva ex trachea evacuatur. Neonatis aſphycticis convenit balneatio in aqva calida, inflatio aeris per os compresſis naribus, agitatio coſtarum, frictio valida, ictus fortes natum, ſtimulatio plantarum pedum ope penicilli et narium per fortiora odora; ſi facies illis rubet ſangvis ex umbilico ad unciam vel unciam dimidiam prius mittendus eſt.

In univerſum ſubitaneo tali modo morientes biduo triduove ſaltem ſervari debent, donec putreſcere incipiant.

Huc referre licet duos ſimiles morbos vel morboſa ſymptomata raro occurrentia ſc. catalepſin, qvæ dicitur ſuppreſſio ſenſuum & motuum arbitrariorum cum pulſu & reſpiratione obſcuris, flexibilitate artuum, eorumqve pronitate ad ſitum aliena vi impreſſum retinendum; atqve exſtaſin in eo a catalepſi diſcrepantem, qvod ſitus membris impreſſus non retineatur, ſed poſitura corporis aggrediente inſultu præſens permaneat eadem: ex animi pathemate, hyſteria, qvandoqve in morbis acutis hi affectus exſurgere obſervati ſunt brevi durantes & ſponte tranſeuntes.

GENUS IIItium.

APOPLEXIA

Eſt plena abolitio ſenſuum, motusqve arbitrarii, ſalvo motu vitali, cum adjuncto ſtertore ſ. reſpiratione ſtertoroſa.

Symptomata apoplexiæ ſtricte talis:

1. Privatio omnis ſenſus externi & interni, adeo ut æger nec ſui ipſius conſcius ſit, nec res extra ſe agentes percipiat.

2. Ceſſatio omnis motus arbitrarii, ita ut talis æger immobilis jaceat.

3. Plena talis abolitio, non ſomno ſimilis, cauſis excitantibus vincendo. Hæc in apoplecticum ſtatum nullam efficaciam exſerunt.

4. Vitalium functionum status illæsus, vel rectius incrementum saltem qvoad respirationem, qvæ vehementia majori peragitur & cum stertore; pulsus variam conditionem habet.

Levior qvoqve datur apoplexiæ gradus, a nonnullis parapoplexia dictus, ubi conscientia sui ipsius non omnino perditur, nec respiratio stertorosa adest, sed vel notabilis vertigo vel cephalalgia cum inseqventi debilitate cujusdam facultatum animalium sc. motus vel sensus.

Causæ antecedentes:

1. Internæ prædisponentes.

a) Ætas increscens versus sexagesimum circiter annum, non raró tamen termino hoc juniorem apoplexiam observavi.

b) Corporis certa structura, magnum caput, breve collum, corpus obesum, qvibus causis nimia copia & vi ad caput propellitur sangvis.

c) Plenitudo humorum, aut & præsertim sangvinis boni, aut pravi serosi, cacochymici.

d) Animi labores & pathemata ingrata, crebra, violenta, qvibus etiam sangvis ad caput trahitur, & vasa sensim distenduntur & debilitantur.

2. Externæ occasionales.

a) Abusus potus spirituosi, aut vera hinc oriri potest apoplexia, aut spuria, etiam apoplexia temulenta dicta, status sc. apoplexiæ genuinæ simillimus, e prægressa copia ingesti spiritus, &

ejusdem post somnum sufficientem evanescentia cognoscendus.

b) Æstus solaris s. solis radii æstivi praesertim ad caput directi, qvò etiam referri potest alius similis calor in cubiculis e congregationa multorum hominum, aut altero modo productus.

c) Oppletio nimia ventriculi, indeqve vasorum abdominalium compressio & nimius sangvinis ad caput affluxus.

d) Pectoris morbi, tussis molesta, dyspnoea imprimis in senibus aliisqve ad apoplexiam dispositis utpote illa causa descensus sangvinis e capite impeditur & difficilis redditur (vid. diar. 1782. Jul. 6.)

e) Acrimoniæ variæ ad cerebrum conversæ uti arthritica (vid. diar. 1786. April. 14.) metastatica (vid. diar. 1782. Januar. 1. 1783. Februar. 1. & Jul. 1. 1785. Maj. 7. & Junii 11.) nec non e miliaribus albis (vid. diar. 1783. Decbr. 15.) urina suppressa huc computatur & aliæ acrimoniæ (vid. diar. 1786. Febr. 14.)

f) Animi pathemata violenta præsertim ira & terror; qvo forsan hystericus morbus referri potest.

g) Læsiones capitis violentæ, contusiones & fracturæ.

Causa proxima apoplexiæ est impedita illa encephali actio, qvæ ad functiones animales perficiendas reqviritur. Hujus impedimenti causa

efficiens in multis caſibus eſt manifeſtum in cadaveribus detegendum extravaſatum, qvo ſubſtantia cerebri comprimitur itaqve transfluxus liqvidi vitalis intercipitur, (vid. multa exempla ad indicem diarii circa titulum apoplexiæ relata, ubi ſerum, ſangvis, pus apud cerebrum eorum, qvi apoplexia defuncti fuerunt, inventa ſunt.) Verum etiam absque tali ut ita dicam, mechanico vitio apoplexia induci poteſt, teſtantibus & extiſpiciis, qvibus cerebrum absqve læſione viſibili repertum eſt (vid. diar. 1785. Mart. 9. & April. 9.) & multis apoplexiæ ſanatæ exemplis. Duplex præter mechanicam cogitari poteſt cauſa ſc. congeſtio tranſitoria humorum ad encephalum tanta vi agens, ut pro tempore compreſſio circulum fluidi vitalis impediens oriatur, vel etiam ſpaſmodica encephali conſtrictio eundem effectum producens, qvæ meritò ſtatuenda eſt, qvando neutra aliarum cauſarum præſto eſt, qvinimo inopia humorum.

Diagnoſtica apoplexiæ ſigna ad triplex genus referre prodeſt.

1. Prænuntia, unde huuc morbum timere fas eſt.

a) Cauſæ prædiſponentes ſupra allatæ.

b) Vertigo crebra, vel cephalalgia gravativa cum ſuſurru & tinnitu aurium.

c) Somnolentia inſolita, præſertim in obeſis & cum oblivione ſ. memoria debilitata.

d) Insolita debilitas functionum animalium uti stupor, torpor, tremor unius, vel alterius membri, loqvela difficilior, oris ad alterutrum latus retractio.

e) Concursus plurium dictorum signorum.

2. Indicativa s. præsentem morbum denotantia sunt symptomata apoplexiæ supra allata; a lipothymia dignoscitur per actiones vitales uon debilitatas, ut & respirationem stertorosam, qva ultima a morbis comatosis infra memorandis facile distingvitur.

3. Signa causarum externarum supra dictarum, qvarum cognitio, ad curationem illis conformandam utilis, rita antecedentium exploratione acqvirenda est.

Prognosis. Eventus apoplexiæ triplex possibilis est.

1. In sanitatem, qvi tamen rarissimus est, in junioribus, bona alias constitutione corporis gaudentibus, & si paroxysmus levior cito transiens sit, saltem haud ultra diem duret, exspectandus; e febre intermittente superveniente bonum observavi effectum, qvi etiam ex evacuationibus spontaneis sudore largo, diarrhoea, sangvifluviis sperari potest.

2. In mortem vel cito vel lentiore modo evenientem, prioris metum faciunt, a) gradus morbi notabilis cum respiratione valde profunda difficili, oreque spumescente, b) diuturnitas paroxysmi,

qvandoque qvidem citisſime intra qvadrantem horæ interficit, interdum tranſit in ſoporem lethargicum qvi intra qvartum ſaltem diem per renovatum apoplexiæ inſultum morte terminatur, c) morbi varii prægreſſi uti epilepſia, lethargus, febris putrida. (Exempla apoplexiæ cito funeſtæ vid. diaria. 1783. Octbr. 9. 1784. Mart. 9. & Sptbr. 14. atque 1786. Februar. 5.) Tardius funeſtam apoplexiæ terminationem exſpectare licet, ſi finito paroxyſmo æger qvodammodo ad ſe redeat, attamen ſtupidus & ſoporoſus permaneat, tunc aliqvod cerebrale vitium poſt nonnullas hebdomades raro diuturnius tempus letiferum timere fas eſt (vid. diar. 1782. Mart. 9. & Jul. 4. 1783. Octbr. 10. & 1784. Auguſt 13.)

3. In paralyſin, qvæ finito paroxyſmo apoplectico ſæpiſſime obſervatur, utplurimum artus unius lateris occupans, hemiplegia dicta, qvandoqve faciem ejusdem lateris cum retractione oris in latere oppoſito, qvandoqve inſtrumenta vocis afficiens & vim loqvendi plenariò vel pro parte ſupprimens, oculi alterutrius coecitas & memoriæ debilitas etiam tanqvam apoplexiæ reliqviæ obſervantur. Paralytici tales affectus intra nonnullas hebdomades ſponte vel arte qvandoqve evaneſcunt, diutius autem protractæ perennes evadunt, memoria reſtitutionis maxime eſt capax, dein loqvela; artus, imprimis brachium difficillime motricem vim recipiunt.

4. In recidivam valde pronus eſt apoplecticus morbus.

Curatio apoplexiæ triplicem partem continet ſ. ipſius paroxyſmi, prophylaxin & curationem effectuum.

Paroxyſmus ſ. inſultus ipſe apoplexiæ debellandus eſt remediis ſangvinis & humorum copiam in capite diminuentibus ſc.

1. Sangvinis miſſionibus ſc. venæſectione juxta ægroti conſtitutionem magis vel minus plethoricam accommodanda, in priori caſu larga & repetita phlebotomia reqviritur, in poſteriore unica & modica qvandoqve ſufficit, hirudinibus ad tempora applicandis, etiam arteriotomia temporalis in caſu pertinaci, allatis non mitigato olim commendata fuit, vix tamen laudanda qvia venæſectione minus tuta et commoda, hanc vero efficacior.

2. Alvi purgatione ſat valida, utpote qva humores deorſum trahuntur & medicaminis vi irritanti atqve laxanti, & qvia ablata contentorum mole ad liberiorem circulum vaſa diſponuntur, hoc ſcopo, ſi deglutitio impedita ſit, enemata ſale multo acuata conveniunt; alias per os ingerenda eſt aqva laxativa cum adjuncta nitri qvarta circiter parte in plethoricis, vel alio ſale neutro, vel mixtura camphorata laxativa vel ſolutio ſalis anglicani imo marini, ſi alia non ad manum ſunt, un-

de aochlearia duo mujora bihorio ſumuntur & ad effectum ſat largum repetuntur.

3. Regimine temperante, frigido, aer ſit liber, ingeſta acidula ſubfrigida, vegetabilis indolis; ſi alvus ſponte fluens allata purgantia haud deſideret, pulvis refrigerans bihorio exhibeatur ad cochleare minus apud plethoricos ſolus, in aliis cum moſci granis qvatuor ad unciam maritatus, calefacientia omnia tam alimenta qvam medicamenta vitanda ſunt.

4. Derivantibus aliis, qvo referri poſſunt ſitus corporis, qvantum potis eſt erectus; capitis denudatio imo per aqvam frigidam lavatio, ablatio omnium collum, pectus, abdomen comprimentium, indeqve ad caput ſangvinem dirigentium, ſinapismi cruribus vel plantis pedum appoſiti, vel eorum loco veſicatoria attamen haud in ſangvine plenis ægrotis ſ. ut dicunt apoplexia ſangvinea, in aliis autem præſertim arthritide antea afflictis aptiſſima cenſenda.

5. Emeticis, qvæ autem non ad paroxysmum apoplecticum pertinent, ni certi ſimus, ingluviem morbo anſam præbuiſſe, tunc præmiſſis evacuationibus ſangvincis admitti poſſunt; alias devicto garoxysmo apoplectico contra ſuperſtites paralyſes emeticum qvandoqve convenit.

Curatio prophylactica apoplexiæ, qva reverſio illius impedienda eſt ad cauſas ſupra allatas debellandas & avertendas tendere debet, atqve ap-

plicari tam apud eos, qvi ob prægreſſam apoplexiam qvam apud alios, qvi ob ſigna prænuntia ad hunc morbum diſpoſiti judicari poſſunt.

1. Incitantia omnia tanqvam hujus morbi occaſiones vitanda ſunt, uti animi fortiora pathemata & labores, potus ſpirituoſi imprimis largiori doſi, et ante meridiem ſumti, potus caffe, calor externus notabilioris gradus, ut & excercitationes corporis nimium æſtum producentes.

2. Sangvinis plenitudo præcavenda & tempeſtive diminuenda eſt; victus ideo modicus ſit magis e vegetabilibus qvam carneis depromendus, venæſectio apud plethoricos ſ. ad plethoram pronos exceptis illis, qvos natura ipſa per fluxum hæmorrhoidalem evacuat, qvater qvotannis repetatur vel ſæpius, qvoties ſigna apoplexiæ prænuntia ſeſe exſerunt, aut ſangvinis inſolita agitatio animadvertitur, dum cremorem tartari bis terve per diem ingerere etiam prodeſt.

3. Plenitudo ſeroſa in perſonis pallidis ſubtumid s timenda deſiderat intermiſſa laxantia, diuretica, uti infuſum vinoſum amarum, theam amaram, cremorem tartari; modica & crebra corporis exercitatio, ejusdemqve frictio etiam conveniunt.

4. Congeſtio ſangviuis & humorum verſus caput avertenda; ideo pedes ſemper calidi ſervari debent, caput autem & collum frigidiora qvinimo per lavationem ex aqva frigida qvotidie inſtituendam, huc pertinet liber alvi fluxus, eccoproticis,

uti solutione salis anglicani vel cremore tartari cum rheo, qvoties opus est, promovendus.

5. Arthritidis, si hæc modo anomalo apoplexiæ occasionem præbuerit, renovata ad caput conversio præpedienda, hoc scopo liqvor nervinus bis terve indies cum admixto pulvere refrigerante in sangvine plenis per aliqvod tempus adhiberi debet, porro balneatio capitis frigida, suppuratio protracta in artubus per cantharides aut corticem mezerei promovenda, qvinimo fonticuli.

Curatio affectuum apoplexiæ s. affectionis paralyticæ hunc morbum subseqventis infra ad tractatum de paralysi memoranda venit.

GENUS IVtum.

PARALYSIS

Est defectus vis vitalis vel sensitivæ vel motivæ, vel utriusqve in certa qvadam corporis parte; in priore casu incompleta & in posteriore completa audit.

Differentia nomina huic morbo juxta partem affectam imposita sunt sc.

1. Hemiplegia s. paralysis artuum unius lateris.

2. Paraplegia s. paralysis artuum corporis inferiorum utplurimum ischuriam sibi junctam habens.

3. Aphonia, impotentia loqvendi morbofa vel completa, ita ut nulla verba æger pronunciare valeat, vel incompleta, dum vel tantum nonnullas vel diftinctu difficiles voces edere poteft; huc referri poteft certum loqvendi vitium, fub qvo verba ideis non refpondentia f. alia, qvam vult, æger profert.

4. Amaurofis f. coecitas absque ullo apparenti vitio oculi.

5. Cophofis f. plenaria audiendi impotentia.

6. Anæftefia f. privatio fenfus tactus (vid. diar. 1785. Jun. 8.)

Caufæ antecedentes paralyfeos posfibiles.

1. Cerebri ipfius læfio partialis, unde certi furgentes nervi vi fua orbati & ad functiones incapaces redduntur; mediante tali vitio cerebrali communes apoplexiæ effectus & feqvelæ funt paralyfes variæ, imprimis hemiplegiæ, rarius aphonia & amaurofis; fectionibus demonftratur, vitium cerebrale unius lateris paralyfin corporis in latere oppofito inducere (vid. diar. 1783. Octbr. 10. 1782. April. 6. Jul. 4. & 1784. Auguft 13.) Aphonia febri putridæ adjuncta vel fuccedens etiam debilitati ipfius cerebri imputanda eft.

2. Medullæ fpinalis læfiones variæ vel ob vertebrarum adjacentium vitium, luxationem, rupturam, cariem, qvibus medulla vicina comprimitur aut alio modo afficitur, vel ob tumores, humoresque effufos in theca vertebrarum inde-

qve compresſionem medullæ; paraplexia ex hac cauſa utplurimum naſcitur, utpote nervi extremitatum inferiorum e læſa medulla unde proveniunt, vis vitalis participes fieri neqveunt (vid. diar. 1783. Junii 7. & 1784. April. 6. Etiam paraplexiam absqve apparenti vitio medullæ exhibent diaria 1783. Mart. 10. & 1785. Sptbr. 11. e congeſtione ſanguinea eandem ortam fuiſſe probabile reddit exemplum diar. 1785. Jun. 5.)

3. Nervorum læſio varia in decurſu eorundem ad partes illis ſubordinatas locum habens; uti compresſio ex adjacentibus tumoribus, vel vaſis ſangviferis nimium repleis, (Smuckert qvandoqve poſt exercitia valida militaria ſurgentem obſervavit tranſitoriam coecitatem, qvam ſangvini in arteriis ophtalmicis rarefacto haud iniqve attribuit); diſſectio, ita paralyſin incurabilem digitorum obſervavi poſt inciſionem abſceſſus cujusdam brachialis; criſpatura, ut ita dicam, ſeu ſtrictus qvidam nervorum habitus acri & irritanti qvadam materia forſan inductus; huic cauſæ paralyſin colicæ nervoſæ ſeqvelam (vid. diar. 1782. Mart. 4. 1785. Januar. 7. & Jul. 12.) nec non arthritidi ſuccedentem (vid. diar. 1782. April. 5.) atque illam, qvæ e vaporibus metallicis arſenicalibus, mercurialibus & plumbeis oriri obſervatum eſt, adſcribere opportet; etiam paralyſes poſt febres putridas obſervatæ vel oculorum (vid. diar. 1784. Mart. 1. & 1786. Octbr. 1.) aut alterius membri

(vid. diar. 1786. April 1.) materiæ morbofæ ad nervos depofitæ tribuendæ funt; nonne fimili nervorum læfioni f. diftentioni incufanda eft paraplegia poft partum laboriofum orta (vid. diar. 1785. Dcbr. 5.) et aphonia in morbo hyfterico.

4. Arteriarum notabilium læfio etiam inter caufas paralyfeos affertur faltem poft aneurifmatis brachialis curam fubligatione peractam, aliqvalis ftatus paralyticus manus exfurgit, fenfim circulatione per vafa collateralia fubftituta & adaucta qvodammodo evanefcens.

5. An cutis fingularis affectio & laxitas anæfthefiæ caufa?

Caufa proxima paralyfeos merito habetur impeditus transfluxus nervei fluidi ad corporis certas partes, five hoc impedimentum in origine five in decurfu nervorum locum habeat; præfertim nerveos tubulos compreffos, conftrictos, deftructos, itaque ad transmittendum fluidum non idoneos cogitare licet; an etiam fluidum ipfum tanqvam fpiffum inerte functioni ineptum fieri qveat?

Diagnoftica figna paralyfeos & in univerfum & fpecialia facile e definitionibus fupra memoratis depromuntur.

Prognofis:

1. Sanitas fperari poteft, fi læfionem incurabilem cerebri vel nervorum haud fufpicandi occafio fit; in paralyfi poft colicas fpasmodicas fu-

perſtite, (vid. hujus exempla ſupra citata); in junioribus hemiplegia qvandoqve curationis capax (vid, diar. 1782. Mart. 3. Octbr. 5. & 1786. Januar. 3. & Mart. 6.); plura obſervavi exempla paralyſeos ſanata (vid. diar. 1783. Januar. 2. Septbr. Dcbr. 5. & 1785. Febr. 4.) Dolor varius, tenſivus, formicatorius boni ominis & redeuntis vis vitalis indicium exhibet, in univerſum diuturnum tempus ad ſanationem perficiendam reqviritur modo ſemel vidi ſpontaneam et ſubitam paraplegiæ ſanationem poſt acceſſum epilepticum haud recidivantem; (ſudoris benignum effectum vid. diar. 1784. Jul. 8.)

2. Immedicabile cenſendum eſt malum, jam diu protractum, juncta habens indicia læſionis irreparabilis cerebri, medullæ, vel nervorum, in ſenioribus, qvinimo in junioribus hemiplegia non rarò perennis fit (vid. 1786. Jul. 8.) Amauroſis, ni citò tranſeat, vix unqvam curabilis fit.

Curatio paralyſeos remediis, qvæ emolliendo vaſa pervia reddunt, & irritando vim vitalem alliciunt, promovenda eſt; qvalia ſunt.

1. Interna; mihi in uſu ſunt aut liqvor nervinus ad guttas triginta ter indies aut eſſentia ſtibii Huxhami cum æqvali parte ſpiritus lavendulæ compoſiti ad guttas ſexaginta ter indies, ſimulqve infuſum florum arnicæ; in hemiplecticis alvi qvotidiana ſubductio per eccoprotica uti cremorem tartari cum dimidia rhei parte mane & veſpera porrectum mihi admodum utilis apparuit. Amau-

rosis post febrem orta ope essentiæ colyeinthidis primum ad guttas octo sensim ad octodecim aucta dosi bihorio porrectæ sanata est.

2. Externa:

a) Balneum vaporis, cui iucoctæ sunt species aromaticæ, uti nostræ ad balneum vaporis; qvodqve ter circiter septimana in usum trahitur, in paralysi absqve encephali prægressa affectione maxime convenit & prodest; etiam in hemiplecticis adhiberi potest, rita habita attentione ad ejusdem effectum in caput, cujus molestiæ si exsurgant, a balneo cavendum est, uti qvoqve, si paralysis sit veræ apoplexiæ seqvela. (Singularis unius oculi affectio cum amblyopia juncta, qva illi semper figura numeri octo apparuit, ceteris frustra tentatis, sanata fuit cuculla e gossypio parato et continuo capiti imposito, qvo notabilis ejus transpiratio promota est.)

b) Balneum stillatitium s. instillantis aqvæ frigidæ, cujus præcipuum emolumentum ad debilitatem juncturarum manuum pedumve tollendam observavi. Hoc scopo etiam immersio membri afflicti inter viscera animalis nuper mactati convenit.

c) Spiritus fortes affectis partibus inungendi, frictio freqvens mediante panno aspero, urticatio s. verberatio partium per urticas, cujus notabilem percepi utilitatem, uti in exemplo anæstesiæ supra allato; electrisatio, qvæ in paralysi ex colica ner-

vofa commendanda, fed in illa poft apoplexiam orta ut omnia alia topica fruftra adhibetur. (Aphonia hyfterica biennis, poft omnia incaffum tentata, ope moxæ, in utroque latere colli prope laryngem inuftæ cum diuturna infeqvente fuppuratione, lente qvidem fed prorfus fanata fuit.)

d) Motus diligens partium affectarum, qvantum fieri poteft.

GENUS Vtum.

COMA

Eft fomnus modum vel gradum naturalem excedens.

Differentiæ ejusdem imprimis ratione gradus varia imponi folent nomina fc.

1. Carus, etiam apoplexia minor vocatus, ubi fymptomata apoplexiæ adfunt excepto ftertore.
2. Lethargus, fomnus continuus facile excitabilis oblivionem junctam habens.
3. Cataphora, fomnus naturali profundior, tamen excitabilis.
4. Typhomania, fomnus apparens junctus cum deliratione, hoc merum & crebrum fymptoma eft febris putridæ f. malignæ.

Caufæ antecedentes comatis.

1. Plenitudo humorum vel boni fangvinis vel pravi, uti feri hydropici, materiæ arthriticæ

vel exanthematicæ retrogreſſæ, aut urinæ retentæ converſio & actio in encephalum, obeſitas notabilis ſangvinem verſus internas partes & cerebrum urgens.

2. Extravaſationes variæ juxta cerebrum poſt mortem detectæ, uti puris, ſangvinis, ſeroſæ materiæ (vid. diar. 1785. Octbr. 5.)

3. Abuſus medicaminum ſ. rerum ſomnum inducentium, qvalia ſunt opiata ſpirituoſa & ſimilia.

Cauſa proxima qvoad indolem eadem ſed gradu minor qvam in apoplexia ſc. qvodammodò impeditus tranſitus fluidi vitalis ab encephalo in nervos ob illius compreſſionem.

Diagnoſis comatis tam generalis qvam ſpecialis e porrectis ſupra definitionibus abunde patet, verum etiam cauſas exploratione antecedentium detegere opportet, utpote illis judicium de eventu & medela ſuperſtruendum eſt.

Prognoſis ſecundum cauſas comatis ferenda eſt; ſi vitium cerebri irreparabile ſuſpicari licet, mors ocyus vel ſerius & qvidem mediante apoplexia exſpectari poteſt, e reliqvis cauſis exortum malum ſanationem præſertim e tempeſtiva arte admittit.

Curatio etiam cauſas morbi reſpiciat:

1. Plethora ſi in culpa ſit, ſuisqve detegatur ſignis, ſangvinis misſiones & reliqva medicatio apoplexiæ conveniens reqviruntur.

2. Serosi humores vel certæ acrimoniæ morbosæ causam efficientes evacuantibus & derivantibus debellari & auferri debent, uti purgantibus, diureticis, vesicatoriis diu suppurantibus, setaceo in nucha applicito, atque fonticulis. Obesitas nimia per diætam extenuantem, restrictam minuenda est.

3. Si somnifera medicamenta vel venena morbum induxerint, emeticum qvo citius eò melius exhiberi debet, & dein acetum vini largiter hauriendum, solum vel potui immixtum. Contra effectum opii noxium decoctum coffeæ commendatur. In plethoricis venæsectio convenit.

GENUS VI^tum:

ASTHMA

Est chronica respirandi difficultas s. morbus chronicus, cujus præcipuum symptoma est respiratio difficilis.

Symptomata hujus morbi possibilia sunt:

1. Respirationis ipsius difficultas ad varium gradum, vel modica tantum sese sub motu corporis exserens, vel major etiam qviescente corpore præsens, & loqvelam retardans, vel maxima ad situm erectum & antrorsum incurvatum cogens,

decubitum non tolerans, & desiderium frigidi, liberique aëris secum ducens, qvalis gradus orthopnoea dicitur; vel demum intermittens sc. certos periodos habens, & per intervalla longiora silens, cui a nonnullis asthmatis nomen sensu proprio tribuitur.

2. Incommoda alia pectoris sæpe concomitantia, uti anxietas, palpitatio cordis, sibilatio, tussis humida, aut sicca.

3. In reliqvo corpore imprimis sub graviore morbo languor, debilitas, sudor frigidus, pulsus irregularis.

Causa proxima asthmatis in genere haud alia cogitari nec ab infra memorandis causis remotis deduci potest, qvam impedita s. difficilis aeris & sangvinis per pulmones circulatio, indeque nata vasorum & nervorum distensio hisce partibus convenienti modo dolorifica, nempe oppressionem anxiam & naturæ conatum illi congruum sc. pectus dilatandi inducens. Corporis motus asthmati cuicunqve intolerabilis, illud inducens vel augens, allatam causam mihi probare videtur, utpote accelerato motu sangvis eo magis in pulmonibus accumulatur & vasa distendit.

Diagnosis e definitione asthmatis & descriptione symptomatum facile depromitur.

Prognosis juxta specialem indolem & causam asthmatis mox memorandam tantummodo formari potest.

Curatio eidem ac prognofis regulæ accomodanda eft; attamen in univerfum valet utilitas venæfectionis faltem levatoria, qvatenus enim copia fangvinis minuitur, etiam diftenfio vaforum pulmonalium dolorifica, afthmatis proxima caufa, decrefcit.

Divifio afthmatis præfertim ratione differentis caufæ feqventes fpecies complectitur.

Species I^ma.

ASTHMA PULMONALE

Eft chronica & continua refpirandi difficultas e vitio fubftantiæ pulmonum inhærente producta.

Origo illius varia pulmonum læfio effe poteft, uti tubercula, v. obftructio in minimis (vid. diar. 1784. Jul. 11.), fteatomata, vomicæ, concretiones notabiles pulmonum cum partibus vicinis (vid. diar. 1782. Jul. 7.)

Diagnofis tuberculi e compræfente tabe, vomicæ ex adjuncta vel prægreffa inflammatione pectoris, fufpecta redduntur, fteatoma & concretiones vix propriis fignis gaudent.

Prognofis vix ullam fanationem promittit; de tuberculofo afthmate infra circa phthifin agendum eft, de vomicis in tractatu pneumoniæ dictum eft, reliqva haud fanabilia aut fubitaneam

aut lento modo mediante hydrothorace mortem inducunt.

Species II^da.

ASTHMA PECTORALE

Eſt conſtans reſpirandi difficultas e vitiis variis in pectore tamen extra pulmonum ſubſtantiam locum habentibus.

Cauſæ hujus variæ ſc. extravaſati humores ſeroſi, qvalis morbus hydrothorax dictus infra in tractatu de hydrope memoratur; extravaſatum pus ſub nomine empyematis ſupra circa pneumoniam deſcripti; extravaſatus ſangvis, unde proveniens aſthma cito accedit & lethale fit (vid. diar. 1783. Maj. 5. & 1786. Auguſt 14.) Cordis ipſius vitia, uti laxitas nimia & magnitudo (vid. diar. 1786. Mart. 10. April 13. Jul. 11.) vel oſſificatio (vid. 1785. Jul. 15.) vel polypus (vid. diar. 1783. Sptbr. 12. & 1785. Novbr. 6.) vel aneuriſma aut ipſius cordis aut arteriæ majoris adjacentis, talia vitia vix niſi poſt mortem & ſectione cadaverum cognoſcenda & diſcernenda ſunt, & licet ſuſpecta haberentur nullius curationis capacia ſunt.

Species III^tia.

ASTHMA ABDOMINALE

Eſt reſpirandi chronica difficultas e vitiis viſcerum abdomiualium ortum trahens.

Cauſa hujus communisſima eſt infarctus & enormitas hepatis, cujus pondere & mole tam diaphragmatis actio impeditur, qvam adjacens pulmo comprimitur (vid. diar. 1786. Mart. 10. & April 12. & 13. 1784. Novbr. 2.); expanſio flatulenta inteſtinorum & ventriculi dyſpepſiæ non rarum ſymptoma etiam temporariam dyſpnoeam inducere valet, ubi ex infuſo corticis chinæ cum vino maderenſi bonum effectum obſervavi, & demum collectio abdominis hydropica. Hæc aſthmatis ſpecies proinde mere ſymptomatica ex alia principali affectione qvoad indolem innoteſcens, & illius medelam reqvirens.

Species IV^ta.

ASTHMA HUMORALE

Eſt chronica reſpirandi difficultas e vitio ſangvinis ſ. humorum univerſali ortum trahens.

Triplex humorum conſtitutio in culpa eſſe poteſt.

1. Acrimonia eorundem varia forſan ſpasmodicam conſtrictionem producendo aſthma creans, uti materia rheumatica (vid. diar. 1786. Sptbr. 4.) arthritica (vid. diar. 1782. Auguſt 3.), retrogresſa cutanea (vid. diar. 1782. Februar. 3.)

2. Spisſitudo, ob qvam humores ad vaſa pulmonalia permeanda minus apti ſunt, uti ſcorbutica fere ſemper dyſpnoeam ſecum ducens, &

alia, chlorotica dicta, apud puellas pallidas male vel haud menstruatas imprimis obveniens.

3. Plenitudo s. plethora, unde vasa pulmonalia haud secus ac reliqvi corporis moleste expanduntur, mediante hac abundantia retentus fluxus menstruus vel hæmorrhoidalis causa asthmatis qvandoque evadit; etiam hæc asthmatis species merum est symptoma alterius concomitantis morbi, cujus signis cognoscenda, cujusqve medela juvanda est.

Species Vta.

ASTHMA CONVULSIVUM s. NERVOSUM

Est chronica respirandi difficultas periodice recurrens s. per aliqvot horas affligens vel brevius, iterumqve cessans.

Symptomata:

1. Subita invasio paroxysmi.

2. Sensatio pectoris constringens molesta & anxietas qvandoqve enormis, adeo ut malum hoc fere magis ipsa morte timeant ægroti.

3. Respiratio sibilans difficilis utplurimum ad situm erectum cogens cum summo desiderio aeris liberi frigidioris & difficultate loqvendi.

4. Tussis utplurimum adjuncta valde freqvens cum sputo aqvoso in genere parum sangvineo; semel tantum hunc morbum absque tussi observavi.

5. Accidentalia paroxysmum concomitantia eſſe poſſunt dolor brachiorum, (in viro qvodam dolor talis a vola manus dextræ per integrum brachium ſe extendit); urina ſub ipſo paroxysmo multa pallida, poſt illum ſedimentum deponens; pulſus qvandoqve naturalis, qvandoqve incitatus; frigus crurum, langvor, ſudor frigidus etiam adeſſe poſſunt.

6. Duratio paroxysmi varia raro intra horam finita, ſæpius ad tres vel plures horas extenſa.

7. Reverſio mali ſpontanea ad plures vices imprimis tempore veſpertino vel nocturno atqve demum illius ceſſatio plenaria per aliqvod haud definiendum tempus, remanente tamen illius diſpoſitione, e variis cauſis occaſionalibus facile ad actum perducta.

8. Dyſpnoea modica continua apud plurimos extra paroxysmos remanet; mihi unica tantum exceptio nota eſt in ægro juniori.

Cauſæ remotæ:

1. Occaſionales ſ. irritamenta, qvibus enormis & difficilis reſpirandi actus excitatur, ſunt.

a) Vitia hepatis, qvod diaphragmati adhærens etiam influxum in illius actionem exſerere poteſt (vid. diar. 1782. Sptbr. 3. & 1784. Novbr. 2.)

b) Materia arthritica ſ. podagrica, (ſeptuagenarium novi antea podagricum, hoc morbo demum afflictum, nec aliam morbi occaſionem detegere potui, qvam materiam arthriticam ad pectus

converſam); huc referri poteſt materia catarrhalis vel rheumatica, qvæ eundem effectum ſub diſpoſitione inſigni procreare valet.

c) Aer frigidus imprimis ſub motu corporis citatiore; (virum novi, qvi prima vice ex hac cauſa in aſthma periodicum incidit.)

d) Expanſio ventriculi ſ. ingeſtis nimiis ſ. flatulentia producta, unde etiam adjacentia diaphragma & pulmones inſolito modo affici poſſunt.

e) Animi pathemata vehementiora ingrata, qvorum efficaciam aliqvoties obſervavi.

f) Concurſus plurium dictarum occaſionum.

2. Diſponens, qvæ non poteſt non eſſe nimia nervorum diaphragmati & pulmonibus pertinentium mobilitas & ſenſibilitas, vi cujus allatæ cauſæ occaſionales, in plurimis aliis caſibus absqve tali effectu præſentes, ſpasmo pectoris irritamentum præbent.

Cauſa proxima aſthmatis convulſivi haud immerito habetur ſpasmus ſ. irregularis actio partium reſpirationem efficientium vel diaphragmatis, vel fibrarum muſcularium in vaſis trachealibus, e qvibus, conſtrictis & indebita ratione agentibus, circulatio pulmonalis impedita declarari poteſt, temporaria hujus mali duratio ſpasmum talem pro cauſa etiam indicare videtur.

Diagnoſis aſthmatis convulſivi facilis e ſymptomatibus pectoris ſupra deſcriptis, & eorundem tranſitoria indole deſumitur.

Prognoſis:

1. Junioribus & extra paroxysmos qvodammodo ſanis minus periculoſus cenſendus eſt hic morbus, potius nimiæ nervorum ſenſibilitati qvam vitio notabili viſcerum adſcribendus, inter hos dantur exempla curata & qvæ licet non curata tamen per plures annos vitam protraxerunt.

2. In provectiore ætate aggrediens morbus, dyſpnoea continua notabili inter paroxysmos continuante, podagra ſolita emanente, damnoſior haberi debet; posſibilis licet raro obſervatus eſt interitus ſub ipſo paroxysmo; etiam in phthiſin tranſitus ſit, ſæpius tamen in hydropem tam pectoris qvam reliqvi corporis funeſtum. Fluxus hæmorrhoidalis ſuperveniens admodum ſalutaris cenſendus eſt ad morbum vel prorſus ſanandum vel ſaltem levandum et per plures annos tolerabilem reddendum.

Curatio aſthmatis convulſivi ad duplicem partem commodiſſime referri poteſt ſc. ſymptomaticam & prophylacticam.

Symptomatica curatio ſub paroxysmis ipſis præſentibus vel inſtantibus adhibenda eſt, reqvirens.

1. Venæſectionem imprimis indicatam ſub incipiente malo, paroxysmo graviori & in plethoricis, a nimis repetita plebotomia cavendum eſt utpote & non utili & ad hydropem diſponente.

2. Antiſpaſmodica, qvæ cauſæ proximæ hujus morbi, ſpaſmo jure putandæ, potiſſimum convenire videntur, et qvidem ſub ipſis paroxyſmis; hoc ſcopo naphta vitrioli, liqvor nervinus, liqvor cornu cervi ſuccinatus, oleum cajeput, flores zinci ad grana duo vel tria præſertim veſpere ad præcavendum paroxysmum ſolitum nocturnum, elysma ex aſafoetida, inprimis autem, hiſce nil juvantibus, opium levamen afferunt; optimum vero effectum e moſci orientalis granis duobus cum ſacharo bihorio vel omni hora prorectis obſervavi; ni ſputum ſangvinis paroxyſmos comitetur, kermis mineralis granum pulveri moſcato appoſitum apprime qvadrat; imo e kermis pulvere ſolo utilem effectum obſervavi; alterando actionem nervorum ſ. illis motum ſpaſmo pectorali oppoſitum inducendo antiſpaſmodicam virtutem in hoc caſu kermes minerale exſerere videtur; hæc medicamina ad doſin minorem aliqvot diebus poſt paroxysmum ſublatum cautionis ergo qvoque qvadrant. Cum æger paroxyſmum inſtare ſentit, ſitus errectus extra lectum mox eligendus eſt, ut ille avertatur vel levetur.

3. Emetica, qvæ ſæpe mirabilem opem non modò ad levandum ſed etiam ad exſtirpandum morbum præſtant; paroxyſmi ipſius tempore non qvadrant, ſed tempore ab illo libero, uti mane qvando paroxyſmus veſpera vel nocte inſeqventi timetur; forſan æqva virtute hoc reſpectu gau-

dent tartarus emeticus & ipecacuanna, hæc tamen mihi præſertim in uſu eſt; qvandoqve bis terve facta emetici repetitio ſufficit, qvandoqve crebrior opus eſt; (caſum maxime memorabilem præbuit ſexagenarius aſthmatico morbo per dimidium annum maximi gradus afflictus, nulla nocte in lecto decumbere aut dormire valens, tandemqve poſt varia fruſtra tentata per ipecacuannæ grana qvindecim omni fere mane ſumta, donec uncia integra conſumta eſſet, ſanatus, ſubſeqvente tamen podagra prorſus regulari, qva nunqvam antea laboraverat. Alio octogenario ſimili modo afflicto levandi non juvandi ſpe laudanum liqvidum, omni veſpere et mane pilulas ſcilliticas præſcripſi, ſomnus mox rediit, ſed ex pilullis vomitus citabatur qvotidie revertens et poſt octo circiter dies morbus plane ceſſavit.)

4. Veſicatorium amplum antico pectori vel inter ſcapulas appoſitum et pro neceſſitate repetendum vel diu ſuppurans; imprimis, qvando acrimoniæ cuidam ad pectus converſæ morbus imputari poteſt, proficuum habendum (vid. diar. 1783. Jul. 6. & 1786. Jul. 5.)

Prophylactica aſthmatis convulſivi medicatio ad cauſas illius imprimis occaſionales tollendas & avertendas ſpectare debet.

1. Morboſus corporis ſtatus, qvi ut anſa morbi ſuſpecta eſt, convenienti medela dabellabitur; infarctus hepatis reſolventia deſiderat (vid.

diar. 1784. Novbr. 2.; femel tale afthma ex afcaridibus productum per pillulas ex affa foetida paratas fanavi.) Arthritis retrogreffa derivantia in artubus. ut veficatoria diu fuppurantia; corticem mezerei eorum loco in brachiis applicitum bis faltem valde proficuum inveni, fonticuli autem potius eligendi funt. Præterea extra paroxyfmos comendandæ funt pilulæ refolventes cum qvarta parte gummi afæfoetidæ ad grana qvindecim vel plura mane et vefpere fumtæ et fpiritus lavendularum compofitus cum fpiritu falis amoniaci vinofi vel effentia digitalis purpureæ aliqvoties interdiu. Vidi qvoqve afthma fpasmodicum infufo qvaffiæ bis die fumto fanatum. Maximum emolumentum obfervavi e tinctura noftra antafthmatica ad guttas fexaginta ter per diem cum pilulis fupra allatis vefpere.

2. Diætæ varia ratio, qvæ tefte experientia hunc affectum revocare valet, fc. copiofus cibus, vel talis, qvi ftomacho flatulentiam citò inducit, potus multus, tepidus, relaxans, animi ingrata & vehementia pathemata, corporis notabilis motus, imprimis contra ventum & in aere frigidiore, vitari debent; alvi debitus fluxus etiam procurandus eft, ne oppletio inteftinalis eodem modo ac flatulentia diaphragma irritet & paroxyfmo anfam præbeat.

ORDO IIdus.

SPASMI

Sunt violenti involuntarii motus & contractiones partium corporis muſcularium.

Diviſio hujus ordinis qvinqve genera complectitur ſc. Tetanum, Convulſionem, Epilepſiam, Hyſteriam, Tuſſim.

GENUS Imum.

TETANUS

Eſt valida involuntaria perdurans contractio muſculorum cum rigiditate & immobilitate partium affectarum.

Diverſa nomina huic morbo pro diverſa illius ſede tribui ſolent, ſic trismus appellatur, qvi maxillas conſtringit, rigidas & immobiles reddit, emproſtotonus, ſi corpus antrorſum, & opiſtotonus ſi retrorſum flexum ſit, tetanus verò ſtricte talis ſi omnia membra afficiantur, ſub diverſis his gradibus & modificationibus tamen eadem eſt morbi eſſentia.

Symptomata tetani:

1. Contractio ipſa muſculorum, raró ſubitanea & univerſalis, utplurimum gradatim procedens, ſenſimqve ſeſe extendens ſc.

a) Initium faciunt percepta & increfcens rigiditas nuchæ molefta, atqve crebro recurrens cardiæ dolor ad dorfum tranfiens.

b) Sub altero gradu cum allatis jungitur contractio mufculorum ad maxillas pertinentium fenfim tanta reddita, ut oris aperturam ne minimam qvidem permittat, tunc mufculi dorfales fimul contrahuntur & rigefcunt, ita ut æger corpus antrorfum flectere, erigere vel erectum tenere haud valeat.

c) Sub maximo gradu artuum mufculi etiam contracti & rigidi omni voluntario motui obftant, mufculi abdominales itidem conftringuntur; terminatio tunc, fi letalis fit morbus, fub convulfionibus univerfalibus perficitur.

d) Qvandoqve trismus folus adeft fine aliis tetani fymptomatibus, præfertim in neonatis et graviter vulneratis.

2. Concomitantia:

a) Dolor moleftus partium affectarum.

b) Exacerbatio freqvens contractionis & doloris non raro incipiens a renovato dolore cardiæ brevi durans & fubfeqventem nonnullam remiffionem habens.

c) Alvi & urinæ difficilis vel impeditus fluxus.

d) Reliqvæ functiones fere illæfæ appetitus naturalis, mens fana, pulfus fat bonus, fub exa-

cerbationibus tantummodo irregularis, ſangvis miſſus bonæ indolis.

Cauſæ antecedentes teſte experientia eſſe poſſunt:

1. Læſio nervorum per vulnerationem; qvandoqve adhuc aperto vulnere, qvandoqve illo fere vel prorſus conſolidato inſurgit morbus; in primo caſu diſruptio incompleta nervi adeſſe videtur, reliqvæ illius fibrillæ igitur debito minus cohærent, unde ſub tenſione earundem major & inſignis irritatio derivari poteſt, in altero caſu forſan coalitio nervi cum partibus vicinis inſolitæ tenſioni anſam præbens ſtatui poteſt.

2. Refrigerium & forſan per illud generata acris qvædam materies, qvæ ad nervos depoſita irritationem morbificam producit, qvalis cauſa in regionibus calidis multo magis qvam in noſtris ſeſe efficacem monſtrat, (exemplum diar. 1787. Jun. 9. tali origini tamen adſcribendum eſt; ex retropulſa ſcabie ortum tetanum exhibet diar. 1785. Jun. n. 6.)

Cauſa proxima, ſ. modus, qvo irritatio nervi limitata tam violentam & univerſalem actionem totius ſyſtematis efficit, posſibilis qvidem ob conſenſum jam ſatis cognitum perſpicitur, verum ulterius explicari neqvit.

Diagnoſis e ſymptomatibus ſat facile depromitur; ad initium mox attendendum eſt, ut eò citius tam gravi morbo medicina opponi qveat.

Prognosis:

1. Per se absqve remediis tetanus letalis est; qvo vehementius aggreditur & intra qvartum diem, eo majus habet periculum & vice versa, damnosior itidem habetur e læsione mechanica ortus qvam per refrigerium productus.

2. Sanabilis qvandoqve, per artem nuperiore tempore inventam, redditus est morbus, lenteque decrescendo cessat.

Curatio efficienda est:

1. Opio, qvod præcipuum in hoc casu sistit auxilium, magna talibus ægrotis singulari modo innocua atqve tolerabili dosi, illaqve sensim augenda porrigendo, ex. gr. initio granum extracti opii bihorio propinatur, post duos dies grana duo, deinceps grana tria tamdiu continuata, donec morbus evanescat qvo facto prophylaxeos ergo minor dosis per aliqvot dies exhiberi debet; effectus opii augetur, si alternatim cum uno alterove ejus grano decem salis tartari grana omni hora ingerantur; si initio morbi deglutitio forsan simul impedita fuerit, clysmatis forma extractum opii ad grana qvatuor vel plura in parco vehiculo solutum applicandum est.

2. Emollientibus; commendantur sc. balnea tepida, nec non linteamina aqva calida imbuta & artubus crebro applicita; motus autem ægroti & refrigerium inde facile oriens efficit irritationem, qvalis minima in nostro morbo nocet,

verum clysmata oleosa qvotidie, si opus est, injicienda & innocua & utilia deprehendi.

3. Abstinentia ab omnibus irritanti vi praeditis, uti vesicatoriis, salinis, spirirituosis, aromaticis; pro alimento optime qvadrant blandissima, jusculà carnea, e cerealibus parata & pisces; venæsectio etiam damnosa declaratur, saltem nullum ex ea emolumentum observavi.

4. Dissectione vel per cauterium facta plenaria solutione nervi irritati, e cujus vulnere morbus derivari potest.

Etiam contra hunc morbum laudatur unguentum mercuriale, larga sc., ut salivatio citò oriri qveat, dosi applicandum, & dein repetendum atque continuandum, donec morbus evanescat; cujus methodi efficaciam haud ipse expertus fui. (Opio autem curatæ exemplum vid. diar. 1787. Junii 9., alterum lethale 1785. Junii 6.)

GENUS IIdum.

CONVULSIO

Est motus involuntarius, violenter agitans, unius vel plurium partium, salva in ægroto conscientia sui ipsius.

Differentia ratione modi, qvo sese hic morbus exserit.

1. Convulſio communis, per qvam membra ſine certo ordine involuntariò agitantur.

2. Chorea Sti. Viti ſ. convulſio ſeſe exſerens in uno, imprimis ſiniſtro corporis latere & qvidem maxime, dum motum qvendam voluntarium æger intendit, ſub greſſu hinc inordinatus ſaltui ſimilis motus adeſt, unde ſine dubio denominatio morbi facta eſt (vid. diar. 1783. Octbr. 5.)

3. Convulſio univerſalis et vere mirabilis, ſub qva omnes corporis partes, qvarum motus intenditur, irregulari & violento modo agitantur (vid. diar. 1787. Junii 10.) Pluries illam obſervavi, ſemel ex eadem cauſa eademqve ſanatam medela ac caſus in diariis allatus, alia vice ex celata ſcabie, qva erumpente evanuit.

Cauſæ antecedentes eſſe poſſunt:

1. Læſiones cerebri & nervorum per cauſas violentas externas, vulnera, contuſiones qvo referri poteſt diſtentio partium genitalium in primiparis.

2. Acrimoniæ variæ nervos irritantes uti variolofa, unde apud infantes non rarò convulſivi motus inſtante eruptione producuntur; retropulſa efflorefcentia cutanea variæ indolis ſcabioſa, herpetica, tineoſa, imo arthritica (vid. diar. 1783. Octbr. 5. 1784. Octbr. 3 & 1786. Februar. 3.) ad qvas cauſas irritantes etiam vermes referri posſunt (vid. diar, 1783. Junii. 5.) & retenta menſtrua (vid. diar. 1785. Jan. 5.)

3. Evacuationes notabiles, ſangvineæ præſertim, vel aliæ.

4. Senſibilitas enormis ſyſtematis nervoſi uti imprimis in morbo ſic dicto hyſterico, ob qvam qvæcunqve irritamenta ſive mentalia, ſive phyſica convulſiones provocare valent.

Cauſa proxima convulſionis haud melius qvam tetani cauſa explicari poteſt.

Diagnoſis e definitionibus exhibitis facile habetur, verum etiam cauſæ hujus morbi explorandæ ſunt, utpote juxta illas morbus dijudicandus & tractandus eſt.

Prognoſis:

1. Per ſe conſiderata convulſio vix ullum periculum involvit ſ. effectum vitæ nocuum non producit.

2. Qvoad cauſas præſertim dijudicandus eventus varius eſſe poteſt, benignus utplurimum exſpectandus, ni cerebrum ipſum irreparabili modo læſum ſit.

Curationis partes ſunt:

1. Nervorum diſpoſitionem ſ. mobilitatem nimiam, qvæ fere ſemper ad morbum convulſivum efficiendum concurrit, debellare remediis ſic dictis antiſpasmodicis; moſcus maxime laudandus eſt; grana illius qvatuor cum uncia pulveris refrigerantis mixta ad cochleare minus bihorio levioribus convulſionibus opponere ſoleo, in perti-

naciori morbo pulverem radicis valerianæ ſylveſtris ad dimidiam partem allato pulveri jungo; liqvor nervinus vel antiſpasticus, cum vel ſine eſſentia aſſæfoetidæ, qvandoqve profunt ad guttas 30 vel 40 bihorio circiter porrigendi; interdum oleum animale Dippelii ad guttas ſex bis indies reliqvis præſtantius eſt; clysma ex aſafoetida non omittendum eſt; convulſionibus parturientium opiata opponunt obſtetricantes. (Chorea St. Viti aliis fruſtra tentatis purgantibus, uti cremore tartari et pulvere radicis jalappæ ter indies porrectis ſanata eſt. In alia morbus pertinax aliis remediis non cedens, floribus zinci ad grana tria ter perdiem tollebatur).

2. Cauſas occaſionales ſ. irritamenta ſupra allata tollere per remedia illis congrua; ſi vermes in cauſa ſint, vermifuga, ſi acrimoniæ retropulſæ, balnea, veſicatoria, ſulphurea in uſum trahantur & combinentur cum ipſis laudatis antiſpasmodicis, (vid. diar. ſupra citata & 1785. Novbr. 4.), univerſalis convulſio, multis aliis fruſtra tentatis per decoctum corticis peruviani cum liqvore nervino atqve balneo frigido ſanabatur.

Hujus morbi ſpecies eſt *raphania* ſeu convulſio cerealis annis, qvibus meſſis humida fuit, occurrens, farinæ humidæ imputanda, ſeſe exſerens per crebrum ſenſum formicatorium in digitis extremitatum propagatum ad truncum et tunc ſæpe convulſiones inducentem, qvandoqve junc-

tum cum delirio, molesta cardiæ oppressione et interdum diarrhoea funesta, qvandoqve paroxysmus epilepticus vitam finit; cura perficitur depuratione primarum viarum sc. emetico, qvo citius, eo melius porrecto et dein rhabarbaro cum sale juncto.

GENUS IIItium.

EPILEPSIA

Est motus artuum violentus involuntarius cum ignorantia sui ipsius s. abolitione sensuum internorum & externorum junctus.

Differentia epilepsiæ triplex statui potest:

1. Epilepsia genuina, qvæ consistit in paroxysmis allato modo convulsivis, brevi durantibus, incerto tempore recurrentibus, qvæqve utriqve sexui æqve communis est, & apud personas extra paroxysmos optime valentes locum habet.

2. Epilepsia hysterica, qvæ personis hysteriam passis & patientibus adeoqve feminis proprie competit.

3. Epilepsia infantilis s. ecclampsia, qvæ infantibus supervenit, qvandoqve breviter durans qvandoqve ad plures dies protracta.

Symptomata epilepsiæ:

1. Modus invasionis vel subitaneus absqve notis prænunciis, qvalis in epilepsia genuina po-

tiſſimum adeſt, vel lentior cum ſignis inſtantis mali uti gravativo & vertiginoſo capitis ſtatu, ſomno profundiore vel inſomniis terrificis conjunctis, anxietate, cardialgia, palpitatione cordis, oſcitatione freqventi; datur etiam epilepſia initium habens a ſingulari ſenſatione formicatoria vel frigore membri cujusdam, qvæ venti inſtar, ideoqve aura epileptica dicta, e membris ad caput propagatur & tunc epilepſiam ipſam producit.

2. Senſationis omnis privatio, ita ut maximi ſtimuli, cauteria ipſa ſub paroxysmis epilepſiæ haud percipiantur.

3. Motus partium violenti involuntarii, omnis generis poſſibiles, communiſſimi ſunt artuum motus, lingva ſæpius extenditur & mordetur, oculi celerrime moventur; urina, alvus, imo ſemen excernuntur involuntariò; qvandoqve motus hi limitati ſunt; novi virum, qvi in circulum currebat, donec in terram procideret; alii recta via procurrunt, vel perverſa loqvuntur; clamores etiam, voces animalium referentes non rarò epilepſiæ paroxysmos comitantur; ſufficit ad eſſentiam epilepſiæ, motus tales inſciis ægrotis fieri; alia regula illis haud definita eſt.

4. Duratio paroxyſmi epileptici diverſa; genuina communiter brevior; hyſterica epilepſia diuturniores acceſſus habere poteſt, qvandoqve plurium horarum, ecclampſia etiam per plures dies protrahi valet.

5. Reliqviæ poſt paroxyſmum finitum ſunt langvor, ſtupor, imo ſomnus apoplecticus, qvandoqve aberratio nonnulla mentis, ſponte tranſeuntia.

Cauſæ antecedentes ſ. principia epilepſiæ ſunt:

1. Diſpoſitiones, nimirum hæreditarias, ætas infantilis & puerilis, ſexus ſeqvior, pasſio hyſterica, morbus ipſe prægreſſus.

2. Occaſiones ſ. irritamenta in cerebrum ipſum agentia, aut in nervos certarum partium, a qvibus mediante ſympathia motus irregularis toti ſyſtemati nervorum imprimitur, uti:

a) Animi affectus violenti, ira & terror præſertim ab aſpectu alterius epileptici; novi familiam ubi plures perſonæ tali modo communicativa epilepſia corripiebantur; idem in noſocomio mihi videre contigit, qvapropter epileptici meritò ab illo excluduntur.

b) Cerebri læſiones variæ, uti impresſiones cranii; extravaſationes variæ puris vel ſeri, indurationes ſubſtantiæ cerebralis, excreſcentiæ oſſeæ in ſuperficie interna cranii.

c) Irritamenta inteſtinalia imprimis vermes, acrimonia acida apud infantes, nimia copia ingeſti imprimis cibi, duri, rudioris; (exemplum epilepſiæ in diar. 1783. Maj. 8. hanc originem habuiſſe videtur.)

d) Acrimoniæ, qvæ e corpore eliminari solebant, retentæ & subitò in massam humorum atqve nervos retrogressæ & conversæ, uti efflorescentiæ cutaneæ, scabies, tinea, herpes, vel ulcera inveterata intempestive siccata & consolidata; etiam salivatione mercuriali per frigus subitò suppressa hunc surrexisse morbum observatum est.

e) Dolorosæ affectiones certarum corporis partium, uti dentitio infantum; etiam ex osficulis ad nervos coalitis epilepsiam produci potest.

f) Abusus potus spirituosi, sic inebriatio freqvens tandem epilepsiam progignere valet, junior ætas præsertim huic noxæ exposita est; medicus fui puellæ epilepticæ, cui morbus inductus erat a potu *Punch* dicto, anno ætatis, ni fallor, tertio largiori dosi ingesto.

Diagnosis:

1. Ipsius morbi, qvæ e definitionibus & descriptione supra exhibitis facile depromitur; qvandoqve simulatus est morbus, qvod, si suspectum sit, stimulis fortioribus imprimis ex igne, indeqve surgenti ægroti sensatione certum reddi potest.

2. Causarum, præsertim irritamenti epileptici per explorationem reliqvi epileptici status antecedentis & concomitantis acqvirenda est; cerebri vitium suspicari licet, si alias allatas causas detegere haud valeamus.

Prognosis:

1. Reverſio hujus morbi ſ. paroxyſmi epileptici ſemel aggresſi ſemper timenda eſt, & qvo crebior fuit reditus, eo major timoris cauſa; utplurimum certa regreſſus regula non datur; qvandoqve ſpontaneus eſſe videtur, ſæpius ex accedente qvodam inter allata irritamenta provocatus; dantur exempla illius recurſus regulariter periodici inſtar febris intermittentis (vid. diar. 1785. Junii 5. & 1783. Jul. 7.)

2. Effectus & eventus ſpontanei epilepſiæ, ſi freqventior & validior ſit, mentis facultates læſæ uti oblivio, fatuitas, nec non membrorum paralytica debilitas (vid. diar. 1783. Maj. 8.); qvandoqve per longam vitam durare poteſt, in ſenioribus tamen rareſcens, qvandoqve ſuperveniente apoente apoplexia in mortem terminatur.

3. Sanatio epileptici morbi in univerſum dubia cenſenda eſt, e qvalicunqve etiam cauſa ortum trahit.

4. Spes ſanationis haberi poteſt.

a) De epilepſia infantili ſ. eclampſia, ſæpius in adoleſcentem ætatem ſeſe haud extendit, etiam epilepſia puerili tempore orta qvandoqve circa annum pubertatis 15tum vel 16tum ſponte ceſſat.

b) De epilepſia hyſterica qvæ remediis qvidem raro, ſæpius ſponte & lapſu temporis ceſſat, qvod multiplex experientia me docuit.

c) De epilepſia ex animi pathemate originem habente, plures novi, qvi ob terrorem ex

altero epileptico ipſo hoc morbo correpti, & demum ſanati fuerunt.

d) De epilepſia ex aliis cauſis ſ. irritamentis, qvæ auferri poſſunt, uti retropulſa efflorefcentia cutanea, qvæ qvandoqve in ſalutem ægroti revocari poteſt, aut vermibus, ſi auxiliis congruis evacuari poſſint.

e) De epilepſia recentiori ſ. qvæ brevius duravit, anteqvam apta medela in uſum trahatur.

f) Si epileptico ſuperveniat febris qvartana, hac epilepſiam tolli jam docuit Hippocrates, taleqve exemplum unicum mihi ipſi obſervare contigit.

5. Nulla ſpes ſanationis adeſt, ſi morbus jam diu & per plures annos duraverit, ſi poſt ætatis annum ſupra notatum perſiſtat; ſi malum ſit hæreditarium, & ſi vitium aliqvod cerebrale ſuſpicari liceat.

Curatio epilepſiæ duplicem partem continet ſc. curationem ipſius paroxysmi & curationem prophylacticam in hoc morbo radicalem.

Paroxysmi epileptici curatio pro ſcopo habet ejusdem terminationem accelerare, & effectus noxios avertere; membra, qvantum potis eſt, in qviete tenenda ſunt, corpus durum, ut cochleare argenteum inter dentes ponendum, ne lingva mordeatur; ſi paroxysmus fortior ſit vel æger plethoricus, venæſectio ad præcavendam apoplexiam confert, qvandoqve aſperſio aqvæ frigidæ in faciem paroxysmum finit. Infans epilepſia vel

ecclampſia correptus in balneo tepido teneatur, epithema ſ. linteum aceto & aqva frigidis madefactum capiti diligenter imponatur; ſyrupus e manna vel dialthæa cujus unciæ grana qvatuor moſci appoſita ſunt, ad cochleare minus omni hora vel ſæpius, ſi poſſibile ſit, ingeratur, & continuante paroxysmo hirudines temporibus applicentur; cujusdam medelæ fauſtum effectum ſæpius obſervavi.

Prophylactica & principalis epilepſiæ curatio ad paroxysmos epilepticos avertendos & infringendos tendere debet; qvalem ſcopum duplice modo attingere conandum eſt.

1. Irritamenta ſ. cauſas epilepſiæ excitantes debellando & avertendo.

a) Animi affectus ira & terror, atqve occaſiones qvibus citari poſſunt, evitanda ſunt: qvinimo conveniret, novos animi affectus, qvibus alii paroxysmos epilepſiæ provocare ſoliti delentur, excitare; qvali modo Boerhavius olim pueros in orphanotrophio Harlemenſi ſanavit minando ferri igniti applicationem.

2. Calefacientia qvæcunqve tanqvam epilepticis noxia fugienda ſunt, uti potus caffe, ſpirituoſa, athmoſphaera calida, imprimis exhalatione plurium hominum referta, e contra frigus capitis admodum proficuum, qvalicunqve modo, etiam per linteum aqva frigida humectatum & capiti freqventer impoſitum promovendum.

3. Plenitudo ſangvinis bene reſpicienda & tempeſtiva venæſectione minuenda eſt, attamen in epilepſia hyſterica exceptio ab hac regula locum habet; & caveatur, ne congeſtio ad caput, qvæ ſpasmi effectus eſt, pro indicio plethoræ habeatur; vidi amauroſin inſanabilem ex venæſectione ter in tali caſu inſtituta.

4. Irritamenta abdominalia auxiliis congruis debellanda ſunt; ſaburra ventriculi ſuis indicata ſignis emeticum deſiderat, (puella ultra annum convulſionibus epilepticis afflicta et pluribus remediis fruſtra tractata a diætæ errore corripiebatur vomitu enormi et diarrhoea, et ex hoc tempore morbus ceſſabat); vermes anthelmintica imprimis aſam foetidam poſtulant, acrimonia acida apud infantes magneſia vel pulvere infantum oppugnari debet.

5. Aliæ cauſæ irritantes etiam auferendæ ſunt vel effectus earundum infringendus; ſi dentitio infantum ſupponatur, ſupra allata contra ecclampſiam commendata methodus tamen ſufficit, ni forſan ſyrupum diacodii ſimul applicare placeat; ſi cauſa irritans in extremitate qvadam corporis ſupponatur, e ligatura ſupra locum affectum inſtituta paroxyſmum præcaveri poſſe creditur. Ulcus artificiale, uti fonticulus vel inuſtio per moxam etiam conveniunt. (Tiſſot refert exemplum abſciſſi halucis, qvia ex illo ob osſiculum nervis adhærens provenit irritatio ad epilepſiam.)

2. Difpofitionem nervorum epilepticam, qvæ fc. præcipue ad epilepfiam generandum confpirat tollendo. Huic fcopo propria, fed pro dolor! nimis raro fufficientia remedia commendantur féqventia:

a) Oleum animale Dippelii ad guttas fex ante & poft meridiem fumendas, diu imo per plures menfes continuandum, hoc præftantius aliis remediis inveni five folum adhibitum, five apud feminas hyftericas vel male menftruatas cum adjunctis pilulis antihyftericis ad grana decem mane & vefpera.

b) Radicis valerianæ fylveftris pulvis vel folus ad drachmam dimidiam ter indies, vel ut mihi fæpius in ufu eft compofitus fc. pulveris refrigerantis uncia, radicis valerianæ uncia dimidia mofci orientalis grana qvatuor ad cochleare minus trihorio vel fæpius.

3. Flores zinci a grano fenfimqve dofi ad grana fex adaucta ter indies porrigendi, pluries hoc remedium absqve optato effectu, interdum cum aliquali fucceffu tentavi.

4. Folia aurantiorum vel forma pulveris ad drachmam dimidiam ter indies vel forma infufi, dum fc. foliorum manipulus unciis viginti aqvæ calidæ infunditur, qvalis dofis per diem confumenda eft, verum etiam illud, qvippe nec mihi nec aliis medicis manifeftam efficaciam monftravit, iterum obfoletum eft. De floribus gallii

lutei qvoqve ante aliqvot annos commendatis idem ferendum eſt jndicium.

5. Extractum hyoſcyami, qvod ad granum dimidium bis terve per diem ſumtum apud infantes cum fructu porrectum vidi.

Ex ſalibus metallicis, uti cupro amoniacali, ſaccharo ſaturni nullum effectum obſervavi, ſed ex hoc colicam demum funeſtam.

GENUS IVtum.

HYSTERIA

Eſt perturbatio motum & ſenſationum multiformis ſubito mutabilis, per intervalla ceſſans & facile recurrens.

Symptomata in hoc morbo posſibilia & ad animam & ad corpus, omnesqve fere hujus partes ſeſe extendunt ſc.

1. In capite dolor præſertim limitatus ad pollicis circiter magnitudinem vertici inhærens, clavus hyſtericus appellatus, alias vertigo, tinnitus aurium, obnubilatio viſus vel ſcintillis obverſantibus turbatus, odoratus ſublatus vel alienatus, imo apoplexia, qvam mihi ipſi ut effectum hyſteriæ obſervare haud contigit.

2. In collo faucium conſtrictio, vel qvaſi obturatio per corpus peregrinum cum deglutitio-

ne impedita vel difficili; etiam ſalivatio ſat larga jungi poteſt.

3. In pectore, ſtrictura ejusdem qvaſi a circumligato vinculo, reſpiratio difficilis, ſuſpirioſa, oſcitatio freqvens, palpitatio cordis, anxietas, vocis mutatio, riſus coactus, tusſis ſicca, moleſtisſima.

4. In ventriculo pyroſis, cardialgia, gaſtrodynia, nauſea, vomitus, eructatio, appetitus irregularis qvandoqve rerum inſolitarum, qvandoqve miro modo per longum tempus proſtratus absqve macie ægrotæ.

5. In regionibus hypochondriacis, potisſimum lienis dolor valde freqvens.

6. In canali inteſtinorum ſæpe enormis exſurgens dolor, ardor, expanſio notabilis tranſitoria, ſenſatio globuli ab imo ventre verſus fauces aſcendentis, diarrhoea, borborygmi ſonum notabilem ſæpe edentes.

7. In lumbis ſæpius dolor, in viis uriniferis, interdum fluxus urinæ impeditus ſc. v. renalis v. veſicalis iſchuria, utplurimum urina limpida, multa.

8. Nervorum in univerſum & ſtricte dicenda læſio atqve functio anomala multiplex, uti lipothymia, convulſio, tremor, catalepſis, ipſa epilepſia, teneritudo ſingularis in partibus qvibuscunqve antea ob ſymptomata hyſteriæ dolentibus ſuperſtes ac ſi fuſtibus inflictæ fuiſſent.

9. In extremitatibus varia præternaturalis

ſenſatio, formicatoria, arthritica; præſertim & ſæpisſime frigus crurum.

10. Animi ipſius læſiones permultæ, pathemata enormia imprimis ingrata, triſtitia, ira, timor, terror, rarius gaudium, tamen etiam in exceſſu, lachrymatio qvandoqve ſpontanea, interdum alienatio mentis ad inſaniam usqve.

11. Allata ſymptomata vix unqvam ſimultanea, verum alia & alia occurrunt, interdum ita diſparent, ut nil mali ægra ſentiat, aut qveratur.

Cauſæ antecedentes:

1. Diſpoſitio ſ. nervorum mobilitas; nimia ad ſentiendum nempe & agendum pronitas, cujus origo eſſe poteſt.

a) Teneritudo congenita & hæreditaria, pulchras in genere feminas, rubro & candido colore gaudentes, imprimis hyſteriæ ſubjectas obſervavi.

b) Educatio mollis ſub vita ſedentaria, otioſa, & imprimis nimia parentum indulgentia, qvibus occaſionibus animi pathemata ſibi ipſis relicta ad enormen & noxiam actionem diſponuntur.

c) Nervorum variis cauſis inducta debilitas, uti animi protractis deſideriis & moeroribus, evacuationibus nimiis, ſangvinis, alvinis, lactis mammarum, abortu crebro.

2. Irritamenta ſ. cauſæ excitantes uti:

a) Primarum viarum impuritates qvæcun-

qve, biliosæ, acidæ, verminosæ, pituitosæ, excrementitiæ.

b) Infarctus viscerum hepatis præsertim vel lienis, ut & uteri, ejusdem aut schirrositates, aut retentus menstruus fluxus.

e) Affectus animi violenti subitanei, terror, ira, indignatio; qvi non minus occasionales qvam prædisponentes causæ esse possunt.

d) Arthritica materia nervos ipsos jam ad hysteriam dispositos afficiens.

Causa proxima efficitur conspiratione dictarum disponentis sc. & occasionalium, unius vel plurium causarum; magis determinata explicatio nec possibilis & neqvidem praxi utilis esset.

Diagnostica hysteriæ signa sunt:

1. Symptomata ejusdem propria & constantiora uti frigus pedum, urina limpida, pulsus lentus, cardialgia, constrictio gulæ s. globus faucium.

2. Origo ejusdem & facilis reversio imprimis ex animi pathematibus et vaga symptomatum indoles.

Prognosis s. judicium de morbi eventu juxta illius durationem & causas ferendum est.

1. Recentior morbus, tempestiva medicina tractatus, non raro curabilis est.

2. Inveteratus difficiliorem & vix constan-

tem ſanationem admittit, &, pro tempore licet ſilens, datis occaſionibus facile recidivat.

3. E cauſis tranſitoriis ſi ortus ſit, uti impuritate primarum viarum, animi pathematibus, ſpei reſpondere poteſt eventus, cujus contrarium timendum eſt, ſi cauſæ non tollendæ, uti viſcerum ſchirroſitates & ſimilia in culpa ſint.

Curatio hyſteriæ perfici debet tollendo ejusdem cauſas, aut utramqve & diſponentem & occaſionalem aut ſaltem alterutram, ſi prius non poſſibile ſit.

Diſponens hyſteriæ cauſa ſ. nervorum nimia mobilitas duplici modo: ſedantibus & roborantibus remediis debellari poteſt.

Sedantia hyſteriæ remedia pertinent ad illius paroxyſmos jam præſentes mitigandos vel tollendos, atqve ſtupefacientis, emollientis & alterantis indolis eſſe poſſunt ſc.

1. Opium vel ipſum vel illius præparatum Laudanum liqvidum Sydenhami, præcipue utile in vomitu hyſterico vel dolore tali abdominis; guttæ illius qvinqve in aqva menthæ omni hora vel bihorio, donec levamen producatur, porrigi poſſunt, maxime antem convenit contra iſchuriam hyſtericam utriusqve generis, imprimis cum adjunctis qvinqve granis ſalis ſuccini volatilis, qvod propria experientia me docuit.

2. Camphora imprimis illius ſolutio in liqvore anodyno minerali; qvæ ſub nomine liqvo-

ris nervini nobis in ufu eft, & maxime cardialgiæ & doloribus artuum hyftericis convenit ad guttas triginta ter qvaterve aut fæpius exhibendus.

3. Affa foetida, illius drachmæ duæ in decocto avenæ folutæ & fub forma clyfmatis contra fortiorem colicam hyftericæ indolis citum levamen afferunt; pilulæ inde confectæ ad grana qvindecim bis terve indies fumtæ imprimis contra hyfteriam cum adjunctis vermibus qvadrant, effentia affæ foetidæ præfertim cum dimidia liqvoris nervini juncta ad guttas qvadraginta propinanda eft.

4. Volatilia alia, uti liqvor antifpafticus ad guttas 50 porrectus, naphta vitrioli, oleum Cajeput, ad guttas decem exhibenda, in cardialgiis & anxia oppreffione hyftericarum cum emolumento in ufum trahi poffunt.

5. Mofcus a grano uno ad qvatuor bihorio vel rarius fumtus contra tuffim & fingultum e caufa hyfterica vel nervofa non modo levatoriam fed curatoriam opem affert (vid. diar. 1785 Septbr. 3. & 1786. Octobr. 9.) Mofcus vel ejus loco, qvandoqve cum meliore effectu, caftoreum magnefiæ conjunctum contra qvoslibet fpafmos hyftericos optime convenit.

6. Extus in regione cardiæ facculi ex herbis aromaticis confecti in vino & aceto calidis imbuti contra vomitum & cardialgiam hyftericam

applicari poſſunt, etiam fruſtum panis ſecalini toſtum ſpiritu vini humectatum & pulvere nucis moſcatæ inſperſum huic ſcopo qvadrat. Emplaſtrum ex aſa foetida paratum merito commendatur.

7. Semicupia & pediluvia modice calida, qvatenus relaxantia, tenſis per morbum hyſtericum nervis prodeſſe poſſunt, maxime tamen conveniunt ſub impedito fluxu menſtruo.

Uſus dictorum perfectius determinari neqvit, mox enim aliud & aliud prodeſt, qvod modo tentamine ipſo & ſucceſſiva applicatione innoteſcere poteſt.

Roborantia contra hyſteriam remedia, qvibus nervi fortiores, minus mobiles & ſenſibiles, ideoqve minus ad ſymptomata hyſteriæ concipienda apti redduntur; præſertim conveniunt & applicari debent extra paroxyſmos hyſtericos ſc.

1. Cortex peruvianus forma pulveris, infuſi vinoſi, uti cum vino maderenſi, aut decocti, ſi alvus ad laxitatem prona ſit, ſive moleſta abdominis expanſio poſt cibos adſit, huic medicamini aptus eſt locus; caſtorei grana tria ſingulis doſibus roborantis talis medicaminis addita aliqvoties miram opem præſtiterunt.

2. Martialia diverſo modo applicando, qvandoqve limaturæ martis grana circiter qvinqve drachmæ dimidiæ corticis appoſita & ter indies adhibita impune & cum fructu ſumuntur, aqvæ

pyrmontanæ tempore æſtivo in uſum tractæ meliorem effectum producunt. Inter præcipua autem antihyſterica habeo pilulas aperientes cum marte ad grana decem bis terve indies, utpote qvæ & ſedante & roborante vi pollent, imprimis ſi alvus ſtrictior ſit, conveniunt & multiplici experientia comprobatæ ſunt. Mihi notum eſt exemplum talis affectionis abdominalis biennis ſanatum limatura martis ſaltem ad integram drachmam pani butyrato inſperſam omni mane ſumtam cum inſeqvente fortiori corporis motu; centum tamen tales pulveres ad integram reſtitutionem deſiderati erant.

3. Balnea frigida præſertim ex altiore loco illabentia (*Styrtebad,*); in morbo pertinaci cum adjunctis motibus convulſivis hoc auxilium qvadrat, & aliis fruſtra adhibitis juvat.

4. Diæta conveniens, corporis diligens excercitatio, alimenta roborantia, cibi ſolidiores, potus ex aqva frigida, cereviſia forti, vino rubro; abſtinentia a relaxantibus & debilitantibus uti potu multo tepido aqvoſo, potu caffe, juſculis carneis ſaltem notabili copia ingeſtis, acida & pingvia etiam hyſtericis noxia eſſe ſolent; aer ruralis ſiccus, haud calidus, qvoqve eligendus eſt; ſomnus multus & ſtragula lecti mollia nimis & calefacientia vitanda ſunt.

Altera pars curationis hyſteriæ ad occaſiones & irritamenta hujus morbi avertendas & tollendas tendere debet.

1. Impuritates inteſtinales, ſi ſub exploratione morbi ſuſpectæ reddantur, ante uſum alterius hyſterici remedii appropriata medela debellare opportet; ſi bilioſæ ſint, emeticum non timendum eſt, ſi alia ſaburra pituitoſa vel excrementitia, ex alvo diu ſegniore concludenda, pro cauſa affectus hyſterici ſupponatur, mihi potiſſimum profuit mixtura e ſalis mirabilis Glauberi unciis duabus ſolutis in aqvæ menthæ unciis octo cum adjuncta animæ rhei uncia, cujus cochlearia duo bihorio vel rarius per aliqvot dies qvandoqve cum interpoſito liqvore antiſpastico, donec ſufficiens juvamen & effectus producta ſint, exhibentur (vid. diar. 1784. Auguſt 3. præſertim 1785. Februar. 5. & 1786. Octobr. 6.); ſi vermes ſuſpicari licet, illis contraria auxilia præſcribere fas eſt, imprimis aſſam fœtidam utpote utriqve cauſæ & allatæ occaſionali & diſponenti convenientem.

2. Infarctus viſcerum & retentio fluxus menſtrui optime ſupra laudatis pilulis, non minus reſolventi qvam antihyſterica vi præditis, debellantur, in caſu poſteriore balnea tepida qvoqve commendari merentur.

3. Animi pathemata violenta, ingrata, tanqvam hyſtericis maxime damnoſa omni modo vitanda ſunt; labor utilis, continuus; proba & in-

dulgens amicitia, ratio & religio in auxilium vocentur; attamen datur violentus amor, hujus morbi causa, non nisi completione voti tollendus.

GENUS Vtum.

TUSSIS

Est violenta sonora thoracis concussio per alternativam atqve solito fortiorem exspirationem & inspirationem producta.

Divisio hujus morbi principio conformiter in plures species fieri debet.

Species Ima.

TUSSIS CATARRHALIS

Est tussis, qvæ mox post refrigerium susceptum & in genere manifestum ægris ipsis cognitum exsurgit, vel subito plures invadit, atqve ex cognita causa.

Symptomata sunt: tussis ipsa satis violenta, attamen haud adeo dolorifica, sputum initio tenuius aqvosum spumescens, dein crassius, mucosum, flavescens, interdum præcedunt vel junguntur coryza, raucedo.

Causæ remotæ observatæ sunt, 1. mutatio atmosphæræ imprimis calidioris in frigidam, vel

vice verſa, 2. incaleſcentis corporis, ejusdemqve partium, præſertim pedum perfrigeratio; 3. aeris conſtitutio vernalis vel epidemica certis annis præ aliis ſæviens & morbum hunc inducens.

Cauſa proxima vix probabilior ſtatui poteſt, qvam materia acris vaſis trachealibus adhærens, eademqve irritando mucum copioſiorem attrahens & naturæ niſum ſ. tuſſim ad noxiam materiem ejicendam provocans. Talis acrimonia & ex allata mutatione atmoſphæræ, qva larga trachealis perſpiratio ſubito retinetur, & e frigore aliarum partium, ad qvas pertinens perſpirabile ſuppreſſum verſus internas, imprimis ſimili officio fungentes partes convertitur, & demum e qvalitate acri & irritante ipſius aeris aſperam arteriam immediate tangentis & afficientis declarari & deduci poteſt.

Diagnoſis partim e cauſis ſc. origine a manifeſto refrigerio, vel indole epidemica, partim ex indole ipſius tuſſis gravi mox ab initio, qvo ſigno etiam a tuſſi phthiſica diſcerni poteſt, utpote hæc initio admodum mitis apparet.

Prognoſis

1. Proſper eventus utplurimum ſperandus eſt, morbiqve duratio vix ultra duas treſve hebdomades ſeſe extendens, etiamſi diuturnior in debilioribus, medelam tamen ſuſcipit.

2. Neglecta, omiſſis ſc. juvantibus, illisqve oppoſito regimine adhibito phthiſi præſertim in

perſonis ad hanc diſpoſitis hæc tuſſis anſam præbere valet.

Curatio tuſſis catarrhalis potius ipſius naturæ, qvam artis opus dici meretur; juxta ſapientes enim conſervationis regulas machinæ humanæ inditas irritamentum morbificum mucum, qvo involvitur, allicit, & motum tuſſientem, qvo ejicitur, provocat; ſalutaria hæc molimina promovere, & qvicqvid illis oppoſitum eſt, avertere, medicum opportet; ideo convenire videntur.

1. Aer modice calidus & abſtinentia a contrario frigido; hoc enim ſpisſior factus mucus evacuationi reſiſtit, morbumqve ideo ſaltem diuturniorem reddit, qvinimo e remora excernendi pejor effectus ſc. irritatio inflammationi anſam datura timeri poteſt.

2. Potus copioſus, ſubcalidus, mucilaginoſus, qvi materiem exhibet principio mucoſo, qvo ad morbum debellandum natura utitur; huc pertinent decoctum avenæ admodum crebra ſed parca doſi ſummendum, infuſum pectorale atqve lac calidum cum ſemine aniſi coctum; huic ſcopo etiam qvadrat linctus pectoralis ordinarius, qvatenus & involvens & vi ſcillæ modice irritante ſalutarem tusſim qvodammodo provocans, ad cochlearia duo minora ſæpius per diem ingeri poteſt; Elixir pectorale Ph. dan. ad guttas 60 ter die vel ſyrupus diacodii, qvi præſertim ad unciam dimidiam veſpere ſumtus optime contra tusſim moleſtam noc-

turnam convenit; in caſu pertinaciori juſculum ſecalinum jejuno ventriculo ſumendum; in raucedine catarrhali, ſine annexa febre, eſſentia pimpinellæ albæ, ad guttas octo cum ſaccharo vel ſyrupo althææ aliqvoties de die ſumta, commendari meretur.

3. Perſpirationem cutaneam præſertim, ſi ex illa impedita morbus ortum traxerit, promovere; pediluvia modice calida, pulvis temperans camphoratus veſpera vel bis indies ſumtus, calor lecti tali ſcopo conveniunt.

4. Vires naturæ ſuſtentare, qvod in diuturturniore morbo & debilibus, ſeneſcentibus, qvandoqve opus eſt. Decoctum corticis peruviani cum ſenega paratum ad unciam ter, qvaterve porrectum per diem votis reſpondere ſolet.

5. Attentum eſſe ad poſſibilem hujus tuſſis effectum, ſtatum puto inflammatorium pectoris, qvem ſedulo explorare, e dolore accedente ſixiore ſuſpicari atqve dignoſcere, & tempeſtiva medela antiphlogiſtica, pleuriticis congrua, tollere debemus.

Species IIda.

TUSSIS PITUITOSA s. HABITUALIS.

Eſt tuſſis chronica absqve cauſa externa proveniens cum expectoratione ſat larga mucoſa, & valetudine alias illæſa.

Originem illi præbent senium, sub qvo vasa peripheriæ forsan minori copia perspirabile emittunt, qvod ideo largius ad interiora deponitur; conversio materiæ cujusdam morbosæ imprimis arthriticæ ad vasa trachealia, & forsan singularis laxitas pulmonum, affluxum debito faciliorem reddens.

Diagnosis e spontanea origine, diuturnitate, pituitosa indole & sanitate ceterum bona depromitur.

Prognosis bona esse potest qvamdiu tussis hæc solito modo procedit; illa autem cessante noxia excernendi directio ad cavitates ipsas internas, indeqve exsurgens hydrops timeri possunt.

Curationis triplex est regula.

1. Nullam facere medicinam, qvamdiu tussis tolerabilis est cum expectoratione & euphoria solitis; relaxantia enim evacuationem enormem & debilitantem efficerent, stringentia & roborantia debitam & assvetam excretionem minuendo nocerent.

2. Expectorationem promovere, si infra modum impedita & retenta observaretur; relaxantia tunc & mucilaginosa supra ad tussim catarrhalem commendata convenirent, porro oleosa, kermes minerale ad granum bi v. trihorio cum saccharo vel linctui pectorali admixtum, solutio ammoniacalis ad unciam simili modo ingerenda.

3. Expectorationem limitare, ſi nimirum enormis videretur, debilitans & hectica, caute tunc roborantia in uſum trahi poſſunt, uti decoctum corticis peruviani ſimplex, vel cum ſenega ſi ſputum ſpiſſum obſervetur, vel cum rheo, ſi alvus ſegnior ſit.

Species III^tia.

TUSSIS STOMACHALIS.

Dicitur illa tuſſis, qvæ e ſaburra, acri, pituitoſa ventriculi, per conſenſum tuſſim excitante, originem trahere creditur.

Symptomata & ſigna illius ſint halitus malus oris, lingva alba, ſenſus titillationis in ſcrobiculo cordis, tusſim præcedens & annuncians, vomitus concomitans, levatorius; ætas infantilis & puerilis huic malo tantum ſubjecta.

Eventus morbi ſibi ipſi relicti vires ſenſim depaſcendo lethalis fieri poteſt, tempeſtiva autem & rita medela vix unqvam damnoſus.

Curatio convenientem irritamenti evacuationem præſertim deſiderat & dein debilitati ventriculi roborationem, qvibus ſcopis apta ſunt.

1. Emetica, uti ſolutio tartari emetici, vel grana qvædam radicis ipecacuannhæ qvoad doſin ætati congrua, triduoqve qvovis repetenda, donec notabile morbi decrementum productum fuerit.

2. Laxantia, uti pulvis infantum cum rheo vel ſyrupus de rheo aut e manna laxativus diebus a vomitu liberis ad modicam alvi ſubductionem porrigendus.

3. Decoctum vel infuſum corticis peruviani ſub finem hujus morbi ad cochleare majus ter qvaterve indies ſumendum; etiam mihi proficua apparuit extracti corticis peruviani drachma ſoluta in aqva aniſi ſesqvi uncia cum appoſita liqvoris anodini mineralis drachma ad guttas triginta vel plures ter indies exhibitas.

Species IV^ta.

PERTUSSIS s. TUSSIS CONVULSIVA.

Eſt tusſis violenta, epidemica, contagioſa.

Symptomata & decurſus hujus morbi.

1. Initium illius tolerabile, tusſis catarrhalis ſpeciem præ ſe ferens, ſenſim intra duas tresve ſeptimanas ingraveſcens.

2. Progreſſus morbi ſ. propria & eſſentialis forma componitur accesſibus, irregulari tempore, pluries nycthemero, imprimis noctu recurrentibus; cujuslibet acceſſus ſignum prænuntium in genere eſt titillatio faucium vel pectoris, illi mox ſuccedit tusſis admodum crebra, violenta, ſonum ſingularem ſpecificum, vix deſcribendum, cantui galli haud disſimilem ſecum ducens, tumet interea

& livefcit facies, oculi protuberant & rubefcunt, & nares qvandoqve fangvinem fundunt, atqve paroxyfmus demum vel expectoratione qvadam vel vomitu finitur.

3. Accidentalia: uti motus febriles, qvorum tertianum typum nonnulli ftatuunt, ipfe haud obfervavi, oppresfio molefta pectoris qvinimo illius ftatus inflammatorius, expectoratum initio tenuius, fenfim fpisfius, flavefcens, qvandeqve aliqvali fangvine tinctum.

4. Duratio morbi haud infra menfem, alias ad tres menfes & ulterius extendi folet; vulgo creditur, novem feptimanas ad incrementum & novem ad decrementum morbi reqviri, qvod experientiæ tamen haud omnino refpondet.

Caufæ remotæ funt.

1. Difponens: fc. morbus antea non habitus, femel enim devictus nunqvam, variolarum adinftar, recurrit; nec non ætas infantilis & puerilis, qvæ præ adultioribus huic malo multo magis fubjecta eft.

2. Occafionalis & efficiens nempe certa aeris nociva qvalitas, ideoqve in omnes influens f. epidemica, nec non, uti certa exempla docent, ab ægrotis ad fanos propaganda f. contagiofa.

Caufa proxima fine dubio eft fingularis acrimonia atmofphæræ adhærens & per infpirationem muco tracheali communicata, ibidemqve irritando violentos tusfis motus provocans; vix alteri

causæ qvam consvetudini adscribi potest, qvod hæc materia nociva non plus qvam simplice vice effectum morbosum producat.

Diagnosis partim ex epidemica indole, partim ex accessibus ipsis imprimis sono illis adjuncto specifico depromitur, hic enim semel auditus semper cognoscibilis est.

Prognosis

1. Probabilis & juxta experientiam freqventior est benignns hujus morbi eventus, imprimis sperandus:

a) Sub ætate ægroti duos annos superante.

b) Remanentibus extra paroxysmos vigore, appetitu, somno aliqvatenus naturalibus.

c) Expectoratione mediocri sese exserente nec parca nimis, nec admodum copiosa; sangvis intermixtus, & puriformis indolis sputi per se nil mali portendunt.

2. Possibilis & rarior morbi exitus in mortem observatur vel mediante apoplexia, lethargo hydrocephalico, vel suffocatione, vel inflammatione pulmonum, & phthisi, qvalia præsertim timenda sunt.

a) Tempore infantili eò magis periculoso qvo biennio inferius est.

b) Apud debiliores & e parentibus pthisicis natos.

c) Compræsentibus febre continuante, atqve dyspnoea molesta extra paroxysmos, aut ma-

gis declarata & manifesta inflammatoria affectione pectoris.

Curatio tussis nostræ ad irritamentum ejiciendum, violentos inde citatos pectoris spasmos, lapsu temporis forsan idiopathicos s. consvetudinarios compescendos, atqve demum alios magis accidentales & periculosos effectus tollendos tendens rationi convenit, & ipsa experientia comprobatur.

1. Ejectio materiæ morbificæ promovenda est emeticis, qvorum actione mucus faucium & ipsius tracheæ melius qvam alio modo solvitur & excutitur; hæc arte facta excretio potissimum necessaria videtur infantibus, qvi tussi salutari materiam ejicere nesciunt; ad emesin citandam æqvo jure inservire possunt & tartarus emeticus, & radix ipecacuannhæ ad dosin ætati congruam; applicationem hujus remedii initium morbi desiderat, repetitio alternis vel qvarto qvovis die facienda est, & qvidem pluries, donec morbi notabile decrementum productum fuerit.

2. Spasmodica hujus tussis indoles, qvippe qvæ enormitatem valde molestam periculo plenam & vix tamen utilem continet, remediis antispasmodicis debellanda est; emesi supra allato modo qvater vel qvinqvies instituta, horum usus fieri potest, & qvidem, si, qvod non raro reqviritur, sæpius emeticum præbeatur, diebus a vomitu liberis continuari; sub progressu morbi s. eo-

dem jam aliqvot hebdomades protracto meliorem effectum præstant antispasmodica, qvam si prius exhibeantur; juxta meam experientiam ceteris palma dignior est moscus ad granum aut grana duo bihorio porrigendus; pulvis pectoralis antispasticus ad cochleare minus ter die sumtus etiam convenit; nullum autem manifestum emolumentum vidi ex inunctione cardiæ cum tartaro emetico axungiæ admixto, sed e contra ulcera molesta diuturnia, imo excrescentias inde ortas. Vehementia morbi mitigatur interdum inunctione pectoris cum oleo tepido. Declinanti, diuqve protracto morbo etiam multi opponunt corticem peruvianum, qvi formâ decocti potissimum huic casui convenit, sic ex decocto chinæ cum senega et syrupo diacodii vel solo vel alternatim cum moscho, cæteris frustra tentatis, optimum effectum observavi. Ex assafoetida et cicuta temporarium levamen vidi, vix autem a floribus zinci.

3. Accidentalis hujus tussis morbosus effectus, qvalis potissimum est status pectoris inflammatorius, suis dignoscendus signis, nimirum febre notabili, oppressione molesta vel fixo dolore punctorio medelam pneumoniæ convenientem desiderat, phlebotomiam pro necessitate repetendam, emulsionem camphoratam cum mosco, & vesicatorium magnum antico pectori applicandum.

4. Diæta adaptata exigit nutrimenta blan-

da digeſtu facilia, abſtinentiam a ſalitis, & acidis, nec non ab aere frigidiore, cujus irritamentum pulmones jam affectos facile læderet & inflammationi exponeret.

Datur etiam alia tuſſis ſpasmodica dicenda ſcilicet violenta utplurimum ſicca, qvandoqve catarrhali affectioni adjuncta, præſertim infantes, fæminas teneras et hyſtericas invadens, qvæ interdum emeticum deſiderat, alias moſcho, aſſafoetida inprimis autem floribus zinci ad granum vel grana duo bihorio porrectis juvanda: nec raro opiata requiruntur, ſic pulvis ex opii et ipecacoannhæ grano compoſitus omni veſpere imo ſæpius per diem porrectus talem tuſſem, per plures hebdomades graviſſimam, nec aliis remediis cedentem ſanavit.

Species VIa.

TUSSIS SYMPTOMATICA.

Eſt tuſſis, qvæ merus eſt effectus alterius compræſentis morbi; uti tuſſis arthritica, rheumatica, phthiſica, hyſterica ſ. nervoſa, hydrothoracica, hepatica &c., qvales omnes juxta morbum, unde dependent, dijudicari & tractari debent. Huc referri poteſt tuſſis é retrogreſſis efflorefcentiis cutaneis imprimis ſcabie, cujus medicatio ad cutem per ſulphurea & balnea tepida revocando

malum promovebitur, & ulterius, dum infra de ſcabie agimus, memoranda venit.

ORDO IIItius.

PARANOIA s. INSANIA.

Eſt manifeſta, involuntaria aberratio functionis cujusdam mentalis.

Functiones mentales ſ. qvas mens proprio ſenſu operari habetur, ſunt judicium, affectus, & recordatio. Qvi hos actus, eorumqve unum vel plures ratione inſolita, ſ. ſenſui, ut dicunt, communi oppoſita, involuntario, ideſt: erroris proprii non conſcius exſerit, inſania laborat.

Diviſio hujus ordinis ratione functionis, qvæ læditur & modi, qvo læditur, in ſeqventia fieri poteſt genera, Melancholiam, Maniam, Amentiam, Amneſiam & Hydrophobiam.

GENUS Imum.

MELANCHOLIA.

Eſt pertinax animi applicatio ad unum objectum cum judicio circa illud erroneo, & pathemate enormi.

Specialis divifio, rectius accidentalis differentia hujus morbi confiftit in varietate objecti, qvod falfo dijudicat, cuiqve inhæret anima, uti amor, religio, fufpicio, divitiæ paupertas, honor, ignominia, morbus &c. circa qvem ultimum verfans melancholia hypochondriaca f. hypochondriafis appellari meretur; ex omnibus hifce fingulares melancholiæ fpecies formare, uti nonnullis auctoribus placuit, prolixitatem praxi medicæ inutilem & moleftam creat.

Symptomata melancholiæ.

1. Unius objecti & rerum ad illud proxime pertinentium conftans cogitatio & meditatio; vel de illo tantum loqvuntur, vel qvoqve prorfus taciturni obfervantur melancholici.

2. Judicium de tali objecto erroneum, qvoad cætera illæfum; varius hujus erroris eft gradus, minor, qvi qvantitatem, major, qvi qvalitatem f. naturam objecti falfo dijudicat, minor eft melancholicus falutem defperans, qvam fefe jam condemnatum credens; fuerunt melancholici, qvi fefe pecudes & jam demortuos, deum, imperatores, reginasve habuerunt, talis melancholiæ gradus maximus eft, univerfali infaniæ f. maniæ proximus.

3. Pathema animi objecto melancholiæ adhærens enorme, communiffimum triftitia vel metus eft, rarius gaudium illis nimirum, qvi fibi magnas divitias, honores principum vel perfectio-

nes divinas tribuunt, pathema hoc objectionibus contra falſam ideam exaſperatur, non minuitur.

4. Tædium & incuria aliarum omnium rerum & functionum, qvæ ad objectum melancholiæ non pertinent, hinc ſolitudinis amor, fuga hominum, vita deſidioſa & revera ad utilia opera peragenda inepta; conſpirante triſtitia hoc tædium illum gradum qvandoqve attingit, ut ſibi ipſis mortem inferre tentent melancholici.

5. Inqvietudo animi ſingularis plurimos melancholicos ad motum fere continuum, qvi tamen certum ſcopum haud intendit, pellens, aut manibus aut pedibus agitur melancholicus; hypochondriacus & medicos & alios indeſinenti narratione ſymptomatum affligit.

6. Mala corporea ſæpius nulla melancholicus incuſat, qvandoqve multa vel omnia, fallitur autem medicus talibus qverelis fidem habens.

Cauſæ remotæ melancholiæ duplicis generis ſunt.

1. Diſponentes ut, a) labes hæreditaria a parentibus ad natos propagata, (mihi nota eſt talis familia nobilis, ubi & mater & plures puerorum hoc malo affligebantur.) b) Temperamentum ſic dictum melancholicum ſc. fibris rigidioribus & capillis nigris donatum.

2. Efficientes & occaſionales.

a) Animi pathemata immoderata, uti terror ingens, ſubitaneus, ira, amor inſanus, ambitio

honorum & dignitatum immodica; ſpes fruſtrata; deſiderium enorme, ut patriæ, unde melancholia, qvæ noſtalgiæ nomine inſignitur, vel nuptiarum, vel infantum; moeror ex infortunio irreparabili, vel metus præſertim ob commiſſa peccata; ex omnibus fere iſtis cauſis ortam melancholiam ipſe obſervavi.

b) Otium ſ. defectus occupationis præſertim differentis & adurgentis, qva anima modo aliqvatenus neceſſario ad varias ideas cogitur, itaqve ab unius meditatione diuturniore impeditur, qvaqve deficiente contrarius ſurgit effectus.

c) Voluntaria & protracta animi applicatio ad objectum aliqvod injucundum, vi cujus coacta ſenſim pronaſcitur & maturatur melancholica pronitas.

d) Status corporis morboſus potius cauſa adjuvans, qvam efficiens habendus, uti obſtructio ſoliti ſangviſluxus hæmorrhoidalis vel menſtrui, dyſpepſia, nervorum debilitatio morbo qvodam inducta, plethora &c. (qvidam per aliqvot annos ſe prophetam eliam credidit et in litteris editis ſubſcripſit; in defuncti cerebro inveniebatur abceſſus.)

Cauſa proxima ſ. læſio ipſa melancholicos actus producens num mentalis? num corporea? num utraqve poſſibilis? & qvalis? hiſce qvæſtionibus probabilis reſponſio ob conditam & animæ

& cerebri naturam excogitari neqvit, & vix illa medico practico prodesset.

Diagnosis ipsius melancholiæ e definitione ejusdem & symptomatibus allatis per se sat manifestis facile eruitur. Diagnosis causarum remotarum tam mentalium qvam physicarum ad praxin utilis habenda, & exploratione antecedentis & præsentis ægroti status acqvirenda est.

Prognosis.

1. Incertus in universum est omnis melancholiæ eventus, haud tamen funestus, qvandoqve in maniam factus.

2. Facilius sanatur recentior morbus ad summum gradum nondum provectus, e vitio corporis sanabili qvodammodo dependens, vel ex animi pathematibus, qvibus satisfieri potest; qvandoqve lapsu temporis deletur, obscurior redditur & vim perdit melancholica idea, qvandoqve apta adminicula curam accelerunt.

3. Minus & vix curabilis censendus est morbus inveteratus, increscens, maximum gradum habens, ex ira, ambitione, irreparabili infortunio ortum trahens.

Curatio melancholiæ promovenda est.

1. Mentalibus auxiliis, qvibus

a) Pathema animi, morbi causa, tollitur, qvalis est desiderii, si potis sit, expletio, amanti optata puella, nostalgico patria concedenda esset,

(novi feminam defiderio infantum melancholicam redditam, poft partum fanatam.)

b) Pathema morbificum turbatur, & diffipatur, cui fcopo convenit, novas, plures, valide agentes ideas ægrotis communicare, uti per colloqvia amicorum jucunda, muficam, motus corporis varios, peregrinationes, nec incongruum effet, vehementis citare affectus animi a melancholiæ objecto alienos; novi matronam, qvæ aliqvoties paffa fuerat melancholiam nullis remediis cedentem, fed femper cafu qvodam inopinato f. grato, f. ingrato animum fortiter movente abactam; (fimilis curationis notabile exemplum exhibet diar. 1784. Maj. 4.)

2. Corporeis f. phyficis remediis.

a) Cuicunqve morbofo ftatui in melancholicis præfenti & rita exploratione detecto accomodatis, impuritates primarum viarum, fegnities alvi, hyfteria, hæmorrhoides, obftructio vifcerum, fuppreffio menftruorum, plethora inqviri, fuis fignis cognofci, aptaqve medela debellari debent.

b) Specificis, fi talia dentur; qvibusdam profuit fpiritus lavendularum compofitus cum dimidia parte balfami vitæ Hofmanni ad guttas qvadraginta ter die fumtus unacum thea carminativa.

GENUS II^dum.

MANIA.

Eſt inſania univerſalis, non febrilis, cum vehementi, & pertinaci pathemate animi & audaci niſu nocendi imprimis illis, qvi voluntati horum ægrotorum obſtant.

Symptomata.

1. Judicium erroneum circa omnia vel ſaltem plura objecta; erroris hujus eſt varius gradus; qvidam ſub omni ſermone illum exſerunt, alii per intervalla & qvoad nonnulla objecta ſana loqvuntur, omnes vero attentione carent & ſub protracto colloqvio inſaniunt. Melancholicus nimia ſaltem circa ſuum objectum, maniacus nulla & circa nullum objectum attentione gaudet, & hoc diſcrimine & extenſione erroris illi inſanientes a ſe invicem diſtingvuntur.

2. Pathemata animi vehementia, pertinacia, qvandoqve ſceleſto modo celata, ad actus omnigenos ſcopo utili deſtitutos, utplurimum noxios, nitentia ſumma vi, nec ratiociniis, nec perſvaſionibus ullis coercenda. Hinc clamant miſeri, vel continuo musſitant; ſibi ipſis relicti ab uno ad alterum locum circumvagantur, veſtes dilacerant, obviosqve percutiunt.

3. Inſenſibilitas ſingularis, & robur impune patiendi ſumma & ſanis fere funeſta diætæ vitia,

uti diuturnum & intensissimum frigus, abstinentiam a cibo & potu, insomniam, retentionem excretionum; (novi talem, qvi septem diebus prorsus nil ingessit, eodemqve tempore nec dormivit, nec urinam, alvumve exoneravit.)

Causæ remotæ.

1. Disponentes similes illis, qvæ de melancholicis allatæ sunt.

2. Efficientes & occasionales.

a) Melancholia ad summum gradum perducta.

b) Pathemata animi vehementia, imprimis opposita sibi succedentia; uti summe ambitiosi contemtus & humiliatio, suspicio apud perdite amantes; lætis superveniens notabilis tristitia & vice versa.

c) Materia qvædam peregrina & morbosa ad encephalum translata. Puerperas mania correptas aliqvoties observavi, qvod forsan lacti ad cerebrum deposito imputandum est; etiam ut seqvela febris scarlatinæ mihi occurrit, in alio tinea capitis siccata supervenit & hac reversa cessavit. Huc referri potest abusus potus spirituosi, non rara maniæ causa, onanismus, tandemqve venenatæ plantæ, ut semina hyoscyami, stramonii, belladonnæ & similia, qvæ effluviis acribus cerebrum irritando maniam producere videntur.

Causa proxima s. læsio ipsius cerebri sub hoc

morbo non minus occulta, qvam melancholiæ caufa cenferi debet.

Diagnofis e definitione & fymptomatibus manifefta eft, itaqve facilis, ut etiam vulgus maniacum mox dignofcere valeat.

Prognofis

1. In univerfum maniæ fanatio incerta & difficilis eft, in multis perennis nunqvam definens, qvandoqve periodicus f. per intervalla rediens, atqve recidivantis naturæ, tefte experientia, judicandus eft hic morbus.

2. Spem fanationis dant recentior morbus, ejusdem fubitanea invafio, & origo aut ex aliis prægresfis morbis, aut e pathematibus, qvæ tolli vel expleri posfunt.

3. Metum immedicabilis mali faciunt diuturnitas, origo a melancholia protracta, & a pathematibus, de qvibus fatis faciendis nulla fpes ægrotis fupereft, aut communicari poteft, ad qvæ amor, fufpicio & ambitio imprimis referri posfunt.

4. Mors rarus qvidem maniæ eventus præfertim locum habere poteft, fi morbus e materia nociva ad cerebrum depofita, vel ex abufu potus fpirituofi ortum traxerit; convultio hunc terminum prænunciat.

Curatio maniæ reqvirit.

1. Moralia adminicula ad mentem fedandam, ejusdemqve actus effrenos & noxios domandos & impediendos.

a) Pacans & mitior methodus initio ſaltem tentanda eſt, intervallis, qvæ ſæpe dantur, lucidis adhibenda, amica nempe converſatio & qvantum potis eſt, obtemperatio; a multis autem verbis & protractis colloqviis, & contradictionibus, utpote qvibus maniaci adhuc magis incitantur, abſtinendum eſt; pathematis, qvod morbum induxit, objectum tollere optimam facit medicinam, (novi virum, qvi reprehenſione magni præpoſiti ex inſtanti maniacus reddebatur, & crebris recuperatæ clementiæ nuntiis ſenſim & prorſus reſtituebatur.)

b) Severior & qvodammodo violenta tractatio ſæpius opus eſt ſc. minatio, incluſio, ligatio, qvibus furibundi a noxa ſibi ipſis & aliis inferenda impediri poſſunt. Huic ſcopo optime qvadrant thoraces, ita parati et appliciti, ut brachia in certo ſitu ſtringantur et ad nocendum moveri neqveant.

2. Phyſica auxilia duplici ſcopo ſc. virium robori & congeſtioni ſangvinis ad caput, qvæ utraqve in maniacis normam debitam excedunt, diminuendis conformanda.

a) Robur nimium frangitur 1) ſangvinis misſione varia, larga, ſecundum gradum virium repetenda, atqve per phlebotomiam ad lipothymiam usqve inprimis ſub morbo ſubito invadente; hirudines temporales, cucurbitas cruentas in dorſo efficienda, 2) per cathartica fortiora, jalappina, aloetica, ſalina, crebro ingerenda, 3) per medicamenta antiphlogiſtica ſ. temperantia, nitri lar-

gam copiam, acida vegetabilia, imprimis acetum vini ad unciam unam alteramve qvotidie ſumendum; et ubi inflammatio phrenitica lenta partim ex cauſis prægresſis partim ex ſtatu febrili timenda eſt, mixturam camphoratam acidam cum moſcho utilem inveni, 4) per diætam parce nutrientem e vegetabilibus imprimis cibis potuqve multo aqvoſo frigidiori, qvem ut eo magis appetant ægroti, alimenta ſalita, uti haleces tales ſvadentur.

b) Congeſtio ſangvinis ad caput debellatur, 1. derivantibus variis uti pediluviis, veſicatoriis amplis vel artubus vel medio dorſo integro applicandis, præſertim ne ſtimulo nocerent, poſt factas ſupra memoratas depletiones congruis, 2. repellentibus frigidis capiti imprimis deraſo admotis, uti epithemate tali ſ. linteo aqva frigida vel ſimul aceto impræegnato & freqventer impoſito, vel effuſione larga aqvæ frigidæ per aptam machinam effecta.

c) Ad ſommum, qvo hi ægri interdum carent, producendum, opium modo convenire poteſt, ſi morbus ſubito ortus eſt ex animi pathemate et tunc poſt largam ſangvinis evacuationem, ad granum vel dimidium cum pulveris refrigerantis ſcrupulo junctum; alias largior moſchi doſis opii vices in hoc morbo tutius ſupplet.

Juvenis maniacus, omnibus fruſtra adhibitis, cauſa morbi ſcilicet onanismo tandem detecta,

intra paucas hebdomades prorſus reſtitutus eſt, manibus nempe thoracis ope ita ligatis, ut illas ad dictum vitium adhibere neqviret, et freqvent genitalium lavatione cum aqva ſaturni.

GENUS IIItium.

AMENTIA s. FATUITAS.

Eſt inſania univerſalis cum defectu attentionis & pathematis.

Symptomata

1. Judicatio aut erronea ſaltem qvoad plurima objecta, aut nulla; dantur fatui nunqvam loqventes, omnes paucis utuntur verbis, qvæ raro ſenſui communi conveniunt, eodem modo comparati ſunt illorum actus ſ. corporis motus adeo qvandoqve abſurdi, ut riſum moveant.

2. Attendendi impotentia notabilis vel plenaria; interrogata vix audire videntur & raro ad illa reſpondent fatui, atqve factorum inſcii & immemores reperiuntur.

3. Pathematis, nec utilis, nec noxii ullum apud fatuos eſt veſtigium, nec pavent, nec moerent, nec curam ullius rei agunt, nec iraſcuntur, nec appetunt niſi cibos & potus.

Cauſa proxima amentiæ videtur eſſe ineptitudo illius encephali partis, qvæ ad operationes

mentales confpirabit, hanc functionem abfolvendi & fufcipiendi; vitia phyfica, qvibus culpa verti poteft, funt laxitas, rigiditas, compresfio varia.

Diagnofis facillime e definitione eruitur.

Caufæ remotæ, qvibus prognofis & curatio conformandæ funt.

1. Senium, e qva caufa fatui repuerafcere dicuntur, & nullam medelam admittunt.

2. Epilepfia & melancholia prægreffa, in qvo cafu malum protractum etiam immedicabile cenfendum eft.

3. Onanifmus, qvalis originis exempla aliqvot mihi obvia fuerunt, incurabilia reperta.

4. Abufus potus fpirituofi, unde orti morbi dubius eft eventus; abftinentia a tali potu, camphorata, veficatoria & fetaceum non nimis inveteratum malum juvare poffunt, qvod propria experientia didici.

5. Febris putridæ magnus gradus prægresfus, cujus plures vidi cafus, veficatorio in nucha, lapfuqve temporis juvatos; liqvor nervinus & acetum vini aliqvoties per diem fumta etiam proficua apparuerunt.

6. Frigus enorme hyemale; tres puellas ex hac caufa per qvatuordecim dies fatuas Bartholinus curavit pelle vervecina calente fingulis caput obvolvendo.

7. Mechanica encephali læfio f. compresfio per extravafata varia, tumores, malamve cranii

conformationem, qvorum aliqvod ſub inveterato morbo, & ſi aliæ memoratæ cauſæ non præſto ſint, ſuſpicari & pro incurabili declarare licet.

GENUS IVtum.

AMNESIA.

Eſt memoriæ abolitio ſ. imminutio notabilis vel impotentia facta, modo ſanorum, ut facta recognoſcendi.

Origo hujus defectus, juxta qvam ille dijudicandus & tractandus eſt, varia obſervata fuit, ſc.

1. Veneris abuſus, imprimis manuſtupratio; abſtinentia ab hoc vitio, diæta nutriens, imprimis potus chocolade, confortantia, ut cortex, balneatio frigida conveniunt & qvandoqve juvant.

2. Moeror & ſtudia intenſiora protracta, feliciora tempora, animiqve qvies & relaxatio, ut in nonnullis expertus fui, non raro reſtituunt.

5. Apoplexiæ vel epilepſiæ inſultus, unde qvandoqve orta amneſia, paralyticæ indolis cenſenda, interdum ſponte ceſſat, alias remedia interna contra paralyſin commendata reqvirit.

4. Ætas ſenilis interdum oblivionem ſecum ducens imprimis in illis, qvi vitam degerunt otioſam & voluptuoſam; vix ulla medicina juvandus eſt talis cauſæ effectus.

5. Febris putridæ vel malignæ prægreſſæ notabilis gradus, in qvo caſu infirmitas memoriæ dependet e fracta vi nervorum in univerſum, atqve hujus reſtitutione lapſu temporis & roborantibus remediis effecta ſanatur.

GENUS Vtum.

HYDROPHOBIA.

Eſt inſignis potulentorum omnium averſatio cum vel ſine delirio.

Cauſa antecedens eſt contagium animalis rabidi, utplurimum canis, per ſalivam ejusdem, morſu vel linctu ad hominem communicatum.

Symptomata & progreſſus morbi.

1. Poſt factam infectionem elabitur aliqvod tempus, qvo nil mali ſentitur, vulnusqve morſu inflictum prorſus conſolidatur; ſi vulnus factum ſit in facie, vel per linctum contagium ſalivæ immediate communicatum ſit, poſt paucos dies morbus ſeſe exſerit, ſi vero alia pars corporis ſedes infectionis fuerit, plus qvam menſis ſpatium ante morbi evolutionem præterire ſolet; Hafniæ ante plures annos qvodammodo graſſatus hic morbus ſemper ſex a ſuſcepto contagio exactis ſeptimanis effectus ſuos prodidit.

(27)

2. Morbi incipientis ſymptomata ſunt languor, moeror, cibi potusqve negligentia, anginæ levior gradus cum deglutitione recuſata.

3. Progreſſus morbi citus cum averſatione & timore liqvidorum tanti gradus, ut illa vel res illis ſimiles ſolo adſpectu ægros afficiant & inqvietos reddant, & ſalivæ continua exſcreatione, furore qvandoqve & prurigine mordendi; plurimi devotas preces ad deum fundunt & amicos monent, ut a morſu & ſputo ſibi caveant.

4. Terminatio morbi communis ſub convulſionibus funeſtis perficitur, ſæpius intra unum alterumve diem, qvandoqve ad plures dies extenditur.

Diagnoſis e definitione, cauſa prægreſſa, deſcriptis ſymptomatibus ſponte fluit.

Prognoſis: qvoad præſentem morbum nullum curationis exemplum habemus; timendum vero ob ſuſceptum contagium avertiſſe & avertere poſſe creditur mox memoranda methodus.

Curatio ideo tantum prophylactica, qvam primum ſuſpicio infectionis adeſt, inſtitui debet & qvidem duplice via.

1. Vulnus morſu factum incidendum, imo pars morſa excidenda eſt, ejusdemqve dein ſuppuratio digeſtivis, uti ungvento cantharidum, ophthalmico rubro promovenda, qvod nunqvam omitti debet.

2. Mercurius qvoqve mox in ufum trahendus eft, balneum tepidum qvotidie ingrediatur æger, & mox drachma ungventi neapolitani inungatur, qvalis medicinæ per qvindecim vel viginti dies repetitio fieri debet, indeqve modica citari falivatio.

CLASSIS IVta.

MORBI EXCRETIONUM.

Sunt morbi, qvorum præcipuum fymptoma eft vitium excretionis.

Divifio hujus claffis me judice commodiffime in tres difpefcitur ordines fc. 1. Sangvifluxus vitiatos. 2. Alvifluxus præternaturales. 3. Serifluxus morbofos.

ORDO Imus.

MORBI SANGVIFLUXUS.

Comprehendit hic ordo morbos, qvorum principale fymptoma eft fangvinis excretio contra normam naturæ aut procedens aut retenta, qvo feqventia genera referri poffunt.

1. Hæmorrhagia f. fangvifluxus nimius in univerfum.

2. Suppreſſio fluxus menſtrui.
3. Hæmorrhoidalis affectio.

GENUS I^mum.

HAEMORRHAGIA.

Eſt profluvium ſangvinis e qvalicunqve corporis parte aliud vel largius, qvam, qvod ſecundum ſanitatis regulas fieri debet.

Symptomata & effectus hæmorrhagiæ in genere.

1. In fluidis.

a) Diminutio maſſæ humorum imprimis ipſius ſangvinis rubri, qvi immediate per hæmorrhagiam anfertur, e cujus defectu, ſi notabilis ſit, frigus & pallor oriuntur & facile intelliguntur.

b) Attenuatio ſangvinis, cruore enim ſ. denſiore illius parte deperdita, relative major fit copia ſeroſæ ſ. aqvoſæ partis, qvæ proinde totam maſſam tenuiorem reddit.

c) Vis motus ſ. circulationis ſangvinis imminuta; cruor cnim qvatenus denſior pars præ tenuiore merito aptus judicatur ad motum e ſolidis ſuſcipiendum & conſervandum, illo illo igitur detracto, ut circuitus venteſcat, neceſſe eſt, exhinc ſtagnatio & collectio ſeri hydropica imprimis in artubus poſt notabiles & protractas hæmorrhagias orta haud inepte explicatur.

2. In ſolidis

a) Laxitas ſ. relaxatio eorundem, nam ad juſtam tenſionem debita vaſorum repletio reqviritur, exinanita vero vaſa & ſolida collabuntur & flacceſcunt.

b) Langvor, partim laxitatis productum, partim forſan fluido nerveo ob inopiam ſangvinis juſto parcius ſecreto adſcribendus.

c) Lipothymia, imo mors, hæmorrhagiæ inſignis poſſibilis effectus, me judice tribuenda eſt ipſi cordi a minuta ſangvinis maſſa haud ſufficienter irritato, ideoqve motum vitalem haud debito gradu efficienti.

3. In parte ipſa affecta ſangvinem fundente.

a) Vaſorum, qvæ ſangvinem transmittunt, vel dilatatio nimia, indeqve debilitatio; vel ruptura, vulneratio, indeqve poſſibilis inflammatio & ſuppuratio.

b) Effuſi ſangvinis, ni liber concedatur effluxus, extravaſatio, collectio, indeqve partium adjacentium compreſſio, varium juxta harum nobilitatem effectum & eventum, qvinimo funeſtum procreare valens, nec non extravaſati corruptio, indeqve varia mala.

Cauſæ antecedentes hæmorrhagiæ, qvæ ſeparatim vel conjunctim agendo hunc morbum producere valent, ſunt

1. Impetum ſangvinis ad tantum gradum augentia, ut continentium vaſorum, vel oſcula

ſupra modum dilatentur, qvalis ſtatus anaſtomoſis dicitur, vel parietes fibris a ſe invicem diductis poros pervios capiant, qvalis conditio Diapedeſis apellatur, vel vera ruptura fiat, qvam Rexin vocare ſolent, qvæ omnes læſiones vaſa ad ſangvinem transmittendum & effundendum ſ. hæmorrhagiam inducendam diſponunt; incitantes hæ cauſæ duplicis indolis eſſe poſſunt.

a) Impetum univerſalem ſ. totius ſangvinis maſſæ augentes, nimirum: plethora aut per ſe, aut per ſuppreſſionem ſoliti & naturalis ſangviſluxus generata, vehemens corporis animiqve motus, validæve febres.

b) Impetum particularem & accumulationem ſangvinis in certa corporis parte efficientes; impeditus ſic & difficilis ſangvinis circuitus in una parte auget congeſtionem ad alias imprimis vicinas, hæmorrhagiæ haud raram cauſam; hinc obſtructio lienis vomitum cruentum creat, hinc obſtipatio alvina, inteſtinorum nimia repletio, adipis abdominalis enormitas ſangviſluxum hæmorrhoidalem excitat, hinc obſtructo, vel compreſſo pulmone ſangvinea expectoratio producitur.

2. Sangvinem attenuantia & reſolventia, qvibus nimirum ſangvis nimis aptus redditur ad oſcula vaſorum permeanda, hoc modo in febribus putridis, ſcorbuto, morbo maculoſo hæmorrhagico hæmorrhagiæ naſcuntur.

3. Vaſorum locale vitium & inſufficiens reſiſtentia contra ſangvinem irruentem, vel eorundem laxitas congenita, & acqviſita; vel ruptura ſ. ſolutio continui cauſis qvibuscunqve vulnerantibus aut acri erodenti materie inducta, vel ablatnm fulcrum ex. gr. placenta uterina.

Cauſa proxima hæmorrhagiæ, ex allatis antecedentibus ſponte fluens, eſt vaſorum vis includendi & continendi minor, qvam contenti ſangvinis niſus profluendi.

Diagnoſis hæmorrhagiæ externæ facilis ex apparenti & manifeſto ſangvinis profluvio habetur; interna ſ. effuſio ſangvinis in cavitatibus internis e cauſis prægreſſis & vehementibus ſymptomatibus ſubito orientibus præſertim debilitate enormi tantummodo concludi poteſt. (Vide diar. 1783, Maj. 5, & 1786, Auguſt 14.)

Prognoſis

1. Externæ hæmorrhagiæ, qvibus ſangvis extra corpus effunditur, in univerſum curabiles morbi ſunt, completior dijudicatio e loco ſangvifluxus determinanda eſt & ad ſpecialem hæmorrhagiarum mentionem pertinet.

2. Internæ hæmorrhagiæ qvalemcunqve cavitatem capitis, pectoris vel abdominis occupantes, uterina excepta, abſolute mortiferæ cenſendæ ſunt, aut cito tales, ſi extravaſatus ſangvis comprimendo viſcera functionem qvandam vitæ neceſſariam ſupprimat, aut lentius per corruptionem

effuſi, indeqve partium adjacentium irritationem, inflammationem & deſtructionem.

Curationis in hæmorrhagia duplex eſt pars 1. principalis præſentem hæmorrhagiam tollens; 2. accidentalis morboſos illius effectus poſt eandem qvandoqve remanentes debellans.

Curatio principalis & eſſentialis hæmorrhagiæ efficitur debellando cauſas ejusdem ſupra memoratas ſc.

1. Impetus & motus ſangvinis ſive per ſe, ſive relative ad vaſa debilia nimius imminuendus eſt, cui ſcopo qvadrant.

a) Venæſectio juxta perſeverantiam & vires ægroti repetenda, qvæ tamen in hæmorrhagia reſolutioni ſangvinis adſcribenda haud convenit.

b) Medicamenta refrigerantia, vel nitroſa, imprimis ſpiritus vitrioli aqva dilutus, uti mixtura acida mineralis ad unciam circiter omni vel alternis horis porrigenda, qvod remedium in omni hæmorrhagia convenit & vix non omnia alia virtute ſuperat. Hiſce forſan non ſatis cito acqvirendis ſal culinare larga doſi, uti ad unciam dimidiam aqva frigida mixtum, ingeri poteſt; porro comendandus eſt liqvor ſtypticus Looffii ad drachmam dimidiam aqvæ unciis octo conjunctus et ad unciam omni hora vel bihorio porrectus, ſi reliqva ſupra laudata effectu careant.

c) Diæta refrigerans, ſc. potus frigidorum imprimis ipſius aqvæ, alimenta blanda vegetabilis

indolis, abſtinentia a ſtimulantibus, carneis, butyro, aromaticis, ſpirituoſis, potuqve caffe. Atmoſphæra frigida pura, integumenta corporis modica, qvies corporis animiqve, & alvi demum debita excretio, qva enim deficiente ſangvinis in abdomine minus libera circulatio congeſtionibus ad alias corporis partes anſam dat.

2. Conſiſtentia ſangvinis augenda eſt, ita ut minus aptus ſit ad vaſa permeanda, qvalis ſcopus ſupra laudatis remediis refrigerantibus & imprimis ſpiritu vitrioli etiam obtinetur.

3. Conſtrictio ipſorum vaſorum, qvæ debilitata, dilatata, ſoluta ſangvinem transmittunt, efficienda eſt, qvalis curationis ratio præſertim in hæmorrhagiis ſuperficialibus ſ. peripheriæ corporis locum habet, & per chirurgica auxilia promovebitur; adſtrigentia nonnulla, raro congrua ad uſum internum, in ſpeciali hæmorrhagiæ mentione memoranda veniunt.

4. Continuanda eſt hæc medicatio per regimen frigidum non modo tempore, qvo hæmorrhagia durat, ſed aliqvot poſthac elapſis diebus, ut de reſtituto debito æqvilibrio inter continentium vim & contentorum impetum eo certiores reddamur.

Curatio reparativa accidentaliter deſiderata, ſi nimirum gradus & duratio hæmorrhagiæ notabiles fuerint, ad vires inde perditas ſc. ſolidorum

robur & fluidorum v. ſangvinis copiam reſtituenda; hanc abſolvunt.

1. Alimenta digeſtu facilia, bene tamen nutricntia modica qvantitate, ſed eo crebriús ingerenda, uti piſces, caruea teneriora, potus parcior.

2. Motus corporis modicus, ſed freqvens, qvi & ad ſolida roboranda, & ad ritam aſſimilationem ingeſtorum promovendam inſervit.

3. Roborantia remedia, donec priſtinum robur reſtitutum fuerit, adhibita, inter qvæ decoctum corticis peruviani vel pulvis corticis inprimis cum dimidia parte nitri aliqvoties die ſumtum præſtantiſſimum eſt.

Diviſio hæmorrhagiæ juxta diverſum locum ſ. partem e qva ſangvis effunditur, ſeqventes continet ſpecies; 1. hæmorrhagiam narium; 2. hæmoptyſin; 3. hematemeſin ſ. vomitum crnentum; 4. hæmaturiam ſ. mictum cruentum; 5. hæmorrhagiam uteri ſ. menorrhagiam; 6. morbum maculoſo-hæmorrhagicum.

Species Ima.

HÆMORRHAGIA NARIUM s. EPISTAXIS.

Eſt profluvium ſangvinis per nares, ſive modicum ſive largius,

Symptomata præter effectus hæmorrhagiæ communes gradui ejusdem conformes poſſunt eſſe

affectiones capitis variæ accidentaliter adjunctæ, uti gravitas capitis, ftupor, fomnolentia, fufurrus & tinnitus aurium, pruritus narium.

Caufæ antecedentes.

1. Externa violentia nafo vel capiti ipfi allata.

2. Plethora imprimis junioris ætatis, vel commota per corporis notabilem incalefcentiam, validos motus, ingefta agitantia, præfertim fpirituofa, febresve violentas.

3. Refolutio fangvinis, qvæ præfertim in febribus putridis, fcorbuto, hydrope locum habere poteft.

4. Infarctus vifcerum abdominalium imprimis hepatis vel lienis.

Caufa proxima vel in vafis ipfis narium folutis & difruptis, qvod tantum fub violentia externa evenit, vel in fangvine, qvi mediante plenitudine aut tenuitate naturalem vaforum refiftentiam fuperat, cogitari poteft.

Diagnofis ipfius hæmorrhagiæ fat manifefta eft; caufarum vero ad ritam dijudicationem itidem reqvifita cognitio explorando ægri ftatum antecedentem & concomitantem haud difficulter eruitur.

Prognofis & curatio hujus hæmorrhagiæ fecundum caufas ejusdem determinari debent.

1. Per violentiam externam inducta curatu facilis, fæpe fponte tranfiens, alias externis topicis frigidis & adftringentibus juvanda, uti linteo

aqva & aceto frigidis humectato capiti frontiqve impoſito, attractione aqvæ frigidæ per nares, in graviori & perſeveranti malo linteum carptum vel ſpongia ſolutione aluminis aut vitrioli martis madefacta & in naribus introducta; venæſectio tunc etiam locum habere poteſt.

2. E plethora ſimplici absqve alio morbo ſuperveniens ſibi ipſi tanqvam naturæ beneficium relinqvenda, nec tollenda eſt, anteqvam nimis protracta & debilitans animadvertatur, tunc convenit methodus refrigerans contra hæmorrhagiam in genere commendata, epithema frigidum capiti & nuchæ applicitum, pediluvium tepidum aliaqve in præcedenti caſu laudata topica; pertinacem talem hæmorrhagiam etiam magno veſicatorio inter ſcapulas applicito tantummodo ſedare potui.

3. E reſolutione ſangvinis orta noxia cenſenda eſt, & frigido regimine, frigido capitis epithemate, & largo uſu mixturæ acidæ tolli debet.

4. E febrium magna vi, vel obſtructionibus viſcerum proveniens hæc hæmorrhagia eodem modo dijudicanda & ſananda eſt, ac qvæ ex plethora ſimplici prodit, interdum topica allata deſiderantur.

Species IIda.

HÆMOPTHYSIS.

Eſt ejectio puri ſanguinis e pulmonibus mediante tuſſi.

Symptomata

1. Tuſſis minoris vel majoris gradus qvandoqve adeo mitis, ut ſangvis qvaſi ſpontanea vi in fauces aſcendere videatur, & levi exſcreatione proveniat.

2. Sangvis ejectus communiter ſpumeſcens, purus ſ. muco non mixtus, lucide rubeſcens, ſalſi qvodammodo ſaporis, tenuis crebrius, qvam grumoſus, & differentis qvantitatis.

3. Affectio pectoris crebro hæmopthyſin præcedens, aut concomitans, uti dolor tenſivus vel gravativus, anxietas, palpitatio, æſtus internus, pruritus faucium, qvandoqve absqve ullo tali incommodo ſangvis projicitur.

Cauſæ antecedentes.

1. Plethora vel commota per valida animi pathemata, labores corporis, potus ſtimulantes ſpirituoſos, vel ſubito oborta per citas ſuppreſſiones ſangviſſuxus alterius conſveti ex. gr. menſtrui vel hæmorrhoidalis (vide diar. 1787, Auguſt. 7.)

2. Violentia externa præprimis immediate agens in pectus, vel pulmones uti valida pectoris percuſſio, ſublevatio gravis oneris, diuturna fortisqve clamatio, tubarum inflatio, violenta tuſſis.

3. Acrimoniæ variæ vaſa pulmonalia erodentes, uti ſcorbutica, purulenta, retropulſa exanthematica ſcabioſa, herpetica, qvinimo metaſtatica per putridas febres generata, (vide diar. 1782. & 1783, April. 1), qvo referri poteſt materia dura,

lapidea caſu infortunato in aſperam arteriam illapſa vel ſenſim generata, ſolutionem vaſorum imprimis ob agitationem continuam pulmonum inducere valens.

4. Impedita ſangvinis circulatio in vaſis pulmonalibus ob cauſas aut in ipſis pulmonibus aut partibus ab aliis adjacentibus hærentes, vi illius enim ſangvis ab aliis ramis excluſus in aliis abundantius colligitur, illosqve nimium dilatat, vel diſrumpit. Hoc modo pulmonum tubercula, hydrothorax, infarctus hepatis hæmopthyſi anſam præbere valent.

5. Congenita forſan & hæreditaria debilitas, & teneritudo vaſorum pulmonalium impetum ſangvinis haud debito modo ſufferre valens.

Cauſa hæmopthyſeos proxima eſt vaſorum pulmonalium vel nimia dilatatio, vel diſruptio, vel corroſio per unam aut plures ex allatis cauſis antecedentibus inducta.

Diagnoſtica ſigna

1. Ipſius morbi ſunt duo ſc. ſangvinis meri ſputum, qvo diſtingvitur ab inflammatione pectoris, in qva unacum febre expectoratio mucoſa ſangvine mixta eſt, atqve tuſſis aliaqve affectio pectoris, qvibus a vomitu cruento diſcerni poteſt.

2. Cauſarum antecedentium ſ. efficientium, qvarum cognitio ad debitam medicationem deſideratur & rita exploratione acqviritur.

Prognofis; eventus hæmopthyfeos posfibilis triplex eft

1. Reftitutio integra, nunqvam certo præfagienda, attamen fperanda fi plethoram folam ut caufam fufpicari liceat, fi nullus alius pectoris morbus, vitium pulmonum indicans, hæmopthyfin præcedat, fi modica fit & fi ægri reliqva conftitutio qvoad indolem humorum bona fupponi posfit. In hoc cafu, qvod fæpius expertus fui, non valet illa regula: pus feqvitur fangvinem.

2. Suppuratio & ulcus pulmonum cum infeqventi phthifi, qvæ timeri poteft fub origine morbi ab acrimoniis erodentibus, vel ab obftructis pulmonibus per tusfim ficcum diuturnam et dyfpnœam indicatis, nec non in iis, qvi e parentibus phtificis nati funt.

3. Mors fubitanea, licet rara, tamen posfibilis præfertim in phthificis fub effufione fangvinis larga vafa aerea prorfus obturante.

Sanatio hæmopthyfeos duplicem partem continet, curatoriam fc. & prophylacticam.

Curatoria medicatio ad morbum præfentem tollendum tendens efficienda eft

1. Venæ fectione vel in brachio, vel in pede inftituenda, & crebrius, ratione habita ad perfeverantiam morbi, virium pulfusqve robur repetenda; jutxa eandem circiter regulam phlebotomia in hæmopthyfi, ac in peripneumonia determinari poteft, prima vice largior fangvis detraha-

tur, dein parcior & toties, ut affectio dolorifica pectoris cesset, & effusio sangvinis notabiliter minuatur.

2. Medicamentis refrigerantibus, qvorum efficacissimum, utplurimum sufficiens, ideoqve primo eligendum est spiritus vitrioli dilutus s. mixtura acida cum mucilagine gummi arabici ad unciam omni hora vel dimidia hora, in graviori casu, ingerenda, & sedato morbo rarius prophylaxeos ergo sumenda; raro hoc spem fefellit, & tunc ex electuario ad hæmopthoen ad cochleare minus omni hora, vel bihorio porrectum, vel solum vel alternatim cum mixtura acida optatum effectum expertus fui; convenit qvoqve serum lactis aluminosum crebra et larga dosi ingerendum, si sangvinis profluvium modicum fuerit, sed dolorifica affectio pectoris gravior, mixturam camphoratam nitrosam vel emulsionem communem, cujus unciis octo nitri drachmæ duæ & camphoræ grana octo apposita erant, ad unciam omni hora vel bihorio ideo & prospere propinavi, ut adjunctus inflammatorius status eo melius dissipari potuerit.

3. Diæta refrigerante & temperante

a) Potus & alimenta sint frigidæ indolis, aqva simplex frigida sæpius sumta non modo innocua sed valde proficua est, reliqva ingesta vegetabilis tantum naturæ sint, & abstinentia ab omnibus calefacientibus ægris imperetur.

b) Atmofphæra circa ægrotum fit frigidior pura, non multorum hominum exhalatione inqvinata.

c) Qvies perfecta reqviritur tam animi, qvam corporis, & abftinentia a locutione, qvantum potis eft, utpote qva pulmo immediate commovetur.

d) Integumenta corporis modica fint haud nimis calefacientia, nec comprimentia, ne circulus in externis impediatur.

4. Excretione alvi qvotidie & fufficienter procedente; fub hujus enim defectu fangvis difficilius in vafis abdominalibus excipitur, unde major affluxus ad pectus timeri poteft; hoc igitur fcopo, fi opus fit, lac fulphuris cum dupla parte nitri pro neceffitate & ad effectum adhiberi poteft, vel pulvis radicis rhei, qvem electuario fupra laudato adjungere foleo.

5. Roborantibus tunc congruis, cum hæmopthyfis memorata methodo fedata fuerit, & per aliqvot dies non redierit, ad talem finem decoctum chinæ fimplex, cujus unciis octo nitri drachma adjuncta eft, qvater vel qvinqvies per diem ad unciam fumtum qvadrat; vel pulvis corticis ad fcrupulum cum nitri & lactis fulphuris ana fcrupulo medio bis terve per diem, præfertim fi alvus fegnis fit, fumendus.

Prophylactica medela contra morbum hunc

facile recidivantem desiderat venæsectionem crebram ter qvaterve qvotannis repetendam, & aliàs, utprimum notabilior qvædam pectoris affectio sese exserit, nec non cautionem ab omnibus, qvæ ut causas hujus morbi antecedentes attulimus.

Species III^{tia}.

HÆMATEMESIS s. VOMITUS CRUENTUS.

Est sangvinis utplurimum nigrescentis, grumosi per vomitum ejectio.

Symptomata præter vomitum ipsum possunt esse nausea, anxietas, cardialgia ad lipothymiam usqve, concomitans dolor lateris sinistri sc. regionis lienalis.

Causæ antecedentes.

1. Lienis obstructio s. impedita illius circulatio, ita ut sangvis per illum haud transmittendus eo majori vi & copia vasa vicina, brevia dicta ad ventriculum pertinentia petat, eaqve ita nimis dilatata, vel rupta permeet (vide diar. 1787, Jul. 5 & Decembr. 5.)

2. Menstrui fluxus retentio

3. Spasmodicæ vel hystericæ constrictiones tubi intestinalis, qvibus sangvis a qvibusdam vasis excludi, ideoqve nimius ad alia congeri potest (vide diar 1783, August 6.)

4. Schirrosæ affectiones ipsius ventriculi, qvibus etiam circulus turbatur, (vide diar. 1784, Martii 13, & 1786, Januar. 5.)

5. Vulneratio ventriculi e causa violenta mechanica producta.

Diagnosis.

1. Ipsius vomitus per definitionem ejusdem facile patens.

2. Causarum, lienis vitium e concomitante constanti dolore regionis lienalis suspicari licet; constrictiones spasmodicas indicat adjuncta hysteria, nec non vagus abdominis dolor; ventriculi ipsius affectionem chronicam e dolore ejusdam pressorio diuturno cum annexo utplurimum vomitu chronico concludere licet.

Prognosis

1. Restitutio possibilis sub origine morbi a menstruis retentis, spasmodica affectione abdominis, atqve leviori & recentiori vitio lienis.

2. Letalis autem eventus timendus est, vel citior per largitatem hæmorrhagiæ, vel lentior per hydropem, imo tabem, qvando ex induratione ipsius ventriculi, vitioqve inveterato lienis ortum trahit morbus.

Curatio perficienda est

1. Venæsectione semel vel pluries pro ratione virium, si largior sit hæmorrhagia.

2. Remediis refrigerantibus, mixtura acida omni hora porrigenda, & per aliqvot dies poſt devictum morbum continuanda, licet rarius; ſcopo per hanc forſan haud impleto ſerum lactis aluminoſum ad unciam bihorio ſumtum, qvo auxilio ſemel hunc morbum aliis non vincendum ſanavi.

3. Alimentis blandiſſimis frigidis & ſub morbo, & poſt illum per aliqvod tempus adhibendis; potus aqvæ frigidæ, decocta e cerealibus parata, piſcesqve conveniunt parca ſed freqventiori doſi ſumenda.

4. Laxantibus; ſub morbo ipſo tantummodo clyſmatibus agendum eſt, qvæ in graviori malo ex aqva frigida cum aceti vini unciis duabus parantur; verum biduo circiter ab illo præterito ad ſangvinem, qvi forſan extravaſatus eſt, evacuandum opus eſt laxanti remedio & qvidem antiphlogiſtico, ut mannæ calabrinæ unciis duabus cum nitri drachmis duabus in aqva, vel decocto avenæ ſolutis.

5. Roborantibus, imprimis decocto chinæ ſimplici ad cochleare majus omni hora exhibendo, poſtqvam ejectio ſangvinis ſedata eſt.

6. Mucilaginoſis congruis, ſi vomitus talis parcus chronicus e ſchirro ventriculi, vel ulcere oriri credatur; talia ſunt infuſum radicis ſaleb, mucilago gummi arabici.

Species IV^ta.

HÆMATURIA s. MICTUS CRUENTUS.

Eſt ejectio ſangvinis cum urina mixti per urethram.

Symptomata in hoc morbo poſſibilia ſunt dolor lumborum varius, preſſorius, lancinans, ſimilis in regione veſicali, ſtranguria, iſchuria, ſangvis ipſe ejectus, vel parcus, vel largior, tenuis aut denſior excretionem vix et cum ſummo cruciatu admittens.

Cauſæ hæmaturiæ diverſæ ſunt & juxta has ejusdem dijudicatio & tractatio varia.

1. Plethora univerſalis vel particularis in vaſis hæmorrhoidalibus, & aliis cum his communicantibus, per cauſas differentes in abdomine comprimentes, obſtruentes & circulationem impedientes; (novi virum obeſum, plethoricum crebro hac moleſtia afflictum, haud immerito ab ingenti adipis abdominalis mole derivanda.) Venæſectio etiam crebra, nitroſa, ſi alvus ſegnis ſit, cum lacte ſulphuris mixta, pulvis refrigerans mixtura acida, potus largus aqvæ frigidæ, clysma ex aqva frigida cum aceto commendari merentur.

2. Corporis vehementes & protracti motus, ut eqvitatio, vectio in curru, ſublevatio oneris nimis gravis; etiam in hoc caſu phlebotomia, qvies, mixtura acida conveniunt.

3. Diuretica remedia fortiora adhibita imprimis e cantharidibus parata, extusqve vel intus aplicita; potus largus mucilaginofus, lactea, emulfiones præfertim cum camphora juvant; fimilia remedia qvadrant, fi ex alia acrimonia haud definienda morbus induci videatur.

4. Calculus renalis aut veficalis fuis cognofcendus fignis, & vulnerando fangvinem provocans; venæfectio, qvies, emulfio nitrofo-camphorata & mixtura acida indicata funt, largior & crebra per hanc caufam inducta hæmorrhagia ulcus exoriens timendum facit.

5. Refolutio fangvinis morbofa, ut in putridis febribus, variolis putridis, fcorbuto, qvale fymptoma vim morbi perculofiffimam declarans largo ufu decocti corticis peruviani cum appofito fpiritu vitrioli debellari debet.

Species V^ta^.

HÆMORRHAGIA UTERI s. MENORRHAGIA.

Eft profluvium fangvinis ex utero diuturnius, vel largius, qvam naturali termino convenit.

Symptomata & effectus.

1. Sangvifluxus ipfius varius modus a) ratione temporis, dum aut perdurans f. conftans eft menorrhagia, vel tantum ad certa tempora rediens, & enormis b) ratione progreffus, dum vel largus,

vel ſtillando ſangvis provenit, c.) ratione indolis effluentis ſangvinis, qvi vel tenuis vel grumoſus, purus vel materia purulenta mixtus eſſe poteſt.

2. Aliæ concomitantes moleſtiæ, ut dolor lumbaris, ingvinalis, hypogaſtricus, langvor, pallor, anorexia, tumor hydropicus, ſterilitas.

Diviſio menorrhagiæ triplex facienda eſt 1. menorrhagia extra graviditatem, 2. menorrhagia ſub graviditate, 3. menorrhagia parientium.

Menorrhagia extra graviditatem e variis ſurgit cauſis, juxta qvas dijudicanda & tractanda eſt

1. E laxitate & debilitate uteri, aut congenita, aut per vitam otioſam, uſum largum potus aqvoſi tepidi, partum crebrum, moerorem protractum acqviſita; frigida & roborantia hunc caſum juvant, (vide diar. 1784, Septembr. 8, & 1786, Auguſt 7,) ſc. mixtura acida, infuſum corticum aurantiorum ſiccatorum, eſſentia cinamomi vel ſola vel cum eſſentia corticum aurantiorum et ſpiritu vitrioli juncta; qvarta pars grani radicis ipecacuanhæ cum ſacharo trihorio exhibita etiam profuit; pulchram octodecim annos nondum habentem, hoc fluxu valde moleſtatam, alias ſanam, aliis fruſtra adhibitis, per mixturam ex eſſentiæ corticis peruviani, aurantiorum ana uncia, ſpiritus vitrioli drachmis duabus compoſitam & ad guttas ſexaginta ter die ſumptam perfecte reſtitui. Si menorrhagia ex hac cauſa conſiſtat in fluxu menſtruo qvoad tempus rito, ſed ratione qvantitatis enormi,

excessum illum præcavere oportet, allata roborantia aliqvot diebus ante exspectatam menstruationem porrigendo.

2. Ex motu & impetu sangvinis nimis violento, citato per commotiones insignes corporis vel animi, vehementes febres, plethoram, aerem & medicamenta calida, abusum veneris, qvo referri potest violentia externa in uterum directa, in qvibus casibus venæsectio etiam crebrius repetita, regimen temperans frigidum, atqve mixtura acida opem sufficientem afferunt.

3. E resoluto sangvine per scorbutum & febrem putridam, tunc e decocto corticis peruviani unciis sex cum spiritus vitrioli drachma ad unciam omni hora vel bihorio sumtam auxilium petendum est. Pluries in his casibus internæ medicinæ haud cedentibus clysma ex aqva frigida et aceto repetitum cum optato effectu adhibui.

4. E schirro & carcinomate uteri, qvæ causa ex ætate ægrotæ provectiore versus qvinqvaginta annos & ultra, dolore continuo lumbari, ingvinali aut hypogastrico, fluxu raro desinente, ichorosam foetidam materiem secum ducente cognoscitur; verum nec tolli, nec illius effectus s. menorrhagia ullo remedio mitigari potest; ægrotæ desiderio satisfaciendi gratia allata temperantia porrigi qveunt.

Menorrhagia gravidarum ortum habere potest.

1. E plethora, ob qvam nonnullæ primis graviditatis menſibus fluxu ordinario adhuc gaudent, contra evacuationem hanc per ſe innocuam nil moliendum eſt, nec aliud præter qvietem corporis imperandum et, ſi fluxus notabilior ſit, venæſectionem.

2. Ex abortu inſtanti verſus finem tertii menſis graviditatis cum prægreſſo & adjuncto dolore lumborum, atqve abdominis, qvies & pulvis refrigerans præſcribi poſſunt; in reliqvis, ut partus incipientis opus perficiatur, ipſi naturæ committendum eſt, oppoſita conamina inutilia ſunt, qvinimo tempus protrahendo debilitant & nocent.

3. E ſolutione placentæ uterinæ verſus finem graviditatis, qvando ſc. placenta more debito haud fundo uteri annexa eſt, ſed inferiori illius ſegmento, a qvo ſub incipiente contractione uteri verſus finem graviditatis ſeparatur, ita ut communicantia vaſa libera & aperta fiant & ſangvinem fundant. Huic caſui integra qvies, nutrientia larga blandæ indolis & mixtura acida conveniunt, atqve obſtetricans partus opus attentiſſime obſervet, illumqve qvamprimum poſſibile ſit, debita encheireſi abſolvat. Venæſectio, qvod per ſe intelligitur, contra cauſam hanc hæmorrhagiæ nil valet, ſed vires ſimul cum ſangvine detrahendo nocet.

Memorrhagia poſt partum oriens.

1. E partu præcoci f. cito nimis procedente & finito, ita ut debitæ uteri contractioni haud sufficiens fit tempus, vafa ideo ejusdem in ftatu dilatato permanentia fangvinem enormen, qvandoqve fubitam mortem efficientem, emittunt; periculum hoc dolorum parturientis vehementia & celeri reverfione, nec non nimis cito effecta & perfecta dilatatione orificii uteri indicatum obftetricantes per difruptionem maturam tunicarum avertere prudenter ftudent, utpote illa negotium partus lentefcit; ad hæmorrhagiam jam præfentem fvadentur epithemata frigida abdomini impofita, manus frigida ad uterum intromiffa, ut ejusdem contractio provocetur, imo fub enormi periculo injectio aqvæ frigidæ in uterum, verum modo in cafu maxime ancipiti hoc remedium adhibendum eft, utpote inflammationi & fuppurationi letali qvandoqve anfam præbet, (vide diar. 1787, & Maj. 8, & Decembr. 1,) in reliqvis fumma corporis animiqve qvies, diæta frigida & mixtura acida conveniunt.

2. E folutione placentæ incompleta poft foetus partum finitum, in qvo cafu pars placentæ utero adhærens contractionem ejusdem debitam impedit; placentam debito modo folvens & educens obftetricans hoc malum tollit; huc referri poteft menorrhagia poft abortum qvandoqve pertinax & diuturna fruftis placentæ utero adhuc annexis adfcribenda & per injectionem aqvæ te-

pidæ in uterum aliqvoties factam, qva allata caufa tollitur, juvanda.

3. E fingulari uteri laxitate, qvæ, fi allatæ caufæ haud præfto fint, fub menorrhagia protracta & debilitante fupponi debet, atqve roborantibus, ut decocto corticis peruviani cum fpiritu vitrioli, qviete corporis, faltem cautione ab ambulatione multa ftantisqve fitu fenfim juvari.

Species VIta.

MORBUS MACULOSO-HÆMORRHAGICUS.

Eft morbus per fe non febrilis, cujus effentiales notæ funt maculæ lividæ petechiis fimiles in omni corporis parte externa poffibiles, atqve fangvinis effluxus e pluribus communiter locis proveniens.

Symptomata adeoqve funt.

1. Maculæ allatæ & in facie & in reliqvo corpore apparentes, raro latioris, uti ecchymofes, initio lividæ, fub decrefcente morbo fufci coloris redditæ, totum morbi decurfum comitantes.

1. Sangvifluxus varius & multiplex per os, nares, expectorationem, vomitum, alvum, imo cutem fefe exferere valens, tenuis indolis, & nullius, qvantum ipfe obfervavi, faporis aut odoris.

3. Reliqva fanitas integra, pulfus fc. alvus & appetitus, qvinimo vires vix qvidem ad rationem evacuationis decrefcentes.

Cauſa proxima ex effectibus hujus morbi haud alia deduci aut ſtatui poteſt, qvam notabilis ſangvinis diſſolutio, vi cujus vaſa minora ſangvinem naturalem haud admittentia permeat, itaqve vel effluit, vel ſub cute effunditur, maculasqve allatas producit; cauſa vero antecedens, qvæ tali modo ſangvinem ſolvit, nondum detecta eſt.

Diagnoſis ex dictis notis facile eruitur, & a morbus ſimilibus diſtingvitur, ſc. a febre petechiali per maculas etiam in facie apparentes, & abſentiam febris, atqve a ſcorbuto ob eandem macularum extenſionem, & abſentiam reliqvorum ad ſcorbutum pertinentium ſymptomatum, imprimis illæſas gingivas.

Prognoſis. Duratio hujus morbi raro ultra qvatuordecim dies extenditur, utplurimum citius finitur, in unico exemplo illum ad plures menſes protractum obſervavi. Eventus illius ſpontaneus mihi haud cognitus eſt; per artem vero, qvoties mihi occurrit, ſemper optatus fuit.

Sanatio abſolvitur, 1. diæta frigida qvoad aerem, alimenta, potum, motum, & tegumenta corporis, 2. decocti corticis peruviani unciis ſex cum ſpiritus vitrioli acidi drachma ad unciam omni hora ſumendam, donec ſangvifluxus ceſſaverit, & poſthac rarius per aliqvot dies, medicamentum hoc certo & ſpecifica qvaſi vi illum morbum devincit, ſemel ſerum lactis aluminoſum ſimul adhibendum deſiderabatur. (Exempla morbi maculo-

ſo-hæmorrhagici ſimplicis (vide diar. 1783, Januarii 4 & Martii 6, complicati febrilis, vide diar. 1785, Septembr. 1 & 1787, Septembr. 1.)

GENUS IIdum.

MENSTRUATIO IMPEDITA s. MENOSTASIA.

Eſt retentio ſangvifluxus feminarum menſtrui completa vel incompleta.

Symptomata & effectus per hoc ſanitatis vitium poſſibilia ſunt variæ multæqve morboſæ affectiones ſc.

1. In capite: cephalalgia, vertigo, læſio viſus & auditus imo apoplexia.

2. In pectore: dyſpnoea, anxietas, palpitatio cordis.

3. In abdomine: cardialgia, gaſtrodynia, nauſea, vomitus, colica, lumbago.

4. In toto corpore: morbi nervoſi ſc. convulſivi, hyſterici, paralytici, hæmorrhagiæ variæ per nares, vomitum, tusſim, gravitas corporis, langvor, pallor, tumor hydropicus, vel illi ſimilis leucophlegmaticus, utplurimum junctus cum ſymptomatibus pectoris affecti, chloroſis dictus. (vide diar. 1785, Januar. 6, & Auguſt. 7, & 1786, Octobr. 7, & 1785, Junii 5.)

Caufæ antecedentes posfibiles feparatim vel concurfu vario agentes.

1. Vitia fluidorum f. fangvinis.

a) Ejusdem abundantia f. plethora, qva forfan majora uteri vafa nimium expanfa comprimunt minora & transfluxum fangvinis per illa impediunt.

b) Illius defectus caufis variis debilitantibus productus, ob qvem vafa uterina haud debito modo per fufficientem copiam & vim fangvinis implentur & aperiuntur.

c) Indoles læfa humorum fc. vifcofitas lentorqve, nec motus debiti capax, nec ad vafa permeanda idonea.

2. Vitia folidorum fc.

a) Rigiditas vaforum influenti fangvini nimium refiftens, qvalis conftitutio forfan e temperamento ftricto, certius e laboriofo vitæ genere & ætate increfcente ortum trahere poteft.

b) Laxitas vaforum, ob qvam fufficienti haud gaudent vi ad fangvinem propellendum; vita fedentaria, otiofa, potus aqvofus tepidus largus animus triftis hanc difpofitionem morbofam creant.

c) Senfibilitas enormis in hyftericis perfonis locum habens, fpafmodicam conftrictionem in vafis uterinis & mediante hac transfluxum fangvinis impeditum producere valens.

Caufa proxima menoftafiæ ex allatis antecedentibus derivanda eft, vel vaforum uteri inepti-

tudo ad ſangvinem tranſmittendum, vel ſangvinis ipſius vitium, vel utrumqve ſimul junctum.

Diagnoſis

1. Ipſius morbi ſ. præternaturalis menſtruorum retentionis per ſe patet, qvando ſc. hæc evacuatio deficit in perſonis, qvæ juxta naturæ ordinem, ætatem nempe infra qvinqvaginta annos, & extra graviditatis tempus illa gaudere debent, variisqve ſymptomatibus ex hoc defectu ſupra derivatis laborant. Menoſtaſia a celata graviditate hujus primis menſibus haud ſatis certo dignoſci poteſt, in feminis ideo ſuſpectis, qvarumve anteactam vitam ignoramus, & imprimis dum ſymptomata menoſtaſiæ competentia non præſto ſunt, judicium de illa differendum eſt ad illud graviditatis tempus, qvo iſtius manifeſta ſigna haberi poſſunt.

2. Cauſarum antecedentium & efficientium, num in ſolidis aut in fluidis hærent? qvales ſunt? qvæqve concurrunt? exacto prægreſſi & præſentis ægrotantium ſtatus examine detegendum eſt.

Prognoſis. Menoſtaſia in genere curatu perqvam difficilis eſt, qvandoqve omnem medicationis vim eludit, aliæ ob hunc defectum per totam vitam valetudinariæ redduntur, in aliis qvodammodo tolerabilis ſanitas permanet, interdum effectus reipſa funeſti exinde procreantur, inprimis timendi ſub increſcente ætate, qva hic fluxus terminari ſolet.

Curatio duplex eſt ſc. cauſarum, qvibus morbus adſcribi poteſt, atqve ſpecifica per remedia ſic dicta emmenagoga, qvibus fluxus menſtruus a qvalicunqve cauſa impeditus revocari poſſe creditur.

Curatio cauſarum menoſtaſiæ earundem differentiæ accommodanda eſt, & primum perficienda

1. Plethora ſuis ſignis dignoſcenda venæſectionem primum in brachio, dein in pede inſtituendam, victum modicum, potum multum tenuem, imprimis ſerum lactis deſiderat.

2. Inopia ſangvinis methodo, qvæ allatæ contraria eſt, reparanda & juvanda eſt.

3. Lentor & viſciditas humorum communiter juncta cum laxitate ſolidorum per pallidum & leucophlegmaticum corporis habitum dignoſci poteſt; tumor hydropicus qvandoqve in hoc caſu adjunctus initio per diuretica, ut cremorem tartari ſolubilem, infuſum juniperinum debellari, & abigi debet, alias motus corporis freqvens & validus; (novi matronam per duos annos multis remediis & exercitio corporis multiplici, forti, ad revocandos menſes fruſtra uſam, cui diligens nentis labor fluxum illum reſtituit.) Frictio corporis totius qvotidiana per pannum laneum, roborantia medicamina, imprimis martialia, ut vinum roborans ad cochleare majus bis terve per diem, qvam maxime autem pilulæ aperientes cum marte ad grana decem aut plura ter indies conveniunt, qvæ

non raro effectus morbosos tollunt remanente tamen menostasia.

4. Rigiditas solidorum, ut causa e laborioso vitae genere, aetate provectiore, temperamento cholerico aut melancholico concludenda, potus largos diluentes uti serum lactis, semicupia crebra ex aqva tepida ad fibras relaxandas poscit.

5. Sensibilitas nimia, indeqve spasmodica vasorum constrictio, per hystericam affectionem concomitantem cognoscenda, juvatur antihystericis remediis imprimis cum roborantibus junctis, qvales sunt pilulae aperientes cum marte, qvae ad grana decem vel plura bis terve per diem porrigi possunt; convenit qvoqve semicupium tepidum.

Curatio emmenagoga, cujus immediatus scopus est sangvinis versus uterum derivatio & incitatus motus, aptum habet locum, postqvam vitia, menostasiae causae, supra allata methodo debellata & qvodammodo correcta sint; hoc respectu qvadrare videntur & adhiberi solent.

1. Resolventia, ut borax vel inde paratus cremor tartari solubilis, scilicet ejus uncia in octo aqvae unciis soluta et ad cochlearia duo majora bihorio porrecta, in plethoricis & rigida fibra donatis potissimum conveniens, succus expressus herbarum recentium, imprimis plantae radicisqve taraxaci, tempore verno etiam prodest.

2. Stimulantia & præſertim motum vaſorum abdominalium incitantia, uti extractum aloes, myrrhæ, hellebori nigri, crocus, indeqve parata compoſita ſc. pilulæ balſamicæ ad grana viginti omni veſpera ſumenda, nec non elixirium aperitivum Clauderi ad guttas ſexaginta ter indies, qvalia utraqve ſimultaneo tempore adhiberi posſunt, non modo ad fluxum provocandum, ſed etiam ad eundem, ſi non rito modo procedat, conſervandum, hæc remedia ſub laxitate ſolidorum, & lentore humorum potiſſimum qvadrant. Qvatenus incitans proficuum etiam judicari poteſt emeticum poſt debitam contra cauſas menoſtaſiæ peractam præparationem merito tentandum, attamen caute, ſemel enim inde ortum vidi vomitum cruentum.

3. Derivantia ſangvinem verſus inferiores corporis partes & uterum, qvalia ſunt pediluvia & ſemicupia tepida crebra, balneum vaporis ex aqva calida ſimplici, vel cum herba arthemiſiæ cocta e ſella verſus uterum directi; clyſmata freqventia emollientia, oleoſa, aut cum aſſa foetida imprimis in hyſtericis parata. (Exempla ſanata vide diar. 1785, Januar. 6, Auguſt 6, & 1786, Octobr. 7.) Hirudines circa pudenda ſex circiter triplici vice poſt elapſum menſem repetiti nonnullis profuere.

Symptomata menoſtaſiæ ætate, qva menſtrua naturaliter ceſſant, non raro occurrunt, qvando-

qve per motus febriles crebros vel per congeſtionem ſat periculoſam ad caput aut pectus ſe eſſerentia, qvos affectus medicum opportet tempeſtive explorare, avertere et fugare præſertim temperantibus et venæſectione.

GENUS III^tium.

HÆMORRHOIDES s. MORBUS HÆMORRHOIDALIS.

Eſt fluxus ſangvinis ex inteſtino recto proveniens, nec non concurſus ſymptomatum cum illo nexum habentium.

Differentia morbi hæmorrhoidalis triplex eſt

1. Hæmorrhoides fluentes ſ. fluxus ipſe ſangvinis e vaſis inteſtini recti vario modo, gradu & tempore procedens; qvandoqve tantum ſub & cum dejectione alvi, qvandoqve etiam extra illam vel majore, vel minore qvantitate, vel absqve ordine reverſionis, vel ad ſatis certa tempora, ſive omnis menſis, ſive rarius.

2. Hæmorrhoides coecæ, ſ. tumores minus magisve molles dolentes, vel non dolentes, aut circa orificium ani locati, aut in cavo inteſtini recti, illi hæmorrhoides externæ, hi internæ vocantur.

3. Molimina hæmorrhoidalia, ſub qvibus intelligo varias affectiones moleſtas ita cum fluxu hæmorrhoidali nexas, ut hoc impedito exſurgant, eodemqve procedente evaneſcant. Hæc variam indolem & ſedem habere poſſunt.

a) In capite: dolor, gravitas, ſtupor, vertigo, aurium ſuſurrus, hæmorrhagia narium, imo apoplexia.

b) In pectore: dyſpnoea, oppresſio, tusſis, dolor vagus, palpitatio cordis, hæmopthyſis.

c) In abdomine, cardiæ oppresſio, expanſio, anxietas, dolor colicus, lumbago, pruritus inteſtini recti, teneſmus moleſtus, ſtranguria, mictus cruentus, mucoſus.

Cauſæ antecedentes morbi hæmorrhoidalis

1. Plethora, indeqve citati naturæ conatus ad ſuperfluum ejiciendum juxta differentem ætatem ad diverſa loca directi, in junioribus ad caput, in adoleſcentibus ad pectus, & ætate poſt trigeſimum annum increſcente ad vaſa hæmorrhoidalia.

2. Obſtructio ſ. ſangvinis circulatio difficilis & impedita in vaſis & viſceribus abdominalibus imprimis hepate, per qvod maxima pars ſangvinis abdominalis reduci & transfluere debet, ſangvis enim tali modo e vaſis obſtructis excluſus ad alia ut & hæmorrhoidalia copioſior affluit illaqve expandit, tumefacit, dilatat, imo diſrumpit.

3. Alvi ſegnis, difficilis, dura excretio, ni-

mia hinc collecta ſcybala comprimunt vaſa inteſtinalia & ſangvinis circulum allato modo, læſum & inæqvalem producunt. Niſus fortes depreſſorii difficilem illam dejectionem promovere molientes ſimilem compreſſionem vaſorum noxiam efficiunt.

4. Graviditas præſertim ultimum illius tempus, ſub qva etiam uteri volumen vaſa abdominalia comprimit & circulum lædit.

5. Motus corporis validi potiſſimum, qvi ſangvinis affluxum verſus inteſtinum rectum dirigunt, uti eqvitatio, vectio protracta, imprimis in viis aſperis, concubitus nimius.

6. Nonne etiam materia arthritica vel podagrica ad inteſtinum rectum converſa irritationem, ſpaſmum, circulationem depravatam, itaqve affectus hæmorrhoidales inducere poteſt? ſaltem hoſce ſub aggreſſa podagra mox evanuiſſe obſervavi.

Cauſa proxima.

1. Fluxus & tumorum hæmorrhoidalium eſt immoderata ſangvinis & humorum congeſtio in vaſis hæmorrhoidalibus per allatas producta cauſas, conſpirante ſingulari illorum vaſorum fabrica non valvuloſa, ob qvam ſangvis contentus ad remoram pronior eſt.

2. Moliminum hæmorrhoidalium eſt congeſtio ſangvinis per hæmorrhoides ſolito evacuati, jam vero retenti, ad alias corporis partes, inde-

qve eárundem diftenfio dolorifica, & functionum variæ læfio.

Diagnofis

1. Fluxus hæmorrhoidalis f. hæmorrhoides fluentes cognofcuntur e fangvine per anum effluente, excrementis tamen non commixto & absqve tormeninibus abdominalibus, qvales notæ ad dyfenteriam pertinent, illamqve a noftro morbo diftingvunt.

2. Tumores hæmorrhoidales f. marifcæ, externæ oculis manifeftæ funt, internæ e dolore & fentito obftaculo in recto concludi poffunt.

3. Molimina hæmorrhoidalia æftimanda funt fymptomata fub hoc nomine allata in fubjectis, qvibus fluxus hæmorrhoidalis folitus fuppreffus vel retentus eft.

Prognofis

1. Utilis & falutaris judicari poteft fluxus hæmorrhoidalis poft 30mum ætatis annum proveniens modicus & cum euphoria procedens, non folum ad morbos varios præcavendos fed etiam tollendos, uti fangvifluxus varios, affectiones capitis et pectoris, ipfumqve afthma proficuus.

2. Indifferens cenfendus eft fluxus hic accidentalis e vehementi corporis motu, graviditate, nifu depreffiorio validiori excitatus.

3. Inutilis & noxius eft ille fluxus, juniori ætate fuperveniens, enormis, debilitans, & cum fignis obftructi hepatis junctus.

4. Tumores hæmorrhoidales non dolentes pluribus annis adeſſe poſſunt absqve notabili incommodo, dolentes autem & inflammati in abſceſſus & fiſtulas ani verti poſſunt.

5. Molimina hæmorrhoidalia poſt ſubito ſuppreſſum fluxum periculoſa judicentur, apoplexiam vel pectoris deſtruentem morbum inducere valentia, vix prorſus ceſſant absqve reverſo fluxu; alias per plures annos durare poſſunt absqve periculo vitæ ſub convenienti medela præcavendo.

Curatio.

1. Salutaris hæmorrhoidum fluxus ipſi naturæ relinqvendus & non turbandus eſt; abſtinentia ab animi & corporis violentis motibus victu immodico, & refrigerio imprimis immediate inteſtinum rectum afficiente imperanda eſt.

2. Suppreſſus hæmorrhoidum fluxus cum inſeqvente incommodo notabili capitis, pectoris vel abdominis revocari tentabitur.

a) Miſſione ſangvinis vel e vena pedis, vel præſertim per hirudines tumoribus hæmorrhoidalibus, ſi hi præſto ſint, applicandas.

b) Vapore aqvæ calidæ cum herbis emollientibus coctæ ad inteſtinum rectum ſemel aut bis per diem admiſſo.

c) Laxantibus alvum; uti lacte ſulphuris cum nitro vel cremore tartari ad partes æqvales, unde cochleare minus bis terve indies ſumitur, ſero lactis e manna calabrinæ unciis duabus, &

cremoris tartari uncia dimidia parato, aloetica in temperamentis ſucculentis phlegmaticis non incongrua ſunt; motusqve corporis diligens qvoqve ſvadendus eſt; e vectione in locis lapidoſis hunc fluxum revocatum vidi.

3. Hæmorrhoidum fluxus vel tumores, qvi juncta habent ſigna obſtructi hepatis, medelam huic convenientem memoratam de hepatalgia reqvirunt.

4. Fluxus hæmorrhoidalis manifeſto nimius atqve debilitans venæſectionem, dein ſerum lactis mox laudatum vel aluminoſum deſiderat. His non juvantibus, mixtura acida bihorio, vel pulvis corticis peruviani ad ſcrupulum cum corticis caſcarillæ granis ſex ter per diem exhiberi poſſunt.

5. Tumores hæmorrhoidales in univerſum talia adminicula opus habent, qvibus alvi apertura facilis redditur & non impeditur. Victus obſtruens vitandus eſt, & eccoprotica non irritantia uti pulvis e lacte ſulphuris ſupra laudatus pro neceſſitate adhibendus. Extus ad tumores modice dolentes oonveniunt balneatio freqvens per aqvam frigidam, & ungventum camphoratum album vel mucilago ſeminis cydoniorum cum adjuncta octava parte laudani liqvidi inungendum, major dolor ad inflammationem tendens venæſectionem, hirudines circa anum, cataplaſma ſaturninum deſiderat nec non camphorato-nitroſa intus ſumenda, hiſce auxiliis cito non cedens aut dimi-

nuta inflammatio minatur abſceſſum, cataplaſmate emolliente maturandum, & qvam primum potis eſt, incidendum, ut fiſtula præcaveatur.

6. Molimina hæmorrhoidalia communiter talem deſiderant opem, qvæ eorundem indoli acutæ vel chronicæ convenit, ſi inflammatoriæ videantur hæ moleſtiæ, venæſectio & temperantia, uti ſupra memoratus pulvis nitroſus cum lacte ſulphuris; ſi autem nervoſa ſint ex hoc fonte dirivata ſymptomata, ut vertigo & dyſpepſia, aqvæ pyrmontanæ in uſum trahendæ ſunt, ſub ſignis obſtructi hepatis huic conveniens medicina porrigenda eſt; ad alvum ſegnem movendam optime qvadrat ſolutio ſalis anglicani jejuno ventriculo propinata; medicationem draſticam irritantem ad hunc fluxum provocandum adhibere eſt fruſtraneum opus & ſymptomata deteriora reddit.

7. Diæta hæmorrhoidariis qvibuscunqve congrua exigit a) victus debitam rationem & electionem ſc. abſtinentiam ab omnibus, qvæ alvum obſtipant, farinaceis, lacteis, piſis, pomis terreis, pane recenti, vel triticeo, nec non a calefacientibus nimiis, ſpirituoſis, aromaticis; b) motum corporis debitum, crebrum, modicum, haud vero nimis violentum, aut talis indolis, e qvo hunc morbum ſupra deduxi.

Datur fluxus ex inteſtino recto mucoſus qvandoqve acris & dolorem excitans, e mariſcis interdum manifeſto exſudans, qvi hæmorrhoides

mucosæ appellatur; levis hæc affectio sæpius nulla ope indiget, vel gravior per lavationem ex aqva frigida mitigatur, vel pertinacior medicamen laxans pro evacuanda acrimonia desiderat.

ORDO IIdus.

ALVI FLUXUS s. FLUXUS INTESTINALES VITIATI.

Sunt evacuationes primarum viarum s. tubi intestinalis qvoad modum, copiam, indolem a naturali ordine discedentes.

Genera in hoc ordine contenta ratione loci & materiæ evacuatæ differentia qvintuplum constituunt numerum sc. Vomitum, Choleram, Diarrhoeam, Dysenteriam, Alvi obstipationem.

GENUS Imum.

VOMITUS.

Est ejectio contentorum in ventriculo & vicinis intestinis per os. In plures species juxta variam originem differentes hoc genus dispescitur.

Species I^ma.

VOMITUS IMPURITATUM.

Eſt vomitus e materiis acribus & irritantibus in ventriculo contentis ortum trahens.

1. E cibis aut nimiis aut indolis corruptæ, nauſeoſæ, qvalis cauſa exploratione prægreſſi victus detegitur, vomituqve ipſo vel ſpontaneo, vel promoto per ingeſtam aqvam tepidam largam tollitur, interdum emeticum modicum reqviritur. Etiam ſordes excrementitiæ non ſatis evacuatæ tali vomitui anſam præbere poſſunt clysmata imo repetita deſiderantes.

2. E bilioſa acrimonia, qvæ per ſaporem amarum oris & ejectæ materiæ, lingvam ſordidam, vertiginem qvandoqve adjunctam indicatur, atqve per emeticum & dein laxantia removetur.

3. Ex acida acrimonia etiam per ſaporem talem ejectæ materiæ denotata, atqve per antacida, uti magneſiam albam, aqvam calcis vivæ, animam rhabarbari, potum crebrum et largum aqvæ frigidæ debellanda.

4. E vermibus ventriculum irritantibus, per vomitum aut alvum ejectis; ſi e paſſione & oppreſſione ventriculi vermes ibidem hoſpitari ſuſpectum reddatur, emeſis artificialis convenit, dein vermifuga ſolita atqve laxantia (vide diar. 1785, Jul. 5.)

5. E venenis ingeſtis, in qvali caſu oleum vel ſolutio ſaponis larga copia ſumtum & vomitum ſalutiferum promovet, & involvendo prodeſt.

6. Ex acrimoniis morboſis ad ventriculum depoſitis, uti arthritica, rheumatica, cui cauſa opponenda eſt medela ſupra contra arthritidem anomalam commendata, vel exanthematica a peripheria corporis retropulſa, ſcabioſa, herpetica, in qvo caſu veſicatoria artubus, balnea tepida, intusqve mucilaginoſa conveniunt.

Species IIda.

VOMITUS NERVOSUS.

Eſt vomitus e ſenſibilitate nimia ventriculi ortum trahens absqve irritamento per ſe ad hunc effectum ſufficienti.

1. Ex hyſteria per ſuas notas deſignata, qvalis vomitus qvandoqve levior ſponte tranſit; pertinacior reqvirit julapium ſalinum, pulverem antemeticum, epithemata aromatica cardiæ applicita, laudanum liqvidum Sydenhami, & alia antihyſterica ſupra contra talem morbum laudata.

2. E particulari debilitate ventriculi (vide diar. 1787, Maj. 6, ubi tandem aſſa foetida opem præſtitit & Novembr. 4, ubi alvi ſegnities tanqvam cauſa occaſionalis remota fuit, itaqve morbus ſa-

natus nec non 1784 Septembr. 5 & 6, ubi abſtinentia congrua ad vim ventriculi reſtituendam juvit.) Profuit interdum ſerum lactis aluminoſum, ſemel eſſentia cinamomi.

3. E graviditate præſertim illius menſibus primis, qvandoqve omnibus ad partum usqve abſolutum; tentari ſolent varia, liqvor anodynus mineralis, aqva menthæ, laudanum liqvidum cum vel ſine effectu.

4. E navigatione inconſveta, qvalis vomitus vix ullo compeſcitur modo; vinum, panis durus, abſtinentia a pingvibus ad illum præcavendum præſertim forſan qvadrant.

5. E ſympathia ſ. affectione aliarum corporis partium, qvæ per conſenſum nervorum influxum habet in ventriculum, uti morbus hepatis, præſertim calculi veſicæ felleæ (vide diar. 1785, Octobr. 4,); calculi renales; capitis vehementes dolores & violenta læſio, (vide diar. 1786, April 15.)

6. Ex agitatione febrili ventriculum ipſum commovente in variis febribus ſæpe occurrente, uti varioloſa, morbilloſa, ſcarlatina, intermittenti; qvamvis nullæ cruditates adſint, vel ſufficientibus evacuantibus remotæ ſint; in qvo caſu julaſalinum pium vel pulvis antemeticus potiſſimum convenit.

7. Ex inflammatione ventriculi vel vicini tubi inteſtinalis, qvalis vomitus ſymptoma eſt ga-

ſtritidis, per ejusdem notas cognoſcendus, & illius medelam deſiderans.

Species III^{tia.}

VOMITUS ILEUS.

Eſt vomitus, per qvem materia manifeſto excrementitia ſc. colorem, ſaporem, odoremqve ſtercoris habens ejicitur.

Symptomata

1. Vomitus ipſe initio ingeſtorum potus, aut alimenti dein increſcens cum ejectione revera ſtercorea.

2. Abdominis moleſtiæ variæ, anxietas, expanſio, eructatio maleolenta, dolor fixus imprimis umbilicalis, ſingultus, pertinax alvi obſtipatio.

3. In reliqvo corpore pulſus, ſaltem ſub increſcente morbo acceleratus, debilis, urina parca rubra, proſtratio virium, ſudor pingvis, ceſſatio vomitus, citaqve mors.

Cauſæ antecedentes ſunt qvæcunqve obſtacula in craſſis inteſtinis vel ſine tenuium hærentia & tranſitum contentorum impedientia ſc.

1. Tumores & excreſcentiæ in tubo inteſtinali generata, atqve canalem plenario obſtruentia.

2. Anguſtatio notabilis inteſtinorum vel per inflammationem (vide diar. 1783, Novembr. 10, vel per ſpaſmum, vide diar. 1783, Januar. 5,) vel

per callofam indurationem, cujus exemplum unicum me vidiffe recordor.

3. Hernia incarcerata, per qvam pars inteftini comprimitnr & tranfitus interrumpitur; volvulus f. fufceptio unius inteftini partis in altera parte eundem effectum producere valet, (cujus notabile exemplum tradit diar. 1785, Septbr. 10.)

Caufa proxima eft naturæ nifus evacuatorius propter obftaculum in parte inteftinali inferiori furfum verfus directus; probabilius eft, generationem materiæ excrementitiæ in tenuibus inteftinis vi remoræ effectam ftatuere, qvam ejusdem propulfionem & afcenfum ex inteftino colo, cujus valvula magna motum talem impedit.

Diagnofis

1. Ipfius morbi facilis e definitionis notis habetur.

2. Caufarum petenda eft reliqvum ægroti ftatum inveftigando, fi inflammatio in culpa fit, hujus figna fefe produnt, fi hernia, exploratione abdominali femper in hoc morbo inftituenda illa detegitur, fpafmodicam conftrictionem fubitaneus morbi acceffus, ejusdem intermisfio, abfentia inflammationis & herniæ denotant, tumores chronicos inteftinorum & callofas conftrictiones e lento morbi incremento et induratione qvandoqve palpabili concludere licet. Volvulus vix alia habet figna qvam inflammatio inteftinalis nifi forfan tenesmum cum excretione modica mucofa.

Prognofis & curatio morbi Ilei juxta caufas ejusdem varias inftituendæ funt.

1. Ex inflammatione ortus talis vomitus antiphlogifticam methodum defiderat, vero tamen per os ejecto ftercore, fera fæpius paratur medicina.

2. Hernia incarcerata opem chirurgi citisfimam reqvirit. (Volvuli, arte femper infanabilis, per naturam fanati exemplum vidi in Nofocomi Fridericiano; æger nempe poft colicam feptem hebdomadum cum vomitu crebro per tres primas feptimanas, alias alvo crebre et liqvide aperta deorfum evacuabat partem inteftini coli ad ulnæ circiter longitudinem; fub blanda diæta æger fenfim convaluit et excrementa naturalis confiftentiæ fenfim abiere.)

3. Spafmus inteftinalis hunc morbum efficiens enematibus emollientibus oleofis, vel antifpasmodicis, uti cum affafoetida, cataplafmate fimili in abdomine, aqva frigida, opiatis uti laudani liqvidi guttis decem bihorio, donec fpafmus compefcatur, & dein blandisfimo laxante, uti oleo ricini americani, juvabitur.

4. Tumores chronici & callofitates inteftinorum nullam medelam admittunt, fed mortem neceffariam vel citius per inflammationem & gangrænam, vel forfan lentiori & hectico modo inducunt.

Species IV^ta.

VOMITUS HECTICUS s. EMETATROPHIA.

Eſt vomitus ingeſtorum diu durans, tabem corporis ſenſim increſcentem demum funeſtam inducens.

Symptomata & ſigna

1. Vomitus ipſe ingeſtorum, initio præſertim ſolidorum, dein etiam fluidorum, haud ſtatim poſt aſſumtionem, ut in gaſtritide, ſed poſt horas plures vel pauciores ab ingeſtione elapſas.

2. Senſus moleſtus gravativus ventriculi poſt ingeſta, evacuato per vomitum ventriculo evaneſcens, eructatio freqvens maleſapida, communiter acida.

3. Alvi ſegnities & obſtipatio, neceſſarius effectus rejectionis ingeſtorum per vomitum, qvamdiu fluida retinentur, minoris gradus, increſcente morbo pertinacior.

4. Contabeſcentia corporis magis magisqve adaucta, demum febrem ſecum ducens, atqve funeſta.

Cauſa hujus mali eſt obſtaculum non auferendum in orificiis ventriculi, imprimis inferiori, hærens, tranſitum ingeſtorum & contentorum e ventriculo ad inteſtina impediens, vel calloſæ con-

ſtrictiones, vel tumores varii hoc obſtaculum conſtituunt (vide diar. 1782, Januar. 6, 1785, Maj. 6, & 1787, Auguſt. 9, & Septembr. 6,) vel figura et ſitus ventriculi perverſa (vide diar. 1786. April 11.)

Prognoſis ſemper lethalis, adeoqve nulla curatio locum habet, tempus morbi indefinitum eſt, tenuia, blanda, lactea alimenta potiſſimum conveniunt.

GENUS II^dum.

CHOLERA.

Eſt vehemens, crebra, dolorifica evacuatio per vomitum & alvum ſimultaneo tempore procedens.

Symptomata.

1. Evacuatio ipſa deſcriptæ indolis, per qvam larga materies bilioſa ejicitur.

2. Moleſtæ ſenſationes variæ abdominis nauſea, anxietas, cardialgia.

3. In reliqvo corpore, pulſus debilis, virium depreſſio, crampi dolorifici artuum imprimis crurum, tendinum ſubſultus, lipothymia.

Cauſa hujus morbi merito ſtatuitur materia acris putredinoſa partim per corruptam ingeſtorum indolem, partim per æſtivum calorem generata, inteſtina irritans & ad motum evacuatorium

enormem excitans, menſes æſtivi calidi Julius & Auguſtus huic morbo ideo proprium tempus obſervantur.

Diagnoſis hujus morbi facillime e notis in definitione exhibitis depromitur.

Prognoſis; cholera morbus licet per ſe atrociſſimus & vix non periculoſus arti tamen tempeſtivæ & convenienti ſemper et qvidam intra paucos dies cedit.

Curatio peragenda eſt.

1. Diluendo acrimoniam irritantem per largum & freqventem potum præprimis aqvæ puræ frigidæ.

2. Compeſcendo enormes motus evacuatorios, cui ſcopo optime & qvaſi ſpecifico modo ſatisfacit liqvor nervinus morbo ſtatim opponendus, ad guttas viginti omni hora potiſſimum in aqva frigida porrigendus & continuandus, donec vomitus ſileat, poſthac rarius ter ſc. per diem præbitus utplurimum ad integram reſtitutionem ſufficit.

3. Evacuationem materiæ morboſæ, ſi forſan poſt domitos naturæ validos motus ſupereſſe videatur, promovendo & complendo, in qvem finem pulvis eccoproticus e rheo & magneſia mane & veſpera ad unum alterumve diem exhiberi poteſt.

4. Victum convenientem eligendo, initio blandum farinaceum & e granis cerealibus paratum, poſthac alia tamen digeſtu facilia alimenta.

(30²)

GENUS III^tium.

DIARRHOEA.

Eſt alvi fluxus naturali freqventior, liqvidior, copioſior, tamen absqve commixto ſangvine.

Cauſa proxima diarrhoeæ haud alia eſſe poteſt qvam motus inteſtinorum evacuatorius enormis, ſ. reſiſtentiis a parte foecum, ſphincteris, valvularum ſolito major.

Cauſæ antecedentes in univerſum duæ

1. Contentorum inteſtinalium acris & irritans qvalitas motum nimium provocans, nec non liqvidior indoles debitam reſiſtentiam non efficiens.

2. Inteſtinorum ipſorum

a) Senſibilitas nimia præſertim poſt mucum naturalem ablatum inducta, vel etiam per hyſteriam.

b) Laxitas notabilis, ob qvam valvulæ haud debitam reſiſtentiam progreſſui contentorum opponunt.

c) Obſtructio qvoad vaſa reſorbentia notabilis, ita ut debito liqvidior fiat & maneat contentorum indoles.

Medicationis in diarrhoea univerſalis regula reqvirit inveſtigationem illius, qvæ inter allatas poſſibiles cauſas præſens eſt, atqve electionem adminiculi tali cauſæ detectæ congrui ſ. oppoſiti,

qvo ſcopo diarrhoeæ genus in varias ſpecies diſtingvere qvadrat.

Species I^ma.

DIARRHOEA IMPURITATUM.

Eſt diarrhoea e contentis ipſis inteſtinalibus nimis irritanti & acri indole præditis ſuſcitata.

Symptomata.

1. Dolorifica, interdum ſat levis ſenſatio inteſtinalis dejectiones prægrediens & annuncians, illisqve peractis ceſſans.

2. Lingva alba, ſapor ſæpe alienatus bilioſus, amarus, acidus cum adjuncta eructatione ſimilis indolis, appetitus qvandoqve proſtratus qvandoqve illæſus.

Cauſæ antecedentes

1. Cibi vel potus ingeſti, multi diverſi indolemqve aut jam acrem aut acrimoniæ cujusdam rancidæ, putreſcentis, acidæ facile capacem habentes.

2. Contracta in inteſtinis corrupta & irritans qvalitas ingeſtorum & contentorum, vel ob debilitatem inteſtinorum, adeo ut digeſtio haud rite abſolvi poſſit, vel ob nimiam remoram ſ. alvi obſtipationem completam vel incompletam, qva excrementorum acrimonia & copia augentur, vel forſan ob calorem nimium athmoſphæræ & fe-

brilem, qvo putredo & acrimonia ingeſtorum promoventur, ob qvam rationem diarrhoea æſtivo tempore freqventius obſervatur.

3. Vermes inteſtinales, qvi interdum diarrhoeam provocant.

Diagnoſis hujus diarrhoeæ partim e dictis ſymptomatibus, partim ex cauſis præegreſſis examinatis & detectis, partimqve ex abſentia ſignorum, qvæ alias diarrhoeæ ſpecies indicant, depromenda eſt.

Prognoſis; diarrhoea hæc, beneficium naturæ dicenda, ſemet ipſam ſæpe curat & facta, qvæ reqviritur, evacuatione ſponte ceſſat, ſub rita igitur medela morbus curatu facilis habendus eſt.

Curatio, qvando ab ægroto ipſo deſideratur, aut ob notabiliorem morbi gradum vel durationem reqviri videtur, conſiſtit in expulſione & correctione materiæ nocivæ morbificæ, cui ſcopo conveniunt.

1. Rhabarbarina, initio pulvis rhei ad drachmam dimidiam vel integram exhibetur aut ſolus, aut cum æqvali parte magneſiæ albæ, ſi e ſapore, ructibus vel cauſa præegreſſa acidum peccans derivari poſſit, inſeqventi tempore anima rhei ad unciam mediam cum liqvoris anodyni mineralis drachma ad guttas ſexaginta propinetur, & ſufficit utplurimum. Si præegreſſa obſtipatio diuturnior fuerit, oleum ricini præſertim convenit.

2. Emesis per ipecacuannhæ scrupulum vel drachmam dimidiam, qvando sc. adjuncta sunt signa biliosæ cruditatis, vel pertinacior fuerit morbus, seqvens, si opus sit, medicatio per rhabarbarina ut dictum est, compleri potest.

3. Diluentia & involventia, blandaqve potus & alimenta, ut decocta e granis cerealibus confecta, abstinentia a carne, cerevisia, oleribus.

4. Sistentia mitiora, supra dictis non sufficientibus apponenda, uti decoctum album ad pateilam minorem bihorio; si e purgantibus fortioribus producta sit diarrhoea, qvalis hypercatharsis nominari solet, mucilaginosa, uti infusum radicis saleb ad cochlearia duo bihorio, vel mucilago gummi arabici sola, aut cum syrupo diacodii ad cochleare majus bihorio qvadrant. Interdum mucilaginosis apponenda est tinctura rhei vinosa cum octava parte liqvoris anodyni; convenit qvoqve cortex cascarillæ, cujus pulveris grana qvatuor cum duobus granis moschi orientalis bihorio sumta in duobus gravissimis casibus optimum effectum præstitere.

Species II^da.

DIARRHOEA METASTATICA.

Est diarrhoea e noxia acri materia, qvæ ab aliis corporis partibus transfertur & in tubo intestinali deponitur, producta. Huc referri debent

1. Diarrhoea ex refrigerio ſ. e materia perſpirabili ſuppreſſa & ad inteſtina conjecta, per allatam manifeſtam cauſam cognoſcitur; initio pulvis rhei porrigi poteſt, dein calor lecti, potus calidus, liqvor nervinus ſolus vel alternatim cum tinctura rhei vinoſa aliqvoties per diem ſumtus ad perſpirationem reſtituendam conveniunt.

2. Diarrhoea ex arthritide anomala ſ. materia arthritica ad inteſtina depoſita, ex immediata ſucceſſione poſt evanidos artuum dolores dignoſci debet, & methodo ſupra de arthritide anomala commendata tractari.

3. Diarrhoea purulenta, per qvam pus ejicitur e parte qvadam vicina, hepate, liene, meſenterio ſuppuratis proveniens; raro hæc ejectio ſalutaris, ſæpius ſignum deſtructionis viſceris irreparabilis, & funeſta putanda eſt; lactea, farinacea blanda, gummi arabicum, infuſum corticis peruviani vel radicis gei urbani conveniunt.

4. Diarrhoeæ ſymptomaticæ variæ, ſcorbutica, ſcabioſa, hydropica, phthiſica, febrilis multiplex, e materia morbifica ad hoſce morbos pertinente, ad inteſtina depoſita ortum trahentes, qvarum curatio in tractatu de ipſis morbis primitivis memoratur.

Species III^{tia}

DIARRHOEA HABITUALIS.

Eſt diarrhoea diu ſc. ad plures menſes imo annos protracta, utplurimum absqve ullo abdominis dolore.

Cauſæ antecedentes teſtante experientia eſſe poſſunt.

1. Inteſtinorum ipſorum laxitas, præſertim ſine dubio in valvulis, reſiſtentiam ideo non debitam contra progreſſum contentorum præſtantibus, vel eorundem ſenſibilitas nimia per muci naturalis privationem inducta, qvalis effectus ex ipſa diarrhoea protracta intelligitur. (Vide diar. 1785, Febr. 8, & Jul. 7 & Novembr. 5 &c.)

2. Meſenterii vitium diverſum, qvo debita reſorptio chyli impeditur, ut glandularum notabilis obſtructio, (vide diar. 1783, Januar. 7, & 1784 Mart. 13, & 1786 Mart. 9 & Jul. 13,) ejusdem pingvedo enormis (vide diar. 1787 Novembr. 9,) & demum illius hydrops (vide diar. 1786 April 10. Mihi notum eſt exemplum talis diarrhoeæ ex glandularum meſenterii obſtructione ortæ et per plures annos recurrentis cum dolore et excretione qvandoqve ſangvinea atqve corporis contabeſcentia in puella novem circiter annorum per mercurium dulcem ad grana duo cum dimidio opii ter per diem porrecta ſanatæ.)

3. Viſcerum aliorom abdominalium, hepatis præſertim infarctus notabilis, (vide diar. 1784 Decembr. 6, & 1785 April 8.)

Diagnoſis ipſius diarrhoeæ habitualis e notis in definitione contentis facile deducitur, cauſæ autem difficilius & incertius cognoſcuntur; obſtructiones & meſenterii & aliorum viſcerum ſuis propriis ſignis præſertim tumore & induratione palpabili detegendæ ſunt, hac non præſente inteſtinorum ipſorum ſupra memoratam labem adeſſe coucludere licet.

Prognoſis

1. Per ſe talis diarrhoea vix non ſemper incurabilis eſt, e qvalicunqve cauſa proveniat, tabemqve ſenſim increſcentem demum funeſtam inducit cum vel absqve prægreſſo hydrope.

2. Per artem juvamen poſſibile haberi poteſt in caſibus, ubi ſigna viſcerum infarctas notabilis haud præſto ſunt, ſub hiſce autem nulla ſpei ratio eſt.

Curatio in genere per mucilaginoſa & leniter adſtringentia peragenda eſt, ut

1. Radicem gei urbani, cujus pulveris vel ſimplicis, vel cum æqvali copia gummi arabici compoſiti, cochleare minus bihorio porrigitur, (exempla ita ſanata, vide in diar. 1782 Novembr. 2, & 1783 Auguſt. 3, & 1784 Octobr. 5, & 1785 April 4, & 1786 Mart. 7, & Decembr. 3, & 1787 Jun. 6.)

2. Pulverem compoſitum e radicis gei urbani partibus duabus, corticis caſcarillæ & ſimarubæ ana parte una, cujus drachma dimidia exhibenda eſt bihorio (vide diar. 1785, Februar. 8, & Jul. 7, & Novembr. 5, & 1786, April. 5.) Profuit qvoqve extractum caſcarillæ drachma in liqvoris nervini uncia ſoluta et ad guttas qvinqvaginta aliqvoties de die porrecta.

3. Radicem ipecacuannhæ, cujus parca doſis, ut granum dimidium bihorio ſumtum, ſanabat ægrotum (vide diar. 1784, Januar. 6.)

4. Victum convenientem, blandum, mucilaginoſum, e gelatinis animalium, pane albo, farinaceis, lacteqve paratum.

Species IV<u>ta</u>

DIARRHOEA INFANTILIS.

Eſt diarrhoea infantes intra biennium circiter primum moleſtans, duplex præſertim:

1. Diarrhoea e dentitione ſ. tempore, qvo dentes prorumpunt, ſeſe exſerens; hæc in genere ſalutaris, ut non injuſto creditur, convulſiones prævertens, adeoqve modica, ut remediis vix indigeat; ſi qvid poſtularetur, anima rhei cum qvinta parte liqvoris anodini mineralis ad guttas circiter viginti ter indies exhiberi poteſt.

2. Diarrhoea cruditatum, partim ex ingeſtis cibis tenellæ ætati non convenientibus, non

raro ſub forma cruda exoneratis, in qvo caſu abſtinentia a tali victu & anima rhei ſupra laudata ſufficiunt, præſertim ex acido prædominante per viridem colorem excretorum cognoſcendo, & optime per pulverem infantum bis per diem ad ſcrupulum ſumtum debellando; ſi gravius ſit malum, decoctum album ad unciam mediam omni hora vel bihorio utiliter exhibetur; raro fortiora ſiſtentia ut tinctura rhei vinoſa, eſſentia caſcarillæ aut gei urbani deſiderantur.

Fluxus coeliacus dicitur diarrhoea, per qvam materia lacti ſimilis ejicitur, ab auctoribus nonnullis memoratus, mihi nunqvam obvius, & *Lienteria* ſ. diarrhoea, per qvam ingeſta ſub forma cruda ſ. nondum digeſta per alvum prodeunt, qvalis excretio ut gradus diarrhoeæ, haud ut ſingularis ſpecies cenſeri debet.

GENUS IV^tum.

DYSENTERIA.

Eſt fluxus alvi freqvens, parcus, mucoſus vel mucoſo-ſangvineus, tormina abdominis & teneſmum moleſtum ſecum ducens.

Symptomata & effectus dyſenteriæ.

1. Freqventia dejectionum ad diverſum tamen numerum; ſunt, qvi centies circiter

per nyćthemeron, alii rarius ad alvum deponendam cogantur.

2. Tormina & dolor abdominis lancinantis utplurimum indolis, inconſtantia, excretionem præcedentia & poſt eandem ſilentia, vel minuta, ſedem communisſimam qvidem circa umbilicum, interdum in aliis regionibus ſc. hypogaſtrica vel lumbari habentia, raro dolor talis fixus obſervatur. Magis accidentales per hunc morbum posſibiles abdominis moleſtiæ ſunt nauſea, vomitus ſingultus, ſapor malus.

3. Teneſmus ſ. moleſta ſenſatio inteſtini recti conatum deſidendi ſecum ducens, non raro hic inanis eſt ſ. nullam excretionem provocans, qvandoqve poſt fluxum ipſum devictum remanet interdum cum adjuncta ſtranguria moleſta.

4. Indoles excretionis rarisſime excrementitia, ſed mucoſa, ſæpisſime mucoſo-ſangvinea, raro mere ſangvinea, foetida minus magisve, ſub progreſſu morbi in pejus virideſcens, in melius ſtercorea, flatus communiter retinentur & abdomen expandunt, qvandoqve initium morbi ſimplicem diarrhoeam refert; dum materia excreta mere mucoſa absqve ſangvine obſervatur, morbus a nonnullis dyſenteria alba vocatur, veræ nilominus dyſenteriæ ideam habens.

5. Motus febriles accidentaliter morbo adjuncti, qvandoqve frigus febrile initium morbi efficit; ſæpe nullum febris ſymptoma adeſt, com-

plicata etiam esse potest dysenteria cum febre biliosa, putrida, inflammatione abdominis, atqve intermittente febre.

6. Maximi gradus symptomata sunt insomnia continua, singultus, aphtæ, extremitatum frigus & pingvis sudor, deglutitio impedita, ardor internus, inqvietudo insignis.

7. Reliqviæ possibiles, diarrhoea diuturna tabem inferre valens, nec non hydropicus tumor minus magisve notabilis & periculosus.

8. Reperta in defunctis sunt expansio notabilis intestini coli & recti, inflammatio, exulceratio, gangræna, derasio tunicæ villosæ, lividus color, (vide sectionem talem in diar. 1786, Jul. 14.)

Causæ antecedentes dysenteriæ duplicis indolis sunt sc. externæ vel occasionales & internæ, vel disponentes, qvarum concursus ad morbum hunc producendum necessarius videtur.

Externæ causæ testante experientia sunt seqventes seorsim vel conjunctim agentes.

1. Aeris certa constitutio sc. calor notabilis diurnus & frigus nocturnum, qvalis locum habet mensibus Julio, Augusto, Septembri, qvi tempus huic morbo proprium constituunt.

2. Perfrigerium manifestum, notabile vel per denudati & incalescentis corporis expositionem in aere frigidiori, vel per haustum frigidum largiter tempore incalescentiæ sumtum.

3. Aqvæ pravæ & putrefcentis indolis, dum obfervatum eft, dyfenteriam in locis hoc aqvæ vitium habentibus præfertim fæviiffe, intereaqve alia vicina loca falubriore aqva donata ab illo morbo libera manfiffe.

4. Ingefta prava, acria, incongrue mixta ut fructus horæi immaturi, cerevifia, & lac congelatum; ex his immediate & fuccesfive fumtis manifefto exortam obfervavi dyfenteriam.

5. Contagium f. exhalationes ex ægrotis dyfenteria laborantibus in fanos tranfeuntes & agentes, præfertim excrementa ipfa tale miafma effundere habentur.

Caufæ internæ duæ

1. Effentialis f. fpecifice dyfenterica corruptio, humorum imprimis contentorum inteftinalium, muci & bilis acrimonia & fpisfitudo per diuturnum æftivum calorem fenfim contracta, cui opinioni favet dyfenteriæ graffatio præfertim obfervata poft æftates calidiores.

2. Accidentalis humorum pravitas, ut in phthificis, fcorbuticis, hydropicis, qvos ad hunc morbum fufcipiendum maxime difpofitos, eodemqve maxime afflictos obfervavi.

Caufa proxima dyfenteriæ, qvalis e dictis antecedentibus generari, & deduci poteft, qvalisqve ad explicandos hujus morbi effectus convenit, haud alia cegitari poteft, qvam acrimonia fæpis-

ſime ſaltem bilioſo – putrida contentis abdominalibus maxime bili & muco inteſtinali inhærens.

Nexus ſymptomatum dyſenteriæ cum allata cauſa.

1. Ex acrimonia allata producitur inſolita irritatio aut inconſtans & recurrens, qvatenus acrimonia illa affluit & evolvitur, aut conſtantior, ſi acrimonia fixior & evoluta ſit.

2. Ex irritatione dolor, illius gradui & repetitæ actioni conformis, in medio abdomine tormina, in ventriculo ſitim, nauſeam, vomitum; in inteſtino recto teneſmum efficiens.

3. E dolore tali intelliguntur.

a) Affluxus humorum præſertim mucoſi principii, qvalis ex. gr. in catarrho & gonorrhoea ex irritatione obſervatur, hinc enormis excretio mucoſa per dyſenteriam poſſibilis, ſangvinis excretio partim ex eodem affluxu, partim ex acri & corrodenti materia explicabitur.

b) Motus & contractio inteſtinorum adaucta duplice modo ſc. & eorundem periſtalticus motus crebras inducens dejectiones, & conſtrictio atqve anguſtatio canalis, ita ut vix alia qvam tenuiora contenta excernantur.

c) Inflammatio inteſtinorum, ſi fixior & acrior ſit materia morbifica, & illa mediante ſuppuratio atqve gangræna.

d) Exinanitio humorum, conſumtio virium increſcens ad funeſtum usqve gradum partim ex

enormi excretione, partim e defectu cibi & somni inducta.

Diagnosis

1. Dysenteria simplex & qvatalis facile e notis in definitione exhibitis sc. fluxu crebro torminoso, tenesmo, excretione mucoso-sangvinea dignoscitur.

2. Inflammatoriam dysenteriam suspectam reddunt & indicant præsertim et simul juncta dolor abdominis fixus circumscriptus, sitis insignis, lingva sicca, expansio abdominis, vomitus ingestorum, excretio fere nulla sub tenesmis licet gravissimis.

3. Dysenteriam complicatam cum febre biliosa, hujus annexa signa, ut vertigo, sapor putridus, biliosus, lingva sordida denotant; cum putrida, stupor manifestus & cita virium prostratio indicant; cum intermittente, periodicus regularis recursus vel saltem exasperatio prodit.

Prognosis dysenteriæ

1. Duratio hujus morbi diversa & indefinita est, qvandoqve intra paucos dies transit, imprimis si faustior sit eventus, qvandoqve ultra mensem protrahitur.

2. Bona signa, e qvibus restitutionem ægri sperare licet, sunt: 1) ægrotantis ante hunc morbum constitutio sana; 2) initium morbi, optatum medicinæ effectus præsertim admittens; 3) gradus morbi modicus, scilicet tormina haud adeo

gravia et dejectio non nimis freqvens); 4. decrementum illius obſervatum, dolor ſc. minor, dejectio rarior, ſolidior cum excrementis naturalibus, reverſio ſomni naturalis; ſudorem, qvi a nonnullis pro bono declaratur ſigno, per ſe indifferentem obſervavi.

3. Mala ſigna, e qvibus minus fauſtus & funeſtus morbi eventus timeri poteſt.

a) Prava corporis conſtitutio ante dyſenteriæ acceſſum, ſc. phthiſica, ſcorbutica, hydropica vel alia cacochymica, ætas ſenilis, debilitatio e prægreſſis morbis.

b) Gradus morbi inſignis ſeſe mox initio exſerens per numeroſiſſimas ſedes absqve excretione notabili, aut levamine, inſignem debilitatem, vomitum freqventem, inſomniam continuam.

c) Diu durans morbus, increſcens potius qvam decreſcens obſervatus, aut non rita & tempeſtiva, aut pravis adſtringentibus vel calefacientibus remediis tractatus.

d) Indicia gangrænæ inteſtinalis, ut facies collapſa, pallido-flaveſcens, oculi hebetes, extremitatum frigus cum vel absqve ſudore primum ſeſe in dorſo manuum monſtrans, pulſus celer parvus, alvus involuntario fluens, cita ceſſatio omnis doloris, inqvietudo inſignis, ardor internus.

e) Alia ſigna, deſtructionis internæ effectus uti aphtoſa lingva vix in unico non mortem annuncians, excrementa purulenta, viridia foeti-

diſſima non minus periculum præſagientia, atqve demum ſingultus progreſſui & aliis allatis morbi malis ſignis accedens, interdum incipienti morbo junctus eſt ſingultus, minus damnoſus habendus.

Curatio dyſenteriæ triplicem partem continet: 1) curationem dyſenteriæ ſimplicis qvatalis, 2) curationem dyſenteriæ complicatæ, 3) curationem prophylacticam.

Curatio dyſenteriæ ſimplicis, qvatalis, & rationi conveniens ſ. cauſæ illius proximæ oppoſita & per experientiam probata reqvirit: 1. evacuationem materiæ morbificæ, 2. correctionem ſ. alterationem ejusdem, 3. ſedationem fluxus forſan enormis, 4. diætam his ſcopis congruam.

Evacuatio tubi inteſtinalis, præcipuam dyſenteriæ medelam conſtituens, efficienda eſt:

1. Per emeſin & emetica, circa qvæ notanda ſunt:

a) Opportunum huic medicinæ tempus, qvod ſemper ſit curæ initium, ſive morbus incipiens ſit, ſive ad tempus aliqvod protractus, dummodo ſigna inflammationis, gangrænæ & deſtructionis inteſtinalis ſupra memorata haud obſervantur, maxime indicatur ſub bilioſæ ſaburræ compræſentibus ſignis; ob hæc præſertim reſurgentia etiam emetici repetitio locum habere & prodeſſe poteſt, (vide diar. 1786, Septembr. 3,) in aliis pluri-

bus emetici repetitionem mox initio morbi faciendam utilem inveni.

b) Remedium ipſum adhibendum a plurimis commendatum, mihiqve ipſi ſolitum eſt radix ipecacuannhæ ad ſcrupulum vel drachmam dimidiam; ſunt, qvi minutas repetitas hujus medicaminis doſes commendarint, qvæ methodus juxta meam experientiam ægris moleſtas anxietates, haud vero utilem ullam excretionem produxit; tartarus emeticus ſufficienti doſi loco ipecacuannhæ adhiberi poteſt.

2. Per catharſin & purgantia remedia.

a) Opportunum hiſce tempus conſtituunt abſolutæ emeſi proxime ſuccedens dies, illumqve ſeqventes continui vel alterni pauciores, vel plures, qvamdiu ſub tali purgatione morbi decrementum obſervatur, & donec, dolor abdominis ceſſaverit, & excretio in naturalem qvodammodo converſa ſit; ſi vero talis purgatio per duos, tresve dies continuata nullum morbi levamen, ſed potius incrementum producat, ad alteram medicinam confugiendum eſt.

b) Medicamenta ipſa eligenda eſſe poſſunt:

α) Rhabarbarina ſc. pulvis rhei ad drachmam mediam vel ſcrupulos duos exhibendus poſtridie poſt abſolutam emeſin, & dein alternis diebus, tempore a purgatione libero anima rhei ad guttas

ſexaginta trihorio propinetur, hæc methodus leviori morbo convenit & ſufficit.

β) Oleum ricini americani, ad unciam dimidiam ter per diem ad terminum ſupra memoratum ingerendum, præcipuum eſt in hoc morbo remedium ad inteſtina purganda; qvod ſi non recens haberi poſſit, ſolutio mannata-oleoſa ad unciam bihorio adhibenda eſt.

γ) Clyſmata oleoſa ſ. e decocto avenæ cum largo oleo parata ſemel aut bis per diem porrigenda in caſibus, ubi intus ſumta evacuantia nullum fecerunt effectum, & teneſmus moleſtus obſervatur.

Corrigenda & alteranda eſt materia morbifica.

1. Diluentibus potu ſc. largo blando mucilaginoſo, uti decocto avenæ, oryzæ, infuſo radicis althææ, qvibus mucilago gummi arabici admiſceri poteſt.

2. Antiſepticis qvorum præſtantiſſimum eſt ſpiritus vitrioli ſc. mixtura acida mineralis cum mucilagine gummi arabici, cujus uncia omni hora vel bihorio ingeritur, qvam ſufficientem inveni in nonnullis, ubi effuſio ſangvinis largior ſunt vel morbus cum ſymptomatibus bilioſis aut putridis conjuncta; (vide diar. 1786, Octobr. 4 & Novembr. 6, & 1787, Octobr. 4.)

Sedantia ſ. ſiſtentia, qvæ in dyſenteria locum habere poſſunt.

1. Leniora partim decoctum album, aut solum, ad patellam circiter minorem bihorio, aut cum lacte mixtum, partim anima rhabarbari cum qvinta parte liqvoris anodyni mineralis ad guttas sexaginta ter qvaterve indies; facta, qvæ reqviritur, evacuatione, itaqve morbo eatenus debellato, ut modica non dolorifica alvi laxitas supersit, illa remedia mihi ad finiendam curam in usu sunt & communiter sufficiunt.

2. Opiata; qvando, expurgatione intestinali per oleum ricini parata, dolor parum minutus qvinimo non minutus est, laudani liqvidi guttæ qvinqve cum uncia infusi radicis salab vel mixturæ camphoratæ mucilaginosæ bihorio porrigendæ sunt, donec fluxus fere sedatus fuerit, cujus reliqviæ non dolorificæ per roborantia, uti tincturam rhei vinosam cum liqvore debellantur anodino minerali.

Diæteticum in dysenteria regimen desiderat.

1. Aerem purum modice calidum, non multi igitur ægri in eodem cubiculo decumbere debent, integumenta corporis & stragula lecti sufficienter calida sint, & a frigore, cui ægroti pro alvo deponenda crebro exsurgentes admodum expositi sunt, omni modo possibili cavendum est.

2. Alimenta blanda, digestu facilia, qvam diu morbus ipse durat, decocta farinacea, lactea, gelatina ex oryza et rasura cornu cervi parata, ova sorbilia, jusculum ex intestinis pedibusqve agninis

aut vitulinis tantum permittuntur; morbo fere devicto solidior cibus initio e pane albo & piscibus concedi potest, et spiritus vini gallicus aqva mixtus vel modica dosis vini præsertim rubri ad debilia intestina confortanda.

3. Animi tranqvillitatem, illius pathemata enim ingrata graviora & morbi curam impedire, & eundem jam sanatum reproducere valent.

Dysenteriæ complicatæ curatio utriqve conjuncto morbo accomodanda est.

1. Dysenteria inflammatoria s. cum inflammatione intestinali combinata desiderat.

a) Venæsectionem etiam repetitam, donec dolor fixus sublatus sit, si vero inflammatio sub progressu morbi & signis mali ominis supra memoratis superveniat, nullum e venæsectione juvamen sperari potest.

b) Emulsionem camphoratam vel mixturam camphoratam non acidam mucilaginosam bihorio loco alterius medicinæ, potumqve solitum largum; extus linimentum volatile abdomini crebro inungatur.

c) Evacuantia, qvamdiu inflammatorius status continuat, per clysmata oleosa bis indies injicienda; illo autem evanido ad pleniorem evacuationem promovendam, oleum ricini vel mixtura camphorata laxativa præ aliis convenit, reliqva dein curatio ut in dysenteria simplici absolvenda est.

d) Abſtinentiam ab irritantibus, uti emeticis, rhabarbaro, adſtringentibus & opiatis. (Dyſenteriam talem antiphlogiſticis ſanatam, vide diar. 1786, Auguſt. 9, & Septembr. 4.)

2. Dyſenteria cum putrida vel intermittente febre juncta reqvirit emeſin per ipecacuannham & dein electuarium in hoc caſu antidyſenterici nomine dignum compoſitum e corticis peruviani, roob ſambuci ana uncia, pulveris rhei drachma & ſyrupi diacodii ſuff. qvant, cujus cochleare minus initio omni hora, decreſcente morbo bihorio & dein rarius ad plenam reſtitutionem usqve adhibetur; verum in alia dyſenteriæ ſpecie ab hoc remedio cavendum eſt.

Prophylactica curatio dyſenteriæ, per qvam ſani ab hoc morbo præſervabuntur, conſiſtit in evitatione cauſarum ejusdem ſc.

1. Infrigidationis præſertim tempore graſſantis dyſenteriæ; bene tectum ideo habeatur corpus imprimis abdomen, & incaleſcentes præcipué a frigore ſibi caveant.

2. Contagii in hoc morbo valde efficacis variisqve avertendi modis ſc.

a) Per abſtinentiam plenariam ab his ægrotis, ſi hæc poſſibilis ſit.

b) Per atmoſphæræ renovationem circa ægrotos; aer liber ſæpius admittatur, acetum frigidum vel vapor acidi mineralis in febre putrida laudatus effundatur, non multi in eodem cubiculo

ægroti cohabitent, excrementa confeſtim efferantur, & in cavo qvodam diſſito deponantur, & ſuper impoſita terra tegantur.

c) Per ſalivationem continuam, dum cum hiſce ægrotis commercium habetur; ad ſalivam movendam qvadrat maſticatio cujusdam aromatici uti radicis enulæ, angelicæ, calami, caryophyllorum &c. mihi ipſi, dum ægros tales in noſocomio congregatos curabam, in uſu erat fumatio herbæ nicotianæ.

d) Per emeſin validam, qvamprimum ſigna qvædam, ut vomituritio, frigus inſolitum, malus habitus ventriculi contagii ſuſceptionem reddunt ſuſpectam.

3. Impuritatum primarum viarum, victus ſit modicus, ſalubris, e multifariis cibis minus compatilibus haud paratus, ſpirituoſa imprimis, vinum bonum rubrum inteſtina roborando prophylacticam vim habent, a validioribus purgantibus, dum dyſenteria graſſatur, etiam abſtinendum eſt, horum enim irritatione productam noxam propria experientia me docuit.

Duplex datur affectio morboſa dyſenteriæ ad primum aſpectum ſimilis, facile tamen ab eadem diſtingvenda ſc. *Hepatirrhoea* ſ. fluxus ſangvineo-ſeroſus vel ſangvineo-purulentus per anum e vitio notabili hepatis vel meſenterii, infarctu, aut ſuppuratione ortum trahens, hæc excretio adeoqve

ſymptomatica eſt & ſæpius effectus hepatitidis vel hepatalgiæ, qvæ in ſuis locis jam deſcriptæ ſunt, & a dyſenteria per abſentiam torminum & dejectionum raritatem non difficulter diſcernenda. Altera affectio etiam ſymptomatica, dicitur *Melæna* ſc. excretio ſangvinis per anum absqve hujus pasſione, ut in morbo hæmorrhoidali, absqve vitio hepatis, ut in hepatirrhoea, & absqve crebra & torminoſa ejectione, ut in dyſenteria, qvandoqve ex ulcere inteſtinali provenit, qvandoqve per notabilem obſtructionem viſcerum imprimis meſenterii, qvæ ſangvinis circulationem inteſtinalem impedit, & ut ad certa vaſa copia nimia ad rupturam usqve congeratur, efficit; rarus hujus morbi eſt caſus & curam morbo primitivo competentem deſiderat. Unicum mihi occurrit exemplum, in qvo ſangvis niger condenſatus copioſus ſub forma ſcybalorum ſine febre aut alio morbo prægreſſo vel præſente ſed cum debilitate ſat notabili evacuatus fuit; intra paucos dies per decoctum chinæ acidum omni hora alternatim cum ſero lactis aluminoſo ſanatum.

GENUS V^tum.

ALVI OBSTIPATIO.

Eſt rarior & difficilior alvi excretio, qvam qvæ juxta communem naturæ modum fieri debet, absqve alio notabili ſymptomate morboſo.

Egeſtio qvotidiana haud ſecus ac ingeſtio ad ſanitatem rite tuendam reqviri & inſervire videtur; ſaltem hæc convenientia adeo communis eſt, ut recti norma æſtimari poſſit, cujus transgreſſio præternaturalis ſtatus ſ. morbi nomen meretur, licet enim hæc non paucis tolerabilis videatur abnormitas, conſveta tamen diuqve protracta varia veraqve mala creare valet.

Effectus & noxæ e tali imprimis habituali excretionis vitio poſſibilia & timenda ſunt.

1. Expanſio nimia inteſtinorum ob remoram & collectionem contentorum, qvandoqve moleſta, ſaltem debilitans & vim elaſticam frangens.

2. Irritatio inteſtinorum tormina imprimis infantibus moleſta, damnoſaqve ad epilepſiam usqve efficiens, diarrhoeam ſpontaneam qvandoqve excitans.

3. Compreſſio vaſorum inteſtinalium per molem contentorum producta, adeo ut ſangvis in iisdem debita copia admitti & moveri neqveat, atqve igitur abundantius congeratur ad alias trunci partes, qvæ exinde debilitari & ad varios morbos diſponi poſſunt, affectus hæmorrhoidales, variaqve chronica mala pectoris & capitis lente hinc generari haud injuſto ſtatuitur.

Cauſæ antecedentes ſeorſim vel conjunctim obſtipationem efficientes eſſe poſſunt:

1. Defectus potus & abundantia cibi ſolidi,

glutinosi farinacei, oleosa parte nimium destituti, vel nullo sale conditi.

2. Defectus motus corporis, qvo diaphragmatis & musculorum abdominalium actio adjuvans & intestina commovens detrahitur s. diminuitur.

3. Consvetudo prava sese retinendi, ut & defectus consvetudinis hanc naturæ excretionem ad certa tempora determinantis.

4. Rigiditas & minuta sensibilitas intestinorum apud ætatem senilem; ultimum effectum, indeqve segnitiem alvi etiam voracitas procreare valet.

5. Defectus bilis, cujus stimulus naturali modo ad alvum movendam reqviritur; ceteris caussis per factam explorationem haud detectis, allatum defectum suspicari licet, sive alia signa læsi hepatis sive nulla præsto sint.

Curatio desiderat.

1. Usum talis victus, qvi experientia teste fluxum alvi liberum reddit; potus sufficiens qvinimo aqvæ frigidæ largus, cerevisia, juscula carnea, olera, fructus horæi imprimis poma svadeantur, pulmentum e granis hordei contusis cum cerevisia & saccharo sumtum loco coenæ apprime convenit.

2. Abstinentiam ab alimentis obstipantibus uti pane triticeo, pulmentis cum lacte paratis, pomis terreis, pisis, pastibus farinaceis.

3. Medelam caufis ipfis oppofitam, qvo pertinent motus corporis fufficiens imprimis ante prandium, certum defidendi tempus, præfertim fi illud moneat ipfa natura; rigiditati fenili convenit olei boni largus ufus, minus fenfibilia inteftina irritamento medicamentofo, qvoties opus eft, moventur, vario imprimis falino absqve vel cum rheo; fi bilis deficiat, pilulæ e fapone cum dimidia parte rhei paratæ, pro necesfitate repetendæ & qvoad dofin augendæ qvadrant; fi vim exonerandi nimis debilem fufpicari fas eft, convenit infufum rafuræ ligni qvasfiæ et dimidiæ partis foliorum fennæ frigidum mane fumendum aut pulvis eccoprotico-tonicus, aut aloe fub forma effentiæ cum vel fine aliis amaris.

4. Medelam ipfius mali f. obftipationis jam præfentis & moleftantis, clyfma e decocto avenæ vel lacte cum fale, oleo & forfan facharro citisfimam opem affert; fi hoc recufet æger, & in mora nullum fit periculum, ore fumi poffunt laxantia vel mixtura camphorato-laxativa, electuarium aperiens, oleum ricini, pilulæ contra obftructionem Ph. Dan. vet. ad grana qvinqve vel plura vefpere, pulvis anticolicus, vel fimilia aut una fufficienti dofi, aut minutis dofibus ad productum effectum.

ORDO IIItius.

SERIFLUXUS VITIATI.

GENUS Imum.

DIABETES.

Eſt fluxus urinæ naturali menſura notabiliter copioſior, diu durans, emacians.

Symptomata præter allata eſſe poſſunt urinæ varia indoles ſc. color citrinus vel limpidior, lacteus, ſapor qvandoqve dulcis, ſitis inſignis, & qvod etiam obſervavi, fames enormis, alvi ſegnities, ſudoris defectus.

Prognoſis & curatio hujus morbi incertæ ſunt, tabes exinde letalis timeri poteſt, ni remediis compeſcatur. (Pauci hujus rari morbi caſus mihi occurrere. Alter ſcorbuticis ſymptomatibus ſimul ſtipatus, per uſum ſpiritus vitrioli levabatur, ſucco autem recenti herbarum ſanatus erat. Alter in ruſtico idiopathicus ſ. primitivus erat morbus cum ſiti, fame enormi, contabeſcentia corporis, efflореſcentia cruſtoſa pasſim in corpore erumpente, iterumqve evaneſcente junctus; contra hunc morbum pluribus menſibus protractum varia tentabantur remedia roborantia, ut cortex peruvianus, antacida, diaphoretica, ut ſulphurea, camphora, balneatio tepida, tandem aluminis crudi

drachmam dimidiam cum gummi arabici granis decem exhibui ter per diem ſaltem ad tres hebdomades ſine minuta diabete, verum ſurrexit mox poſt illam medicinam ſepoſitam febris eryſipelatoſa gravis, cui nexum exanthema & faciem & fauces & artus occupabat; ſanata febre, diabetes cum allatis ceteris moleſtiis ſimul cedebat. Diabeti ſimilem urinæ fluxum e calculo veſicæ productum exhibent diar. 1787, Maj. 4. Tandem juvenem ſub fluxu tali ad novem menſuras omni nycthemero & ad plures menſes protracto emaciatum cum fame & ſiti enormi ſanabant anima rhei cum dimidia parte olei tart. p. d. ad guttas 50 omni hora alternatim cum cochleari minori pulveris ex antimonii crudii & oculorum cancrorum æqva parte confecti. Senem aſthmate laborantem cum adjuncta diabete et fame enormi ſanabant flores zinci ad grana duo cum magneſia bihorio ſumti. Commendantur qvoqve nec immerito victus ſolus animalis et opii grana aliqvot doſin ſemper augendo propinata mane et veſpere.)

GENUS II^dum.

ENURESIS s. INCONTINENTIA URINÆ

Eſt fluxus urinæ ſpontaneus ſ. homine inſcio vel invito procedens.

Origo hujus vitii & incommodi varia, juxta qvam adminicula determinanda ſunt.

1. Mala conſvetudo apud infantes qvartum jam ætatis annum habentes, ob qvam inter dormiendum lectum urina conſpurcant; minæ, virgæ, parcus potus pomeridianus, evacuatio veſicæ mox ante decubitum pravum hunc morem curant.

2. Debilitas notabilis imprimis paralytica ſphincteris, potisſimum ortum trahens ex affectu apoplectico & tunc incurabilis, in qvo caſu urinatorium portatile vel veſica bovina aut ſuina cum contenta ſpongia genitalibus adligata ad urinam excipiendam viris inſervire poteſt; a partu inductam ſimilem ſphincteris laxitatem ſemel obſervavi & pulvere corticis peruviani intus ſumto juvi, inſesſus ſuper decocta aromatica, uti herbæ chamomillæ, rorismarini, ſalviæ etiam laudantur.

3. Graviditatis certum tempus, qvo foetus veſicam comprimit & urinam involuntario exprimit vel ad mingendum crebro nimis cogit, hoc incommodum ſolummodo poſt abſolutum partum ceſſat.

4. Ruptura colli veſicæ per pravam obſtetricationem vel ſuppurationem inducta nullo modo ſananda; ſublevatur hoc incommodum ope utris e corio fabrefacti penduli cum appoſita ſpongia.

GENUS III^tium.

PYURIA

Eſt puris fluxus cum urina ejecta mixtus, cognoſcendus e ſedimento albo, puriformi, foetido, in urina depoſito.

Origo hujus ſymptomatis utplurimum ſaltem eſt ſuppuratio cujusdam viſceris interni, vel renum per inflammationem eorundem antecedentem indicata, vel veſicæ urinariæ vel alterius partis, unde generatum pus metaſtatico modo ad vias uriniferas transponitur, uti pulmonis, (vid. diar. 1785. Octobr. 4.)

Eventum lethalem vix non ſemper prænunciat hoc ſymptoma, ſuppurationem puto, qvæ alio qvam hectico modo finiri neqvit.

Remedia ſolaminis & levaminis ergo, exhibenda ſunt decoctum corticis peruviani, aqva ſelterana cum lacte mixta, eſſentia corticis peruviani, cujus unciæ apponitur elixirii acidi Halleri drachma, ad guttas ſexaginta ter indies.. Mihi occurrit exemplum pyuriæ ſpuriæ dicendæ, e cauſa rheumatica, qvod allata eſſentia ſanabat, (vid. diar. 1784. Novembr. 3.) Alia arthritica, cum phlogoſi veſicæ per venæſectionem ter repetitam ſanata fuit, fluxus ipſe ſub acceden-

te podagra ceſſabat. In tali caſu nullus urinæ foetor adeſt.

GENUS IV$^{tum.}$

STRANGURIA s. DYSURIA

Eſt micturitio & mictio crebra, moleſta ſæpius cum parcæ urinæ effluxu.

Species hujus diverſam ob originem plures numerari ſolent.

Species I$^{ma.}$

STRANGURIA ACCIDENTALIS

Eſt illa, qvæ ex vitio qvodam diætæ immediate induci poteſt, uti ex cereviſia acida, exercitiis corporis violentis, infrigidatione, qvibus urinà acris reddita moleſtam veſicæ ſenſationem inducere valet; huc referri poteſt diureticorum acrium imprimis cantharidum uſus internus vel externus.

Sanabile imo ablatis cauſis ſponte tranſiens judicari poteſt illud incommodum e dicta origine proveniens.

Curatio differentiæ cauſarum accommodanda eſt; acidam urinæ indolem magneſia alba & potus frigidæ aqvæ largus debellant; ex infrigidatione

ortam ſtranguriam lecto calido, potu largo calido, pulvere e magneſiæ albæ ſcrupulo, nitri granis decem, camphoræ granis duobus compoſito & trihorio ſumto, itaqve promoto ſudore ſanavi; e cantharidibus inductum malum potu largo mucilaginoſo, emulſioneqve camphorata compeſcitur.

Species II^da.

STRANGURIA SENILIS

Hæc ſenes qvandoqve moleſtat, ex acrimonia & paucitate urinæ dependet, haud prorſus ſanabilis eſt, largo, blando, mucilaginoſo potu levabitur, ex gr. thea demulcente.

Species III^tia.

STRANGURIA VENEREA

Eſt ſtranguria ex irritamento ſ. miasmate venereo citata, poſt illud ſub coitu admiſſum vel gonorrhoeam topicis adſtringentibus ſuppreſſam exorta, nullo ex urethra fluxu ſtipata, inflammatoriæ indolis cenſenda, atqve venæſectione etiam repetita, emulſione nitroſo-camphorata, balneatione in lacte tepido vel cataplasmate emolliente debellanda.

Species IV$^{ta.}$

STRANGURIA URETHRALIS

Eſt ſtranguria ex auguſtatione urethræ producta, occurrit præſertim in perſonis gonorrhoeam crebro paſſis ob cicatrices poſt inflammationem urethræ ſuperſtites; diuturnum conſtans & modicum eſt malum, per candelulas cereas ſenſim qvoad volumen augendas juvandum, eo ſc. ſcopo ut urethra ad diametrum qvodammodo ritum effluxui urinæ non obſiſtentem dilatari poſſet.

Species V$^{ta.}$

STRANGURIA HÆMORRHOIDALIS

Eſt ſtranguria e congeſtione ſangvinea vel mucoſa ad urethram vel veſicam, ſimili illi, qvæ ad vaſa hæmorrhoidalia ſ. inteſtini recti locum habere poteſt; e combinato præſertim prægreſſo affectu hæmorrhoidali, abſentibus aliis ſtranguriæ cauſis, ſangvine vel muco urinæ intermixto dignoſcitur; qvandoqve levior eſt ſponteqve & cito tranſiens, qvandoqve gravior; initio tunc medelam antiphlogiſticam ſc. phlebotomiam, hirudines circa anum, emulſiones nitroſo-camphoratas deſiderans, qvandoqve chronica & ad plures menſes imo annos protracta roborantibus certæ indolis, uti aqva pyrmontana vel ſimplici frigida debellan-

da, (vid. notabile exemplum in diar. 83. Jul. 5.) Mixtura acida mihi etiam proficua visa fuit. Abdomen in hoc casu bene tectum & calidum tenendum est, imo oleosis inungendum, hisce enim circulatio in vasis abdominalibus libera conservatur, & congestio a vasis vesicæ qvodammodo avertitur.

Species VIta.

STRANGURIA SYMPTOMATICA

Est stranguria ab aliis compræsentibus morbis inducta & dependens, uti calculosa s. e calculosa materia vias uriniferas irritante, per mixturam ex acido citri et oleo olivarum debellanda; arthritica e materia hujus nominis producta (vid. arthritid. anomalam); inflammatoria ex phlogosi vesicæ; hysterica e spasmo in viis uriniferis apud hystericas possibili, remedia primitivo morbo congrua imprimis opiata ut laudanum liqvidum cum spiritu salis dulci, nec non incessum in aqva calida desiderans. Huc referri potest stranguria vel in gravidis e certo uteri situ vel ex alio abdominis tumore vesicam comprimente; nec non stranguria in feminis neonuptis e coitu validiore qvandoque occurrens, aliqvali abstinentia, fomentis emollientibus si opus sit, levanda, etiam sponte cessans.

GENUS Vtum.

ISCHURIA

Eſt urinæ fluxus notabiliter vel prorſus impeditus.

Ratione ſedis cauſæ, qvæ hunc fluxum impedit, commodisſime in tres ſpecies diſpeſcitur iſchuriæ genus.

Species Ima.

ISCHURIA RENALIS

Eſt urinæ impeditus fluxus ob deficientem ejusdem ſecretionem in renibus.

Symptomata & effectus præter impeditam diureſin posſibilia ſunt lumbago qvandoqve moleſta, febris; excernendi ſeri converſio ad viſcera interna ſæpius ad cerebrum, indeqve mentis aberratio, ſomnolentia lethargica, letalis timenda, ni excretio tempeſtive reſtituatur.

Diagnoſis ſedes iſchuriæ renalis ſat certa haberi poteſt e defectu urinæ in veſica urinaria, qvi cognoſcitur, ſi nulla adſit ſtranguria ſ. conatus & deſiderium mingendi, ſi regio hypogaſtrica non tumeat & demum qvando per catheterem in veſicam introductum nulla educitur urina.

Cauſæ iſchuriæ renalis posſibiles ſunt.

1. Inflammatio renum f. nephritis, cujus mentio fupra facta eft.

2. Calculi renum tubos uriniferos obturantes, de qvibus circa Lithiafin actum eft.

3. Spafmodica renum conftrictio apud feminas hyftericas posfibilis, in qvibus ideo fufpecta habenda, qvando figna aliarum caufarum haud præfto funt; pluries hic affectus mimihi occurrit; qvandam laudani liqvidi guttis decem cum falis fuccini volatilis granis qvinqve ter die fumtis fanavi; duæ per pulverem e nitri depurati fcrupulo, millepedum ppt., falis fuccini volatilis ana granis qvinqve paratum & bihorio vel trihorio fumtum juvabantur.

Species II^da.

ISCHURIA VESICALIS

Eft retentio urinæ ob vitium in ipfa vefica urinaria.

Dignofcitur feqventibus vix non femper conjunctis fignis. 1. Dolore tenfivo, prefforio regionis hypogaftricæ, & perinæi. 2. Intumefcentia hypogaftrica ob diftentam veficam. 3. Stranguriofo fenfu veficæ & defiderio mingendi. 4. Effluxu urinæ per catheterem in veficam introductum.

Origines f. caufæ hujus ifchuriæ plures & variæ funt, unde ejusdem differentes denominationes exfurgunt fc.

1. Ischuria inflammatoria sc. symptoma cystidis suo loco descriptæ.

2. Ischuria calculosa producta per calculum vesicæ collum obturantem, cujus mentio de lithiasi facta est.

3. Ischuria paralytica a) ex paraplegia qva nervi ad vesicam pertinentes resolvuntur, (vid. diaria 1784. April. 6, & notabile exemplum ischuriæ cum adjuncta enuresi, diar. 1785. Septembr. 11,) ischuria paraplegiæ, ut enuresis apoplexiæ effectus est, levatoriam opem catheteris usus præstat, nil autem radicitus curat, b) ex retentione nimia urinæ voluntaria vel coacta, ut parturientibus interdum evenit, qvo modo nimis repleta & distenta vesica vim sese contrahendi perdit; etiam in hoc casu catheteris usus reqviritur, alias irritantia & diuretica vesicæ actionem provocantia uti emplastrum vel essentia cantharidum regioni hypogastricæ applicita, clysmata acria, mixturam ex aqva petroselini unciis sex, cremoris tartari solubilis uncia dimidia, spiritus salis dulcis drachmis duabus paratam & ad cochleare majus bihorio exhibitam scopo nostro convenire reperi a debilitate particulari vesicæ in senibus præsertim occurrens usum catheteris portatilis ex resina elastica parati desiderat, qva ratione vesica vim suam qvandoqve recipere potest. Huc forsan annumeranda est ischuria febrilis qvandoqve in febribus summe putrido-nervosis obvia, e stupore ægroti, nervorum-

qve inſenſibilitate declaranda, catheteris uſu potisſimum juvanda, vel per inſeſſum ſuper aqvam calidam, atqve epithematibus vinoſo-aromaticis in regione hypogaſtrica applicitis, devicta febre talis ejusdem effectus qvoqve ſponte ceſſat.

4. Iſchuria ſpasmodica, in hyſtericis posſibilis, deſiderat medicationem emollientem, enemata talia, cataplasmata, inſeſſum ſuper per aqvam calidam; intus opiata, qvalia ſupra in renali iſchuria e ſpasmo commendata ſunt, qvadrant, & ſi hæc non ſufficiant, etiam catheteris uſus faciendus eſt.

5. Iſchuria a refrigerio externis remediis, ut ſpasmodica tractanda intus emulſionem camphoratam deſiderat, et, ni cito tranſeat, ut inflammatoria ſananda eſt.

6. Iſchuria polypoſa e tumoribus & excreſcentiis orificio veſicæ appoſitis ortum trahens, contra qvam vix aliud cogitari poteſt auxilium qvam punctura veſicæ a chirurgo ſecundum ſuæ artis regulas inſtituenda.

7. Iſchuria ſympathica e compreſſione colli veſicæ per partes adjacentes inducta; varii uteri ſtatus, uti graviditas, prolapſus, hydrops, ſchirrus, inflammatio in hac culpa eſſe poſſunt; ſimilia inteſtini recti vitia eandem compreſſionem efficere valent; medicatio iſtis cauſis variis accomodanda eſt. Sat freqvens occurrit iſchuria hæmorrhoidalis ſangvinis miſſione inprimis per hirudines

prope affectas partes et temperantia camphorata juvanda.

Species III^tia.

ISCHURIA URETHRALIS.

Est retentio urinæ ob impedimentum in urethra hærens.

Signa sedis hujus ischuriæ eadem sunt ac in ischuria vesicali nec non obstaculum in urethra introductionem & transitum catheteris haud admittens.

Causæ hujus ischuriæ, qvibus medicatio conformanda est, esse possunt.

1. Materia qvædam peregrina in urethra hærens, illamqve obturans, uti calculus, sangvis aut pus condensatum & similia; balneatio in lacte tepido, incessus super aqvam calidam, injectio olei in urethram, imo hujus per chirurgum incisio, si obstaculum haud alio modo auferri qveat.

2. Inflammatio urethræ producta per gonorrhoeam acri injectione tractatam, aut per pravam catheteris encheiresin, qvæ causæ simul cum dolore & ardore urethræ inflammationem designant; methodus antiphlogistica & balneatio emolliens juvabunt.

3. Præputii inflammatio & tumor urethram comprimentes ejusdemqve aperturam occluden-

tes; in hoc caſu etiam antiphlogiſtica methodus, balneatio per aqvam ſaturninam & his non juvantibus inciſio præputii deſiderantur.

4. Coalitio orificii urethræ, apud neonatos posſibilis, aperturam arte faciendam reqvirens.

GENUS VItum.

GONORRHOEA VIRULENTA s. MALIGNA.

Eſt fluxus materiæ mucoſo-puriformis qvodammodo dolorificus ex urethra proveniens & poſt coitum paucioribus vel pluribus elapſis diebus ſeſe exſerens.

Symptomata & ſigna.

1. Materia effluens initio pauca, alba, dein copioſior flaveſcens; virideſcens, ſub decremento fluxus iterum albeſcens, dum ſiccatur, linteum rigidum reddens.

2. Moleſtiæ concomitantes, pruritus & rubor glandis, ardor urethræ imprimis ſub transfluxu urinæ, coacta & dolorifica penis rigiditas, qvandoqve cum curvatura ejusdem, qvo tempore gonorrhœa chordata dicitur; cauſa antecedens unica eſt coitus cum fœmina impura ſ. venereo morbo affecta; cauſa proxima eſt materia acris ſub allato coitu in urethram penetrans, qvæ irritando copioſum mucum attrahit, dolorem exci-

tat, nec non leviorem inflammationis gradum, indeqve exfudationem materiæ puriformis.

Eventus communiter profper exfpectari poteft, & per ipfam naturam poffibilis, & per congruam artem promovendus in majorem fine dubio fecuritatem ægroti. Duratio illius fluxus ad menfis fpatium folito fe extendit, qvandoqve tamen fluxus mucofus diuturnus remanet. Nonnulli credunt fluxum hujus gonorrhœæ adftringentibus tractatum et fuppreffum reliqvo corpori venereum morbum communicare, ejusdemqve varia fymptomata producere poffe, qvod tamen fufficiente experientia haud fatis probatum eft.

Curatio peragenda eft.

1. Methodo antiphlogiftica, qvæ initio & fub graviori dolore urethræ locum habere poteft, alias non; confiftit autem illa in venæfectione, emulfionibus nitrofo-camphoratis, balneatio per lac tepidum.

2. Diluentibus copiofis & diureticis, qvibus largior & blandior redditur urina, & ob hanc utramqve qvalitatem aptior ad materiam morbificam ex urethra folvendam & expellandam; potus fvadeatur ideo largus mucilaginofus, ut decoctum avenæ fimplex, vel cum fucco citrino, thea demulcens, & devicto graviori dolore inflammatorio conveniunt qvoqve diuretica alia, uti amygdalarum dulcium olei ad uncias duas cum drachma balfami co-

paivæ qvotidie ad cochleare majus ſumendas, vel balſamum copaivæ cum partibus æqvalibus ſyrupi diacodii et mucilaginis gummi arabici ad cochleare minus bihorio, vel deniqve idem balſamum cum æqvali parte electuarii aperientis et partibus duabus roob juniperi ter per diem ſumtum. Laudatur qvoqve mixtura ex partibus æqvalibus tincturæ rhei vinoſæ et balſami copaivæ ad guttas 80 ter de die; aliqvoties cum ſucceſſu præſcripſi elixirii aromatico-acidi guttas 40 ter qvaterve indies.

3. Abſtinentia a calefacientibus diæta & medicamentis, uti ſpirituoſis, ſalitis &c., nec non motu corporis validiore; hiſce enim incitata nimis circulatio ſangvinis inflammationem & reſorptionem materiæ morbificæ damnoſo modo promovere valet.

4. An etiam roborantia contra fluxum mucoſum indolentem ſuperſtitem poſt virulentam excretionem & qvandoqve diu durantem adhibenda ſunt? Commendata in hoc caſu, corticem peruvianum, martialia &c. nullius efficaciæ fuiſſe obſervavi; ſenſim verò & ſponte talis fluxus ceſſat.

5. Mercurium cum opio, qvem nonnulli ſub decreſcente gonorrhea omni veſpera ægris ſuis præbent, nunqvam opus habui.

GENUS VIImum.

GONORRHOEA BENIGNA

Eſt fluxus ſeminis vel ſeminiformis involuntarius cum vel ſine ſenſu libidinoſo & absqve dolorifica affectione urethræ.

Symptomata & ſigna.

1. Materia effluens per urethram eſt blanda alba ſpiſſa, vel verum ſemen, vel eidem ſimilis.

2. Effluxus ipſe eſt minus vel magis freqvens, qvandoqve & interdiu & noctu rediens, vel tantummodo noctu cum vel ſine adjunctis inſomniis libidinoſis, qvalis nocturna ſeminis ejaculatio pollutio dicitur.

Cauſa hujus morbi:

1. Pravum manuſtuprationis vitium, unde contracta conſvetudo ad immodicum fluxum naturam provocat.

2. Libidinoſæ ideæ & meditationes.

3. Acrimonia certa humorum & forſan nervorum nimia agilitas; caſtum probumqve novi virum, qvi enormi gradu hunc fluxum patiebatur, cito tamen et ſponte ceſſantem.

Eventus fluxus talis involuntarii.

1. Diu protractus & freqventer revertens nervos admodum debilitat, omnesqve ex illis dependentes functiones frangit, animæ facultates omnes recordandi, attendendi, gaudendi depri-

muntur, ſenſus imprimis viſus ad amauroſin usqve debilitari poſſunt, ſtomachus maxime afficitur cum anorexia, flatulentia & anxietate; etiam dolor varius & vagus corporis, convulſiones, epilepſia, fatuitas, contabeſcentia, pallor imprimis apud illos, qvi fœdo onanismo nimiam ſeminis jacturam faciunt, obſervantur.

2. Sanationis ſpes veria eſt ſecundum differentem morbi durationem ejusdemqve effectus morboſos ad varium gradum perductos, non paucos modice affectos ſanavi, alios per totam vitam valetudinarios, debitum ſanitatis robur haud recuperaturos obſervavi; & demum alii prorſus inſanabili convulſione, epilepſia, fatuitate ex hac cauſa afflicti mihi occurrerunt. Pollutio verò nocturna rarius accidens, fortioribus imprimis ſat communis, vix non tanqvam innoxia ſuperflui excretio æſtimari poteſt.

Curatio abſolvenda eſt:

1. Roborantibus remediis, e qvibus efficaciſſimum inveni ipſum pulverem corticis peruviani ad drachmam dimidiam ter indies ſumendam, nec minus laudandum eſſentiam chinæ cum dimidia parte elixirii aromatico-acidi ad guttas ſexaginta ter indies, balneatio per aqvam frigidam ſaltem partium pudendarum qvinimo totius corporis etiam convenit.

2. Nutrimento blando uti lacteo farinaceo, & ſimili; ſtimulo qvodam prædita, uti juſcula

carnea fortiora, aromatica, ſalita, potus caffe et vini larga potio vitanda ſunt, vini rubri modica doſis et cereviſia fortis innocua eſt.

3. Evitando omnes occaſiones & ideas, qvæ ad libidinem ſtimulant.

4. Corporis motu, ſituqve convenienti; calefaciens agitatio corporis imprimis per motum, qvi ſangvinem verſus renes allicit, uti vectio protracta & eqvitatio nocent, ut & decubitus in dorſo & in ſtragulis mollibus calidis.

Huc referenda eſt *gonorrhoea glandis,* qvæ conſiſtit in collectione humoris acris inter glandem & præputium, unde moleſta harum partium rubedo, ardor, & pruritus inducuntur; hæc affectio ſine cauſa venerea oritur, initio per balneationem crebram in aqva frigida compeſcitur; diutius protracta cum conſtrictione præputii & effluxu humoris, diligentem injectionem decocti avenæ deſiderat.

GENUS VIII^vum.

LEUCORRHOEA s. FLUOR ALBUS

Eſt humoris ſeroſi ſ. non ſangvinei effluxus per vaginam muliebrem.

Variæ hujus affectionis ſecundum cauſas diverſas exſurgunt ſpecies.

Species I^ma.

LEUCORRHOEA SIMPLEX

Eſt fluxus humoris albi mucoſi blandi ſ. nullam irritationem doloremve citantis, & absqve alia ſanitatis labe ſeſe exſerens; ſat freqvens hæc affectio, raro tanti gradus, ut medici deſideretur auxilium.

Adſcribitur haud immerito laxitati ſolidorum & tenuitati fluidorum, qvæ iterum ex abuſu potus tepidi aqvoſi, vitaqve ſedentaria derivari poſſunt.

Sanabitur diæta cauſis oppoſita, roborantibus, uti cortice peruviano, eſſentia corticum aurantiorum cum dimidia parte tincturæ martis vel octava liqvoris ſtyptici Loffii ad guttas ſexaginta vel elixirio aromatico-acido ad guttas qvadraginta ter indies, et injectionibus cum decocto chinæ vel qvercus, aqva calcis aliisqve adſtringentibus.

Species II^da.

LEUCORRHOEA CANCROSA

Eſt fluxus uterinus fœtidus ichoroſus e cancro uteri ortum trahens, ejusdemqve ſymptomatibus ſtipatus & dignoſcendus; illius dijudicatio

qvoad eventum & medicationem loco hyſteralgiam continente jam tradita eſt.

Species III^{tia}.

LEUCORRHOEA PURULENTA

Eſt fluxus purulentus inflammationem uteri vel vaginæ ſubſeqvens, partim indole effluentis materiæ, partim prægreſſis inflammationis ſignis cognoſcendus; ad noxiam materiem evacuandam & curam abſolvendam non raro ſola natura ſufficit; ſi vero diuturnior fiat morbus, viresqve proſternantur, injectio decocti avenæ ſimplicis vel melle roſato mixti ad depurationem promovendam & intus decoctum corticis peruviani conveniunt.

Species VI^{ta}.

LEUCORRHOEA FUNGOSA

Eſt fluxus uterinus continuus, ſeroſus vel ſangvineus, vel cum cruſtis adipem concretum referentibus, nullus vero pravus excreti odor, qvo ſigno ad cauſam mali ſuſpicandum, curatiusqve inqvirendum, & a cancroſo malo diſcernendum adducimur.

Cauſa ipſa eſt fungus ſ. excreſcentia, cujus pedunculus ipſi utero adhæret, & capitellum in

vagina protuberat, qvandoqve ægrotæ ipſi ſub mictione vel alvi depoſitione apparens, aut per explorationem vaginalem detegenda.

Curationem perficiat chirurgus per repetitam ligaturam excreſcentiæ, unde pars fungi excidit & reſiduum dein putrefactum ab utero rejicitur; ſi verò inveteratum malum ſit cum dolore uteri & fœtore muci excreti, hæmorrhagia freqvens vires ſenſim exhaurit, nec ſpes ſanationis adeſt; victus lacteus blandus convenit.

Species Vta.

LEUCORRHOEA VENEREA

Eſt fluxus e vagina muliebri albo-flaveſcens non fœtidus, ſed cum ſenſu excoriationis partium & dyſuria junctus.

Cauſa eſt miasma venereum per coitum in vaginam introductum.

Signa diagnoſtica ſunt: 1. Coitus immediate hunc fluxum prægreſſus. 2. Indoles fluxus ſc. excorians cum dyſuria. 3. Simul explorata & inventa alia ſyphilidis ſymptomata, uti ulcuſcula, condylomata, puſtulæ pruriginoſæ in partibus pudendis, ut & reliqva infra deſcribenda ad ſyphilidem pertinentia phænomena.

Curatio hujus leucorrhœæ uti in gonorrhœa virulenta tentari debet. Hac non juvante uſus

mercurii, qvalis in morbis venereis infra memorandus venit, faciendus eſt.

Alia excretionum vitia, uti expectoratio, ſalivatio, ſudor, mere ſymptomaticæ ſunt affectiones ex aliis concomitantibus morbis dependentes, ad eorum tractatum pertinentes; ideoqve haud ut ſpecies morborum ſingulares æſtimandæ & exponendæ. (Mihi unicum occurrit exemplum ſudoris colliqvativi protopathici absqve alio prægreſſo aut concomitante morbo exiſtentis, qvo per dimidium annum protracto octogenarius inſignem jacturam virium & voluminis corporis fecerat. Multa remedia imprimis cortex & ſpiritus vitrioli fruſtra adhibita erant; perfectam tandem reſtitutionem effecit victus nutriens refrigerantis indolis ſeqventi ordine: omni mane potus chocolade, interdiu lac ebutyratum ad duas menſuras conſumtum, & pro cœna tria ova ſorbilia.)

CLASSIS Vta.

CACHEXIA.

Eſt morbus chronicus, cujus præcipuum ſymptoma eſt vitiata ſ. præternaturalis peripheriæ conſtitutio.

Status peripheriæ f. qvalitas cutis fenfibilis præfertim qvoad volumen, naturali majus vel minus, & qvoad colorem immutari & vitiari poteft, qvæ triplex differentia fundamentum præbet dividendi claffem cachexiæ in tres ordines fc. 1. Tumores f., Hydropes, qvibus volumen peripheriæ augetur 2. Tabes, qvibus volumen corporis minuitur 3. Decolorationes, qvibus color cutis a naturali modo difcedit.

ORDO I^mus.

HYDROPS.

Eft tumor corporis a collectione ferofi humoris productus.

Caufa proxima hydropis f. collectionis nimiæ ferofæ alia effe neqvit, qvam fublatum æqvilibrium juftum inter affluxum & refluxum ferofi humoris in partibus corporis tali modo, ut major humoris copia affluat, qvam refluat.

Caufæ antecedentes proin effe poffunt qvæcunqve affluxum humoris ferofi ad partem corporis enormiter adaugent, qvæ refluxum impediunt, vel qvæ utrumqve illum effectum producunt. Tali hydropem producendi vi præditæ & per experientiam comprobatæ caufæ funt feqventes:

1. Humorum nimia tenuitas & aqvofa conftitutio, ita ut debito facilius & largius per vafa minora tranfmitti, & in cavitatibus fecerni atqve exhalare qveant, ac dein fub remora & abundantia ob coagulabilem naturam adeo infpiffari, ut ad reforptionem & refluxum inepti fiant; jactura fangvinis notabilis hydropem, ut notum eft, efficere valet, fine dubio mediante attenuatione, qvæ profluvii talis effectus eft. Hydropes in fcorbuto, febre qvandoqve putrida (vide diar. 1786 Jun. 6 & 1787 Septembr. 1.) orientes talem refolutionem pro caufa habere videntur.

2. Humorum in cavitatibus fecretorum & exhalantium acrimonia vel fpisfitudo vel utraqve fimul juncta, ita ut vafa reforbentia vel irritatione conftricta, vel ratione excipiendi fluidi nimis angufta ritam functionem perficere neqveunt. Hoc modo hydropem inducunt:

a) Perfpiratio cutanea fuppreffa vel retenta, indeqve producta materiæ excernendæ acris commixtio cum aliis corporia humoribus; hydropis ex hac caufa fatis notum exemplum præbet fcarlatina febris, (alia vid. diaria 1784 Jul. 7 & Auguft. 9.)

b) Urinæ impedita fecretio f. ifchuria renalis; fenem novi calculofum, cui diurefis ex hac caufa fenfim minuta & demum prorfus inhibita fuit, qviqve defectus hydropem cito adauctum,

interiores cavitates etiam occupantem & letalem produxit.

c) Efflorefcentiæ cutaneæ & ad illas pertinens materia acris retrogreffa, ad alios corporis humores converfæ, illisqve commiftæ, uti herpetes, imprimis fcabies retropulfa (vid. diar. 1786 April. 6 & 1787 Mart. 4 April. 6, Maj. 3 & infeqventes hujus anni menfes.) Huc referri pofſunt ulcera inveterata confolidata, itaqve materia acris retenta (vid. diaria 1786 April 7 & Jul. 7.)

d) Arthritica materies retenta vel retrogreffa atqve humoribus ferofis commixta (vid. diar. 1787 Novembr. 6.)

e) Metaftatica materies per febres vel putridas vel intermittentes generata atqve in textu cellulofo aut aliis cavitatibus depofita, ibidemqve fecretos humores contaminans (vid. diaria 1783 Febr. Novbr. & Decbr.; 1783 Novbr. 8; 1782 Jun. 3 & 1786 Jul. 2.) vel depofitio lactea (vid. diar. 1786 Aug. 11.)

f) Nonne biliofæ materiæ præternaturali modo ad fangvinis maffam traductæ, indeqve ferofis humoribus commixtæ culpa hydropis tribui poteft? Hac ratione ex ictero, obftructione forfan hepatis & febre cholerica (vide diaria 1787 menfibus Aug. & feqventibus) exoriens hydrops explicari poteft.

3. Solidorum debilitas & laxitas, eorumqve ideo ad motum humorum debitum promovendum

inſufficiens actio. Hydropici tumores morbos diuturnos debilitantes, uti febres, dyſenteriam, diarrhoeam protractam, phthiſin ſubſeqventes vel concomitantes, qviqve ſub vita otioſa, ſedentaria, præſertim in illis, qvibus laxium eſt temperamentum, oriuntur, vix melius qvam ex inerti ſolidorum actione declarari poſſunt, (notabilius & letale exemplum exhibet diar. 1783 Jul. 9.)

4. Impedimentum circulationis humorum, qvod triplice modo ad hydropem producendum agere poteſt ſc. pervertendo motum ſangvinis arterioſi, qvi per vaſa reſiſtentia & obſtructa permeare neqvit, ideoqve debita majori copia ad alia vaſa ducitur, itaqve ſecretionem largiorem ibidem producit; comprimendo venas & itaqve refluxui humorum per illas obſiſtendo; & demum comprimendo vaſa lymphatica, adeo ut reſorptionis opus illis præcipue competens perfici neqveat. Tali modo oritur & declarari poteſt hydrops ex obſtructione & induratione viſcerum, uti lienis & præſertim hepatis (vid. diar. 1785 Decbr. 4. & 1786 Aug. 13), vel omenti (vid. diar. 1783. Jun. 6 & 1786 Aug. 12), vel meſenterii (vid. diar. 1782 Octbr. 8 & 1783. Jul. 10), vel ovariorum (vid. diar. 1782 Jan. 4, & 1784 Jul. 12.), nec non hydrops per inflammationes poſſibilis (vid. diar. 1783 Mart. 7 & 8, & 1784 Maj. 5.)

Diagnoſtica hydropis ſigna nniverſalia non dantur, qvælibet enim illius ſpecies juxta locum

f. ſedem differentem definienda ſibi proprios habet caracteres, e qvibus ſignum omnibus differentiis commune abſtrahi neqvit.

Prognoſis hydropis in univerſum exhibet.

1. Effectus & eventum per hydropem posſibiles, qvi ſunt:

a) Compreſſio partium & viſcerum ſerum coagulatum continentium, qvi effectus juxta compreſſi viſceris differentiam, & nobilitatem varia ſymptomata & varium periculum, qvinimo, ſi pulmones vel cerebrum hac cauſa afficiantur, ipſam mortem inducere valet.

b) Corruptio & putreſcentia ſtagnantis, indeqve irritatio, inflammatio, gangræna & ſphacelus adjacentium partium, ut & ipſa mors (vid. diar. 1785 Maj. 9 & 1787 Jun. 8.)

c) Ruptura ſpontanea partium ſero collecto diſtentarum (vid. diar. 1786 April 7.)

d) Reſorptio ſpontanea ſeri, indeqve vel ejusdem depoſitio qvandoqve periculoſa in aliis partibus, vel commixtio cum ſangvinis maſſa, unde febris varii momenti ſurgere poteſt (vid. diar. 1784 Aug. 11 & 1785 Jul. 2. & 86 Jul. 1.)

2. Spem ſanationis, qvæ:

a) Per propriam naturæ vim rariſſime haberi poteſt ſc. in unico hydropici tumoris caſu, effectu meræ debilitatis, qvi ceſſante cauſa f. reſtituto robore evaneſcere valet. Aliàs hydrops nulla naturæ molimina ad ſanationem tendentia ſe-

cum ducit, (mirum & unicam exceptionem tradit diarium 1784. Jan. 3.)

b) Per artem major eſt, haud tamen generaliter ſed ſecundum durationem, cauſam & imprimis ſedem morbi definienda, cujus igitur determinatio ad ſpecialem hydropis tractatum infra exponendum pertinet.

Curatio omnis hydropis duplicem habet ſcoum ſc. 1. ſerum collectum ſuperfluum e corpore educere, 2. cauſas morboſas ſ. vitia corporis, qvæ hydropem creant, tollere & removere. Hiſce proin ſcopis conformia remedia & diæta hydropicis ſunt præſcribenda.

Evacuatio hydropici ſeri teſtante experientia aptisſime promovetur per diureſin & remedia ſic dicta diuretica, qvæ urinæ ſe & excretionem promovendi habent vim, talia eſſe poſſunt.

1. Cremor tartari cujus drachma ter die ſumta convenit & qvandoqve ſufficit hydropi incipienti modico absqve diarrhoea aut ſignis obſtructi viſceris abdominalis aut pectoralis adjunctis, præſertim augendo diureſin & ſimul qvandoqve alvum modice ſubducendo agit; ſi forſan menſtruus fluxus deficiat et in aliis hydropis ſpeciebus præſertim illis, qvæ febri intermittenti ſuccedunt, cremor tartari ſolubilis, uti mixtura compoſita e cremoris tartari ſolubilis uncia ſpiritus ſalis dulcis drachmis duabus, vel tincturæ rhei aqvoſæ uncia, aqvæ petroſelini octo unciis parata

& ad unciam ter qvaterve indies præbita laudabilem qvoqve effectum produxit (vid. diar. 1782. Aug. 4, & 1783. Febr. 3.) Intra octo saltem dies hæc medicina effectum exserere incipit, qvod si observetur, ad integram restitutionem continuari debet, si vero minus, in aliis auxilium petendum est.

2. Scillitica sub varia forma & vario modo imprimis cum resolventibus aliis juncta, uti a) Pilulæ scilliticæ ad grana decem mane & vespera vel modo semel indies sumendæ, in leviori tumore hydropico post febres superstite convenientes & sufficientes. b) Pilulæ ad hydropicos majori vi resolvente donatæ, ut scilliticæ exhibendæ, maxime proficuæ, ubi hepatis obstructio simul suspecta est, tum tinctura aperiens ter qvaterve ad guttas sexaginta interdiu & laudatæ pilulæ mane & vespera votis sæpe respondent. c) Mixtura diuretica nostra ter die ad guttas sexaginta sumenda imprimis convenit hydropi, qvem comitatur pectoris affectio sc. tussis & dyspnoea, etiam dilutior cum aqva destillata qvadam & syrupo altheæ hæc medicina exhiberi potest, (cujus laudabilem effectum exhibet diar. 1784. Februar. 6.) d) Essentia scillæ cum æqvali parte tincturæ rhei vinosæ ad guttas qvadraginta ter indies.

3. Ammoniacalis emulsio, qvæ inter potentissima antihydropica numerari debet, ad unciam omni hora vel bihorio exhiberi potest & in omni-

bus hydropis gravioribus caſibus, maxime ubi pectus ſimul affectum eſt, convenit (vid. diar. 1783. Jul. 6 & 1786 Jun. 7 Aprl. 6. & Jul. 7. & 1784 Novbr. 4.)

4. Tinctura rhei aqvoſa ad guttas ſexaginta ter qvaterve indies porrecta, aptiſſima hydropicis medicina, qvando diarrhoea ſimul adeſt; diureticam illius vim auget oleum tartari per deliqvium, cujus drachmæ duæ cum uncia animæ rhei combinantur (vid. diar. 1784. Jul. 7. & Auguſt 10.)

5. Baccæ juniperi contuſæ vel ſolæ vel cum herbis trifolii fibrini et, ſi alvus ſegnior eſt, cum foliis ſennæ ad infuſum theiforme bis per diem ſumendum ſimul cum alia inter memoratas medicina. Præſertim ſub conſtitutione ſcorbutica decoctum ex trifolii fibrini uncia in libris duabus cereviſiæ qvotidie ingerendum qvadrat.

6. Poma colocynthidum, qvorum drachmæ duæ cum unciis duodecim cereviſiæ tenuis coqvantur, vel radicis armoraciæ raſæ unciæ tres, vini albi libris duabus per biduum infuſæ ad unciam ter die porrectæ aliqvoties profuere. Vidi etiam bonum effectum e ſucco recenti herbæ et radicis taraxaci et graminis, ubi cetera remedia fruſtra tentata erant.

7. Folia digitalis purpureæ pulverata ad granum vel grana duo ter aut ſæpius de die ali-

qvoties adhibui, fed vix nifi cum emolumento levatorio et tranfitorio fub adaucta feri evacuatione per alvum vel diurefin.

Caufæ hydropis morbofæ f. vitia corporis, unde hydrops originem traxit, propria medicatione aut cum antihydropica cura laudata combinanda, aut eidem fubjungenda qvandoqve opus habent fc.

1. Obftructio vifcerum præfertim hepatis remedia refolventia cum diureticis maritata maxime pilulas ad hydropicos & tincturam aperientem defiderat, vel alia contra hepatalgiam infarctum fupra memorata; fi gravior fit hydropis gradus, per fortiora diuretica partem abundantis feri auferre convenit, & dein refolventem applicare methodum.

2. Hydrops, debilitatis effectus, præter remedia diuretica reqvirit virium reparationem per bonum nutritum, motum corporis convenientem & frictiones, nec non corticem peruvianum efficiendam.

3. Hydropes ex acrimoniis medicationem fingulis harum appropriatam cum generali diuretica methodo, qvantum potis eft, jungendam exigit.

a) Scabiofis hydropicis convenit cremor tartari cum dimidia parte florum fulphuris vel pulveris pectoralis refolventis ad drachmam ter indies; qvandoqve, fi notabilior fit hydrops, in

anteceſſum eundem per fortiora diuretica diminuere conſultum duxi.

b) Hydrops ſcorbuto annexus vel rectius hujus effectus, remediis antiſcorbuticis infra memorandis ſimul cum diureticis imprimis aceto ſcillitico cum elixirio antarthritico ad partes æqvales juncto & ad guttas ſexaginta ter indies ſumto et thea amara, ſi alvus ſegnior, debellabitur.

c. Metaſtatico modo poſt febres continuas vel intermittentes exſurgens hydrops tamdiu tolerandus eſt, donec roborante methodo vires ſufficienter reſtitutæ ſint, tunc nihilominus perſiſtens tumor modicis diureticis vel pilulis ſcilliticis vel mixtura diuretica debellari poteſt; citius adhibita methodus evacuans periculoſam reſorptionem indeqve vel recidivantem morbum vel alia mala inferre valet.

Diæta hydropicis ſalutaris tribus conſtat præceptis ſc.

1. Calor corporis bene promovendus & conſervandus eſt, partim cubiculo calido, maxime autem per decubitum in lecto, non raræ & indubitata experientia me docuit, diureſin alias parcam hoc adminiculo notabiliter adauctum morbum ſuſtuliſſe; (vid. diar. 1783. Jul. 6, & 1785 Decbr. 3, & 1787 April 5, & Jun. 7.)

2. Motus corporis freqvens ad incaleſcentiam corporis continuatus, vel ejus loco frictio per

pannum laneum hydropi e debilitate & ſcorbuto ortum trahenti potiſſimum convenit.

3. Alimenta hydropicis aptiſſima ſunt, qvæ ſtimulante & aromatica vi pollent; piper, ſinapis, raphanus ruſticanus utile aliorum ciborum condimentum præbent; potus multus non damnandus eſt, qvinimo ad ſerum ſpiſſum, acre dilutius & ad permeandas vias excretorias aptius reddendum convenit, minimeqve, qvantum ſitis ægroti deſiderat, denegandus; in rariore hydropis caſu, qvi debilitatem & laxitatem ſolidorum pro cauſa habet, ſcopo juvandi non bibendum eſt.

Diviſio hydropis ſolito, aptoqve modo ſit ratione ejusdem differentis ſedis in ſeqventia genera.

GENUS Imum.

HYDROPS INTERCUS

Eſt tumor cutaneus albus, mollis, digitum impreſſum excipiens, ejusdemqve veſtigium retinens per breve tempus.

Cauſa illins proxima eſt ſerum effuſum & collectum in tela celluloſa ſubcutanea; ratione extenſionis diverſæ hoc genus duplicem continet ſpeciem.

Species I^{ma.}

OEDEMA

Eſt hydrops intercus particularis ſ. certam corporis partem imprimis extremitates inferiores occupans.

Stricto ſenſu oedema tumorem crurum ſignificat, ſimilis in aliis partibus exſurgens tumor oedematoſus audit.

Cauſæ oedematis diverſæ ſunt, & ſecundum illas differt morbi dijudicatio & curatio, ſc.

1. Debilitas virium poſt morbos febriles vel evacuationes enormes; methodus roborans præcipuum tunc præſtat auxilium, nec non frictio freqvens per pannum laneum aut ſimplex aut fumo aromatico e ſuccino, maſtiche, baccis juniperini imbutum, etiam pilulæ ſqvilliticæ aut alia antihydropica in uſum trahi poſſunt, tandemqve ſi tumor non cedat, pro eodem coërcendo faſciæ expulſivæ ad crura applicentur.

2. Metaſtatica ſ. per alios prægreſſos morbos generata ad crura depoſita materies, uti poſt febres putridas (vid. diar. 1783. Febr. 1, Novbr. 1, Decembr. 1 &c.) Metaſtatica talis tumoris indoles imprimis e cito illius acceſſu & febris mox obſervato decremento dignoſcenda eſt & cum cautione ſupra de hydrope in genere memorata debellanda; oedema metaſtaticum poſt intermittentes febres difficilius dignoſcendum ſ. ab oede-

mate debilitatis diſtingvendum juxta eandem regulam tractari debet. Oedema in puerperis metaſtaſi lactis adſcribendum utplurimum diu durat, eccoproticis & diureticis ſenſim vincendum (vid. diar. 1785. Maj. 3, & 1786. April. 4, & Aug. 11.) Huc referri poteſt œdema ex ſuppresſis menſtruis, qvod tantum per hunc fluxum revocatum & remedia tali ſcopo congrua juvari poteſt; oedema gravidarum tantummodo partu abſoluto ceſſans: atqve tandem œdema podagricum, vel ſc. podagræ pediſſeqvus, aut ejus locum ſubiens, ipſi naturæ committendum eſt, ſi tamen diuturnus permaneat, motus, frictio et involutio in linteo cerato in auxilium vocari poſſunt.

3. Alii concomitantes morbi, qvorum effectus tumor crurum eſſe poteſt, uti aſcitis, hydrothorax, infarctus ſ. affectio aſthmatica pulmonum, infarctus hepatis, phthiſis &c. Oedema ex his cauſis mere ſymptomaticum morbis primitivis ſ. e qvibus ortum trahit, qvoad eventum & curam convenit.

Species II^da.

ANASARCA

Eſt hydrops intercus univerſalis ſ. totam corporis peripheriam occupans.

Cauſæ eſſe poſſunt qvæcunqve illarum, e qvibus hydropem in genere procreari ſupra dictum eſt.

Eventus per ritam & tempeſtivam medelam ſæpius in ſanitatem determinari poteſt, ideoqve ni ſigna inſanabilis viſcerum læſionis, imprimis hepatis vel pulmonum adſint, bonus ſperari & præſagiri.

Curatio promovenda eſt methodo & remediis contra hydropem in genere commendatis, qvibus nil efficientibus adjungi poteſt ſcarificatio crurum circa malleolos, dum e cute ſic inciſa non raro effluxus ſeri ſalutaris producitur; ſi loca ſcarificata dolorem & ruborem cum metu gangrænæ concipiant, ſacculus aromaticus initio applicandus, ſed in graviori caſu epithema, e ſpeciebus reſolventibus cum herba abſinthii in vino, aceto & aqva ad æqvales partes coctis diligenter admovendum, malum prævertit, etiam veſicatoria loco ſcarificationis laudantur, (effectum exinde utilem præbet diar. 1783. Octobr. 7.) In hydrope inveterato, ſubjectis ſenioribus & cacochymicis neutrum ex his topicis conſvadeo, utpote majus malum ſc. acceleratio mortis per gangrænam, qvam emolumentum exinde exſpectari poteſt.

GENUS II^dum.

HYDROPS ABDOMINALIS

Eſt tumor abdominis e collectione ſeroſa in cavitate abdominis contenta productus.

Sedes eſt varia pars abdominis, in qva talis ſeri collectio locum habere poteſt; ratione hujus differentiæ plures habentur ſpecies.

Species I^ma.

ASCITES

Eſt tumor hydropicus abdominis e ſero in cavitate peritonei collecto.

Symptomata:

1. Tumor ipſe abdominis, qvi æqvabiliter abdomen occupat & implet, initio qvodammodo ita mutabilis, ut latus, in qvo decubitus ſit, præſertim diſtendat.

2. Tumor in extremitatibus inferioribus nec non partium genitalium, ſaltem in plurimis ſub increſcente morbo accedens.

3. Urina parca rubra, ſitis adaucta, dyſpnoea contabeſcentia partium, qvæ non tument.

Cauſæ antecedentes eædem ſunt, e qvibus hydropes in genere ſupra deduximus, maxime tamen læſio & obſtructio hepatis aut alterius viſceris abdominalis (vid. indic. diar.)

Diagnoſis ſ. indicium, qvo aſcites ab alio tumore abdominali diſtingvitur, eſt fluctuatio, ejusdemqve perceptio habenda, dum plana manus lateri abdominis applicatur, & oppoſitum latus al-

tera manu percutitur, tunc motum contentæ aqvæ ſ. fluctuationem ſentit manus appoſita.

Eventus aſcitis:

1. Per ſe ſ. morbi hujus ſibi ipſi relicti ſenſim majus timendum eſt augmentum, & interdum ſeri collecti acrimonia; prius compreſſionem viſcerum adjacentium, circulationem impeditam, unde demum pectus etiam affici & vel phthiſis vel hydrothorax letalis induci poteſt, poſterior verò cauſa irritationem & inflammationem peritonei vel inteſtinorum etiam funeſtam procreare valet, (vid. diar. 1784. Novbr. 11, & 1785. Maj. 9.)

2. Per artem.

a) Sæpius radicalis curatio locum non habet, freqventiſſima aſcitis cauſa eſt invincibilis viſcerum degeneratio & induratio, non rarò per explorationem abdominalem percipienda, (vid. indic. diar.)

b) Pauca tamen habentur exempla curationis radicalis ſperandæ, ſi indicia læſionis viſcerum non adſint, (vid. diar. 1783. Jan. 3, & Jul. 6, & 1784. Octobr. 4, 1785. Jun. 4.)

c) Palliativa aſcitis ſanatio, ſ. levatoria collecti ſeri eductio per paracentheſin poſſibilis eſt, & mediante illa ſæpius, qvotiesqve ob renovatum tumorem opus eſt, repetita per plures etiam annos vita valetudinaria conſervari poteſt.

Curationis duplex eſt via:

1. Methodus antihydropica generalis ſupra laudata, ſ. remedia diuretica qvandoqve cum reſolventibus juncta, ſi compræſentis viſcerum obſtructionis ſigna adſint.

2. Paracentheſis ſ. punctura in cavitatem abdominis penetrans a chirurgo inſtituenda, per qvam ſerum collectum effluere poteſt; hæc medicatio modò locum habet, poſtqvam interna remedia absqve juvamine applicita ſint; ſemper levamen affert, ideoqve iteranda eſt, qvando collectio hydropica ad moleſtum volumen aucta obſervatur; etiam exempla habentur curationis per & poſt illam operationem radicaliter peractæ. (vid. diar. 1783. Januar. 3, & Jul. 6, & 1785. Jun. 4.) Diureſin antea parcam poſt paracentheſin augeri obſervaſſe mihi videor.

Aſcitem ſæpius, et anaſarcam comitatur hydropicus tumor partium genitalium interdum inſignis tam ſcroti qvam præputii ut effluxum urinæ impedire qveat, ſacculus aromaticus cum camphora ſæpe juvat, alias ſcarificatio in hoc caſu reqviritur, & qvam primum loca ſic inciſa ad inflammationem tendere videntur, epithema ſupra ad ſcarificata crura commendatum adhiberi debet

Species II$^{da.}$

HYDROPS OVARII

Eſt tumor abdominis e collectione ſeroſa in uno alterove ovario productus.

Symptomata & ſigna ſunt:

1. Sedes tumoris ſaltem incipientis in alterutro latere ſc. regione iliaca; ſenſim increſcens tumor abdomen magis implet, qvinimo adjunctus aſcites lapſu temporis integrum abdomen expandere poteſt.

2. Dolor obtuſus gravativus lateris affecti ſub incipiente morbo.

3. Tumor œdematoſus ſenſim oriens in extremitate inferiore ad latus affectum pertinente.

4. Abſentia fluctuationis abdominis, per qvam noſter hydrops ab aſcite diſtingvitur.

Origo hujus morbi haud iniqve ponitur in ovulo qvodam ovarii, utpote enim hoc naturaliter liqvorem qvendam lymphaticum, cujus certus reqviritur affluxus & refluxus, continet; probabile eſt, hoc per cauſam qvandam obſtruentem, inflammationem vel aliam impedito, illum ſenſim ad gradum notabilem hydropicum augeri poſſe.

Inſanabilis hic hydrops judicandus eſt, per plures tamen annos durabilis & tolerabilis; paracentheſis incerta eſt medicatio & inflammationi letali facile occaſionem præbens.

Species III^tia.

HYDROPS SACCATUS

Eſt tumor hydropicus e collecto ſero in ſacco membranoſo, qvi nullam partem naturalem corporis conſtituit.

Diagnoſin præbent: 1. Tumoris limitatio ut in prægreſſa ſpecie. 2. Sedes talis, ut ovario adſcribi neqveat. 3. Reſiſtentia elaſtica, in excreſcentiis haud locum habens. 4. Perſiſtentia & lentum, qvandoqve lentiſſimum incrementum, per plures annos.

Inſanabilis itidem hic hydrops eſt etiam diu durans, verum ſi ad gradum intolerabilem increſcat, paracenteſin, imo ſæpius repetitam admittens cum ſpe levaminis.

Etiam ab auctoribus memoratur hydrops peritonei ſ. effuſum ſerum inter muſculos abdominales & peritoneum, vix niſi poſt mortem detegendum; qvalis etiam fuit hydrops meſocoli, (vid. diar. 1786. Maj. 8.).

Species IVta.

HYDROMETRA

Eſt tumor abdominalis e ſero in cavitate uteri morboſe collecto oriens.

Diagnoſtica ſigna ſunt: 1. Sedes tumoris ſucceſſive increſcentis in regione uteri ſ. hypogaſtrica. 2. Abſentia graviditatis vel ob ætatem illi non convenientem vel ob durationem tempus graviditatis excedentem. 3. Abſentia iſchuriæ veſicalis. 4. Minor tumoris durities qvam in tu-

moribus a folidis; fluctuatio qvoqve ad fignum referri folet, qvæ tamen vix femper, aut fatis diftincto modo fefe exferit. 5. Qvandoqve effluxus fat largus ferofus per vaginam.

Caufa partim eft obftructio orificii uteri per tumores, mucum infpiffatum & forfan fpasmodicam conftrictionem, partim læfum æqvilibrium inter affluxum & refluxum ferofi liqvidi.

Curatio difficilis & incerta inftituenda eft per auxilia os uteri referrare valentia; qvalia effent corporis validiores commotiones, faltus, vomitus, nec non balnea & injectiones emollientes, qvibus non juvantibus commendatur ftylus apice obtufo præditus in uterum introducendus. In cafu, ubi natura ipfa effluxum promovet hæc remedia non reqviruntur.

Ob fimilitudinem cum prægreffis morbis huc referri poteft:

Tympanitis ceu tumor abdominis qvodammodo permanens elafticus, a pulfatione fonans, vel totum abdomen æqvabiliter diftendens vel partem fupra aut infra umbilicalem; in acutis morbis hæc expanfio metheorismus dicitur.

Diagnofin præbent notæ definitionis nec non abfentia fluctuationis & levitas tumoris.

Caufa proxima eft aër in cavitate abdominis præternaturali modo retentus collectus & expanfus.

Caufæ antecedentes poffibiles funt:

1. Inteſtinorum canalem obturantes, uti vermes, conſtrictio ſpasmodica in hyſtericis, contractio inflammatoria, tumores lenti & excreſcentiæ in parietibus inteſtinorum; (in diſſecta femina tympanitica obſervabam certum inteſtini locum calloſum adeoqve anguſtatum, ut aëris ritus transfluxus impeditus fuerit.) His omnibus fit, ut aër inteſtinalis haud in toto tubo diſtribui aut educi qveat, ſed per remoram incaleſcat & nimis expandatur.

2. Relaxatio inteſtinorum, adeo ut ad aëris vim elaſticam coërcendam haud ſufficiant. Aqva aſciticorum forſan hoc modo & non raro tympanitidem ſecum ducit; (exemplum huc trahendum, exhibet diar. 1785. Octobr. 7.)

3. Aër ipſe ob gravem putreſcentiam expanſus, qvalem cauſam habere videtur metheorismus ſ. tympanitica expanſio toties in febribus gravibus putridis occurrens; an ſimilis eſt origo affectionis tympaniticæ in febre puerperali freqventiſſimæ?

4. Aër in cavitate abdominis extra inteſtina per horum ſolutionem ſphaceloſam vel aliam extravaſatus & expanſus, qvi caſus, ſi exſiſtat, rariſſimus eſt.

Prognoſis & curatio tympanitidis juxta cauſas ſ. morbos primitivos, unde hæc affectio mere ſymptomatica ortum trahit, determinandæ ſunt; metheorismus in febribus putridis per clysmata

ex aqva frigida et aceto vel oleo vitrioli; verminofa per anthelmintica; fpasmodica per antihyfterica præfertim affam fœtidam fanabalis judicari poteft; afcites adjuncta ut ipfa origo fanatu difficilis eft & ftimulantia calida fimul defiderat, ut fpiritum falis dulcem cum effentia affæ foetidæ, nec non infufa vinofa amara; e tumoribus vel callofitate inteftinorum oriens lento progreffu qvodammodo cognofcenda & infanabilis habenda eft. (Tympaniticos affectus fanatos exhibet diar. 1784 Novbr. 6. & 1785 Auguft 5. & Septembr. 5.); idiopathica fola fortaffe paracentefi fanatur.

Phyfconia f. tumor abdominalis durus e contentis induratis & excrefcentibus, uti ab utero (vid. diar. 1785 Maj.) & mefenterio (vid. diar. 1785 Maj. 8.) & pancreate (vid. diar. 1787 Decbr. 6.) compreffio vifcerum adjacentium indeqve hydrops vel alius terminus letalis hinc furgunt.

Phyfometra f. uteri tumor e contento aere diftingvenda a priore per levitatem, fonitum a pulfatione, notabile incrementum a calore, qvandoqve exitum flatuum per vaginam; curanda ut hydrometra.

GENUS IIItium.

HYDROTHORAX

Eſt collectio hydropica ſ. ſeri morboſe extravaſati in cavitate pectoris.

Differentia illius totuplex ſtatui poteſt, qvot ſunt cavitates diverſæ pectoris, in qvibus ſerum colligi poſſe obſervatum eſt ſc. hydrothorax ſtricte talis ſ. collectio hydropica utrumqve vel alterutrum cavum inter pulmones & pleuram occupans; hydrops pericardii ſ. in hujus cavitate locum habens; & hydrops mediaſtini, qvæ in hujus duplicatura reſidet. Varietas autem hæc poſt mortem detecta vix propriis ſignis in viventibus diſtingvi poteſt, nec illis opus eſt, utpote idem de qvacunqve differentia valet medici judicium.

Symptomata hydrothoracis magis vel minus conſtantia.

1. Dyſpnœa ſ. reſpirandi difficultas continua; diu durans, increſcens, ſuffocationem minitans vel revera inducens.

2. Tuſſis vel ſicca vel humida cum ſputo vario mucoſo, puriformi, & ſangvineo in magno morbi gradu.

3. Situs corporis ſemper uno, alterove modo intolerabilis; ſi in una cavitate pectoris morbus hæreat, in oppoſito latere decubitus tolerari neqvit, ſi utraqve cavitas ſerum contineat, in neutro

latere decubitus commodus ſit; tunc increſcente morbo ſitum erectum continuo eligit æger.

4. Tumor partium extremarum, faciei vel artuum tam inferiorum qvam interdum ſuperioris inprimis in latere affecto; intumeſcentia talis increſcentis morbi ſolitus comes eſt.

5. Minus conſtantia ſunt anxietas, palpitatio cordis, vox debilis & difficilis, vigiliæ, ſenſus ponderis ſupra diaphragma, incrementum dyſpnoeæ poſt cibos largius ingeſtos, pulſus depresſus imo intermittens nec raro expanſus.

Cauſæ antecedentes hydrothoracis eſſe poſſunt.

1. Cauſæ hydropis communes ſupra allatæ haud ſecus in pectus qvam in alias corporis partes agentes (vid. diar. 1783 a no. 8 a 13), huc etiam memorari poteſt ſangvifluxus nimius in ſubjectis ad hydropem diſpoſitis (vid. diar. 1784 Maj. 8,) præſertim attentione dignum habeo illud monitum, qvod pueris caute contra pectoris oppreſſionem præſcribenda ſit phlebotomia, ne hydrothorace necarentur.

2. Aſthma convulſivum, qvo circulatio humorum in pectore impeditur, itaqve extravaſationi ſeroſæ anſa præbetur (vid. diar. 1782 Septembr. 3 & 1787 Novembr. 6.)

3. Hepatis enorme volumen pectus comprimens & circulationem impediens (vid. diar. 1782 Octobr. 10 & Decembr. 7.)

4. Pulmonis ipſius vitia ſimili modo circu-

lationem perturbantia, vel ejusdem inflammatio (vid. diar. 1783 Mart. 7 & 8 & 1784 Maj. 5.) vel chronica affectio & obstructio (vid. diar. 1782 Februar. 7 & Decembr. 8.)

5. Metastatica materies in pectore deposita post febres putridas vel intermittentes (vid. diar. 1782 Februar. 8 & Junii 3; 1785 April 7, & 1783 Novembr. 8.)

Diagnosis hydrothoracis habenda est e tribus præsertim signis sc. dyspnoea continua & increscente, certo corporis situ intolerabili & tumore hydropico partium extremarum, qvod ultimum tamen haud semper præsto est; prægressum asthma convulsivum diagnosin firmat; fallax autem sine dubio est signum a nonnullis relatum sc. fluctuatio aqvarum, dum ægri humeris prehensi pectus commovetur. Ab empyemate & vomica hydrothorax distingvitur per signa inflammationis in illis prægressa. Ab obstructione s. infarctu pulmonum (vid. diar. 1782 Jul. 11) nec non vitio cordis dyspnoeam faciente (vid. diar. 1785 Jul. 5.) discernitur hydrothorax per situm corporis in allatis casibus ubiqve tolerabilem. Ab omni tamen incertitudine haud libera est hæc diagnosis, præsertim chronicus infarctus unius pulmonis formam ab hydrothorace vix destingvendam sibi induere potest; novi virum diu omnibus hydrothoracis symptomatibus afflictum, qvæ terminabantur in tussin purulentam; alius tam manifesto hydrother-

acicus videbatur, ut ad paracenthefin pectoris deftinatus effet, fed pridie ante operationem faciendam moriebatur, & in demortuo invenimus enormem maffam fteatomatofam, qvæ unius pectoris cavitatem implevit.

Prognofis: 1) eventus fpontaneus hydrothoracis femper tamen lente funeftus eft; collectio enim feri fenfim ad tantum gradum afcendit, ut pulmones comprimantur & ad functionem vitæ neceffariam inepti reddantur, 2) per artem dubius cenfendus eft, plurimi hoc morbo necantur; non paucos tamen fervari poffe probabili experientia conftat (vid. 1783 Maj. 3 & Jul. 6 & 1784 Novbr. 5. & 1786 Jun. 7. & Aug. 15.)

Curatio per medicationem antihydropicam generalem inftituenda eft; fqvillitica potiffimum convenire videntur, maxime autem emulfio ammoniacalis; comendanda qvoqve funt veficatoria in pectore ampla et repetita; funt, qvi tincturam cartharidum ad guttas decem ter indies commendant; tentamen, qvod ipfe inftitui, votis haud refpondit. Paracenthefis pectoris qvoqve inter auxilia contra hydrothoracem a medicis numerari folet, mihi ipfi haud occurrit cafus hydrothoracis adeo certus & qvoad fedem extravafati adeo definitus, ut e paracenthefi juvamen fperari potuerit.

GENUS IVtum.

HYDROCEPHALUS

Eſt collectio ſeri præternaturalis in interna cranii ſede circa cerebrum.

Symptomata & ſigna ſunt:

1. Læſio varia functionis cerebri ſenſim absqve febre increſcens, uti vertigo paulatim adaucta demum cum lipothymia & vel apoplexiæ inſultibus (vid. diar. 1786 April 15 & indicem apoplexiæ ex ſero circa cerebrum,) ſtupor notabilis, tremor artuum, memoriæ debilitatio, langvor, ſomnolentia, dilatatio pupillæ enormis, qvandoqve viſus duplex, inſignis interdum capitis dolor, verus lethargus (vid. diar. 1784. April. 7. & Jun. 6.)

2. Vomitus freqvens; in duplo ſaltem exemplo recordor hoc ſymptoma, qvod licet non conſtans, nec per ſe indicativum, ſupra allatis tamen annexum diagnoſin corroborat.

3. Volumen capitis apud infantes magis magisqve & notabiliter increſcens cum dimotione oſſium cranii in ſuturis; etiam ſerum in theca vertebrarum extravaſatum circa finem vertebrarum dorſi protrudi, ibidemqve ad utrumqve latus formare valet ſacculum, qvi ſpina bifida nominari ſolet.

Origo:

1. Prava conformatio in utero materno,

dum ſat notum eſt, foetus jam hydrocephalo laborantes naſci poſſe.

2. Retropulſa & depoſita materia morboſa ad cerebrum, hydropica, arthritica, metaſtatica poſt morbos febriles, nec non exanthematica, (novi fæminam, cui poſt herpetem cruris ſponte exſiccatum ſupervenerunt ſymptomata hydrocephali ſenſim ad lethalem gradum provecta, ulceribus artificialibus largiſſime licet ſuppurantibus haud avertenda.)

3. Abuſus potus ſpirituoſi imprimis vini aduſti.

4. Ignotæ aliæ cauſæ, dum non rarò in demortuis invenimus ſeroſam juxta cerebrum collectionem, cujus cauſas detegere & ex antecedentibus derivare neqvimus.

Cauſa proxima eſt ſerum ipſum morboſe in varia ſede cerebri effuſum & collectum, ſc. ſub pia matre, in gyris cerebri; ſæpiſſime in ventriculis lateralibus, apud infantem ſeptem menſium hoc morbo necatum duas menſuras ſeri limpidi in illius ventriculis inveni; qvandoqve baſis cranii præcipuus extravaſati locus eſt.

Eventus hujus morbi fere ſemper lethalis eſt mediante aut apoplexia aut lethargo, qvi uterqve finis e copia collecti cerebrum comprimente, ejusdemqve functionem demum prorſus impediente intelligi poteſt.

Curatio proin vix ſperanda eſt niſi forſan ſub leviori & incipientis morbi gradu, contra qvem vix validius auxilium, qvam ſetaceum in nucha diu geſtum & ſuppurans cogitari poteſt.

ORDO II^dus.

TABES

Eſt chronica corporis & virium conſumtio absqve febre eſſentialiter annexa.

Ad hunc ordinem tria genera referri poſſunt ſc. Phthiſis, Rachitis, Atrophia.

GENUS I^mum.

PHTHISIS

Eſt morbus chronicus ſ. diu durans, conſumens cum tuſſi eſſentialiter & conſtanter adjuncta.

Symptomata phthiſeos.

1. Tuſſis aut ſicca qvandoqve ſub incipiente morbo, aut humida, fere ſemper talis ſub progrediente morbo, vel modica & tolerabilis initio morbi matutino tempore imprimis ſe exſerens, interdiu ſilens, vel dein crebrior & moleſtior.

2. Expectoratio ſ. ſputum, qvando procedit, materiem purulentam continens, qvalis ſc. in abſceſſibus obſervatur, qvæqve ſaporem qvando-

qve dulcem aut falſum habet, odorem ſub progreſſu morbi interdum fœtidum, coloremqve vel albeſcentem, vel cinereum vel flavum, imo viri-deſcentem, & qvæ demum aut ſimplex eſt aut mixta cum muco vel ſangvine.

3. Pectoris moleſta ſenſatio & affectio varia ſc. dyſpnoea ſenſim increſcens imprimis ſub motu corporis ſeſe exſerens; dolor qvandoqve varius, ut punctorius vagus, ſenſatio excorians; oppreſſio anxia animum deprimens & ad iracundiam disponens.

4. Febriles motus ſub progreſſu morbi accedentes, primo poſt prandium ſeſe exſerentes per æſtum inſolitum in volis manuum & facie, qvæ ſimul aut in alterutra aut in utraqve gena intenſe ſæpe rubet, dein increſcentes veſpertino tempore notabiles & ſudorem nocturnum ſecum ducentes, frigus febrile non raro adeſt, utplurimum irregulare, qvandoqve typum qvotidianum habentes. Appetitus initio morbi naturalis & qvandoqve ad finem talis, ſæpius tamen ſub progreſſu deperditus.

5. Faucium & oris affectiones, ut raucedo pertinax, dolor cum moleſta deglutitione qvandoqve incipienti morbo annexa, ſemper autem verſus finem funeſtum aphthæ lingvam, os, fauces obducunt.

6. Excretiones copioſæ colliqvativæ vel alvi vel ſudoris et qvandoqve urina oleoſum liqvidum in ſuperficie habens etiam provectum morbum

comitantes, ejusdemqve exitum lethalem promoventes.

7. Virium tandem & maſſæ corporis diminutio indies major, qvæqve tumorem œdematoſum crurum ſecum ducit & efficit.

Cauſæ phthiſeos remotæ per experientiam comprobatæ.

1. Diſpoſitio congenita, & certa ſtructura corporis, ut collum longum, pectus planum, artus graciles, capilli & ſupercilia nigra, parentes phthiſici.

2. Ingrata diu durantia animi pathemata, ut mœror & indignatio.

3. Hæmopthyſis notabilis prægreſſa.

4. Inflammatio pulmonum in ſuppurationem converſa.

5. Retentio ſangviſluxus ſoliti & naturalis, ut menſtruationis vel hæmorrhagiæ narium.

6. Catarrhalis tuſſis neglecta & male curata.

7. Materia irritans morboſa ſ. per alios morbos generata & ad pulmones depoſita, uti ſcabioſa, herpetoſa, ulceroſa, arthritica, ſcrophuloſa, venerea, ſcorbutica, varioloſa, morbilloſa, metaſtatica poſt febres putridas vel intermittentes.

8. A nonnullis phthiſis contagioſa habetur, cujus ſententiæ argumentum ſufficiens propria experientia mihi haud præbuit.

Causa proxima est puris generatio & collectio in pulmonibus, qvæ suppuratio testante experientia & sectione cadaverum duplice modo differt, sc. 1) Suppuratio pulmonum cum tuberculis, id est tumoribus parvis duris in substantia pulmonum generatis, aut crudis e materia mucosa inspissata compositis, aut inflammatis, aut revera suppurantibus; phthisis ex hac causa tuberculosa dici solet. 2) Suppuratio simplex absqve tuberculis propter abscessus vel ulcera pulmonum generata; qvandoqve ulcera talia fistulosa esse possunt s. membrana crassa callosa circumscripta.

Nexus phthiseos cum causis prægressis s. modus, qvo hæ phthisicam pulmonum suppurationem promovent & efficiunt.

1. Dispositio phthisica sine dubio consistit vel in teneritudine vasorum præsertim connata particulari pulmonum, vel in apitudine ad inflammatorios morbos concipiendos certis subjectis propria, vel utraqve conjuncta, unde comprehendi potest, causas inflammantes talium pulmones facilius afficere & lædere posse.

2. Protracta animi pathemata humoribus lentorem & spissitudinem inducendo, unde stagnatio & tuberculorum formatio in pulmonibus derivari possunt, phthisico morbo originem præbere videntur.

3. Hæmopthysis notabilis vulnerationem pulmonum pro causa habet, qvæ in hac parte præ

aliis inflammationi ejusdemqve feqvelis obnoxia eft, & propter motum continuum pulmonum confolidationi obftantem & propter irritationem aëris continuo influentis.

4. Pneumoniæ fuppuratæ tranfitus in phthifin, utpote hæc in fuppuratione pulmonum confiftit, per fe intelligitur.

5. Acrimoniæ variæ ad pulmones depofitæ, uti catarrhales, morbillofa, variolofa, fcabiofa &c. irritando & inflammando fuppurationem & lentiore vel citiore modo phthifin procreant.

Nexus phthifeos cum effectibus & fymptomatibus.

1. Tusfis e materia peregrina pulmones irritante excitatur, five illa veré purulenta, five tuberculofa fit.

2. Dyspnoea a compresfione vaforum pulmonalium per materiam morbificam, itaqve impedita circulatione intelligitur.

3. Puris expectoratio ex ejusdem generatione in pulmonibus atqve naturæ vi ad illud expellendum nitente & fufficiente producitur.

4. Fluxus colliqvativi, diarrhoea & fudor e materia purulenta ad fangvinis maffam abforpta, illamqve ita refolvente, ut per vias excretorias largiter nimis educatur.

5. Febriles motus partim inflammationi fuppurationem generanti aut e pure renovatæ,

partim materiæ purulentæ in ſangvinis maſſam reſorptæ et irritanti adſcribere fas eſt.

6. Faucium affectio inflammatoria vix aliter, qvam per conſenſum ſ. continuationem tunicæ ſchneiderianæ in pectore inflammatæ declarari poteſt, aphtæ autem e pure reſorpto, humores inqvinante & in cavitate oris ſecreto derivari poſſunt.

7. Conſumtio demum corporis & virium partim ex febre, partim e copioſis excretionibus, partimqve e functione læſa pulmonum ortum trahit.

Diagnoſtica ſigna phthiſeos:

1. Generalia ſunt, tuſſis diuturna increſcens, contabeſcentia corporis, ſputum purulentum ſ. materiæ, qvæ vel pus manifeſtum continet, vel minus manifeſtum, in aqva tamen ſubſidens, illaqve qvalitate a muco diſtingvendum. Mihi etiam occurrit tuſſis catarrhalis diuturna cum tabe & ſputo puriformi, qvæ a vera phthiſica tuſſi per diverſum progrediendi modum præſertim, diſtingvitur, illa enim ab initio gravis & ſat violenta eſt, phthiſica autem initio mitis ſenſim ingraveſcens obſervatur.

2. Tuberculoſa phthiſis ſine ſputo purulento & ante illius expectorationem; e tuſſi diuturna ſicca cum dyſpnœa & tabe concludi poteſt, qvandoqve glandulæ induratæ inveniuntur & diagnoſin corroborant.

3. Phthiſis deuteropathica ſ. ex aliis morbis eorumqve materia ad pulmones depoſita uti ſcorbutica, ſcabioſa, metaſtatica e prægreſſis vel concomitantibus talibus morbis primitivis dignoſcenda eſt.

4. Phthiſis a vomica clauſa pulmonum e dolore continuo in certa pectoris parte, decubitu intolerabili in latere oppoſito, tusſi ſicca, dyſpnoea, prægreſſis ſignis inflammationis minus magisve manifeſtis cognoſci poteſt.

Prognoſis:

1. Communisſimus ſæpius timendus phthiſeos eventus eſt lenta & demum funeſta virium conſumtio, certior qvodammodo & citior in ſubjectis junioribus, capillis nigris præditis qvam in ſenioribus & albo colore capillorum gaudentibus.

2. Spes ſanationis haberi poteſt:

a) In phthiſi a pneumonia & vomica rupta in qvo caſu ſub expectoratione bene procedente plurimi ſervantur.

b) Sub origine illius metaſtatica e febribus putridis, variolis, morbillis, tusſi convulſiva, utplurimum qvoqve curabili.

c) Sub adjuncto vel ſuperveniente ſcorbuto (vid. diar. 1786. April. 3.), etiam alios ſimiles vidi caſus, nullaqve mihi occurrit exceptio a regula: ſanabilem declarare phthiſin, cui ſcorbutus ſeſe aſſociat.

d) Per ſcabiem retrogreſſam exortus ſtatus phthiſicus qvandoqve ſanabilis eſt, imprimis ſi vera ſuppuratio pulmonum nondum inducta ſit, (vid. diar. 1786. Septbr. 5. & 1787. Novbr. 5.; phthiſin ſuperveniente ſcabie ſanatam, vid. in diar. 1785. Jul. 10.)

e) In ſenioribus, phlegmaticis ſubjectis phthiſis qvandoqve ad multos annos tolerabilis manet, ulcera pulmonum in hoc caſu calloſa & fiſtuloſa fiunt fonticulorum adinſtar.

3. Nulla ſanationis ſpes haberi poteſt:

a) In phthiſi poſt hæmopthyſin, ſaltem adeo rarum eſt exemplum ſanationis, ut bona prognoſis illo ſuperſtrui neqveat.

b) In phthiſi tuberculoſa.

c) In phthiſi cum raucedine.

d) In phthiſi cum pulſu febrili celeri et in junioribus ſubjectis, tardior pulſus minus violentum morbum & forſan ſanabilem indicat.

e) In phthiſi cum adjunctis ſummi gradus ſymptomatibus, ſc. excretionibus colliqvativis, aphthis, tumore œdematoſo crurum, ſputoqve fœtido, excepta phthiſi a vomica.

Curatio phthiſeos ad duplicem partem referri poteſt ſc. generalem & ſpecialem.

Curatio phthiſeos generalis phthiſi e qvalicunqve cauſa ortæ cum annexo ſputo purulento convenit, atqve ad tres ſcopos dirigenda eſt ſc.: 1) expectorationem materiæ purulentæ e pulmo-

nibus promovere. 2) ſangvinem & humores per abſorptam materiam corruptos corrigere. 3) moleſta morbi ſymptomata mitigare. Auxilia congrua ſunt:

1. Oleum aſphalti, qvod primum forſan locum inter remedia vere antiphthiſica meretur, qvibusdam ſufficientem opem præſtitit, alios levavit; fœtidam expectorationem corrigit, ſputum promovendo agere videtur; phthiſicis verò cum voce non clara vel rauca, cum febre, cum hæmopthyſi vel diſpoſitione ad eandem, vel ſummo morbi gradu jam afflictis nec prodeſt nec ſufficit; ad ſex vel octo guttas mane & veſpera in aqva frigida porrigi poteſt; intra paucos dies effectum exſerere ſolet, qvod ſi obſervetur, diuturno dein tempore continuari poteſt, ſi verò brevi tempore non proficuum animadvertatur, de protracto illius uſu nil ſperandum eſt. (Exempla hoc remedio juvata exhibet diar. 1782. Febr. 5. & 1783. Jun. 4. & Decbr. 4. & 1785. Jul. 11.)

2. Muſcus islandicus; vel pulvis illis ad drachmas qvatuor ſexve coqvitur cum aqvæ unciis octo ad pultem, qvæ omni mane cum lacte & ſaccharo ingeritur, vel ſi hæc forma ægrotis non placeat, integri muſci eadem doſis coqvi poteſt cum lactis & aqvæ ana unciis octo, unde decoctum gelatinoſum percolatur ad uſum; vel unciæ illius ſex coqvuntur cum aqvæ menſuris tribus ad remanentiam duarum, qvæ per filtrum colantur et

mixtæ cum facchari uncia dimidia iterum brevi coqvuntur et dein colantur; gelatina fic parata omni mane ad modicam patellam cum lacte ingeritur. Emolumentum ex hoc medicamine aliqvoties obfervavi.

3. Jufculum fecalinum f. e farina fecalina fubtiliori ad unciam dimidiam cocta cum aqvæ libra paratum omniqve mane fumendum loco mufci fubftitui poteft, fimili modo agere videtur, nec minorem laudem meretur; qvandoqve vefperi hoc & mufcum mane præfcribo.

4. Infufum falab fub tusfi phthifin minante et acrimoniis ad pulmones converfis adfcribenda mirum qvandoqve juvamen et femper levamen affert.

5. Aqva felterana cum tertia parte lactis calidi aut pro lubitu imprimis tempore pomeridiano fumi poteft, dum mufcus vel jufculum fecalinum mane adhibetur; aut juxta certam regulam, dum fc. aqva hæc fenfim adaucta dofi ad integrum tandem lagenæ contentum qvotidie ante meridiem bibitur, & dein qvoad dofin minuitur, donec viginti qvatuor circiter vafa exhaufta fint. Hæc ultima methodus vix nifi incipienti morbo, viribus adhuc bonis & præfertim fubjectis fangvineis convenit.

6. Succus recens preffus e cucumeribus magnis maturis ad patellas duas per diem fumtus

ad æſtum phthiſicorum moderandum proficit; verum nec hic nec aqva ſelterana ſub alvo ad laxitatem prona convenit, utpote hæc magis iſtis remediis provocatur.

7. Decoctum corticis peruviani ſc. corticis peruviani drachmæ ſex, radicis ſenegæ drachmæ duæ coctæ cum aqvæ ſimplicis unciis duodecim ad uncias octo, qvibus percolatis additur ſyrupi altheæ, mucilaginis gummi arabici ana ſesqviuncia, cujus decocti uncia bihorio vel trihorio ingeritur, qvodqve potisſimum phthiſico ſtatui poſt peripneumoniam, aliosqve acutos morbos utile eſt; lentæ autem phthiſi cum ſuſpectis pulmonum tuberculis corticem minus congruum imo noxium obſervare mihi viſus ſum.

8. Varia præterea auxilia antiphthiſica commendata ſunt, iterumqe laudibus ſuis deſtituta; ipecacuanha qvotidie ad emeſin promovendam porrigenda, cujus tentamen in nonnullis absqve optato effectu inſtitui; ſolutio extracti myrrhæ juxta methodum Griffethianam in alio ex ægrotis meis hæmopthyſin excitavit, & in alio nil profuit; inſpiratio vaporis calidi ex herbis emollientibus & pectoralibus per machinam huic ſcopo qvadrantem etiam in non paucis fruſtra adhibita eſt. Parum meliori cum ſucceſſu adhibetur ſulphuretum calcis ad grana tria unacum magneſia ter die ſumta; nec ſine effectu proprinata ſunt pulveris digitalis purpureæ granum vel grana duo trihorio;

deniqve haud fpernendum videtur fetaceum prope pectus a nonnullis comendatum, qvod, vel melius fonticuli, inprimis fub origine morbi ab acrimoniis ad pulmones a reliqvo corpore delatis conveniunt.

9. Diæta phthificis congrua exigit: a) Victum blandum e lacte, farinaceis, pifcibus, carnibus tenerioris indolis paratum, cerevifiam fortem præfertim in fenioribus. b) Abftinentiam a ftimulantibus & calefacientibus, uti fpirituofis aromaticis, acidis falitis, potuqve caffe. c) Aerem calidiorem purum ruralem qvodammodo humidum, hinc clima meridionale, itinera maritima fvadentur.

10. Symptomatum in phthifi moleftiorum mitigatio fecundum varietatem eorundem differt.

a) Expectorationem difficilem kermis mineralis granum cum facharo bihorio vel rarius fumtum promovet.

b) Diarrhoeam qvodammodo diminuit gummi arabicum ad cochleare minus fæpius per diem ingeftum.

c) Vigilias noctesqve infomnes in ægris tamen defperatis extracto opii ad granum dimidium vel integrum aut granis tribus florum zinci vefpera porrigendis debellare licet.

d) Sudorem colliqvativum integumentis non nimis calidis et interdum infufo frigido herbæ falviæ vefpere fumto moderari valemus.

e) Aphtofæ fauces & lingva linctu boracino abftergi itaqve levari poffunt.

Curatio fpecialis phthifeos ad caufas ejusdem refpectum habet, illisqve adaptanda eft.

1. Tuberculofa phthifis nondum fputum purulentum vel paucum nec febrem fecum ducens remediis refolventibus tentanda eft, e qvibus mihi præfertim proficuæ apparuerunt pilulæ pectorales adgrana qvindecim, imo plura ter die fumendæ.

2. E fcabie retrogreffa exorta phthifis fulphurea defiderat vel pillulas mox laudatas vel florem fulphuris cum oculis cancrorum & camphora, nec non balneum univerfale ex aqva tepida freqvens.

3. Phthifis a morbo venereo cum hujus fignis juncta nec ante eandem præfens remedia antifyphillitica defiderat.

4. Phthifis cum fcorbuto juncta antifcorbuticis remediis tollitur, qvibuscum jungi poteft jufculum fecalinum, (vid. diar. 1786 April 3.).

GENUS II^dum.

RACHITIS

Eft tabes puerilis juncta cum intumefcentia abdominis, capite magno leuco-phlegmatico, nec non præternaturali magnitudine epiphyfium osfium.

Symptomata rachitidis & effectus:

1. Capitis magnitudo præternaturalis cum facie pallida inflata, ſub incremento morbi oſſa frontis protuberant; ingenium præmaturum obſervatur, dentes flaveſcunt, nigreſcunt, corroduntur & excidunt.

2. Pectoris latera conprimuntur, ſternum protuberat, ſpina dorſi uno aliove modo ſæpe curvatur.

3. Oſſa debito molliora & flexilia fiunt itaqve ad incurvationem & rupturam diſpoſita, cujus vitii effectus præſertim in cruribus propter incumbens corporis pondus ſeſe exſerit, epiphyſes osſium imprimis circa juncturas manuum & in coſtis debito majores obſervantur; ambulatio propter talem osſium læſionem fit difficilis imo impoſſibilis & perverſa.

4. Totum corpus contabeſcit cum langvore, pigritia, flacciditate muſculorum & febris hectica in nonnullis funeſta exſurgit.

5. Abdominis præternaturalis intumeſcentia ſ. expanſio conſtans non fluctuans.

6. In demortuis hepar, lien, glandulæ meſenterii debito majora, ſerum qvandoqve extravaſatum juxta cerebrum vel in cavitate pectoris, oſſa fragilia, aſpera, poroſa reperiuntur.

Cauſæ antecedentes rachitidis:

1. Ætas infantilis & puerilis, utpote huic ille morbus proprius obſervatur, vel jam qvinto

menſe, vel ſerius poſt inchoatam ambulationem ſeſe exſerens.

2. Parentes debiles vel nutrix valetudinaria imprimis, qvi morbo venereo afflicti fuerunt.

3. Cauſæ variæ vires infantum debilitantes humoresqve corrumpentes, uti cibus multus farinaceus, aer frigidus humidus, dentitio difficilis, efflorescentia cutanea retrogreſſa, & imprimis defectus motus corporei.

Cauſa proxima ſtatuitur acrimonia acida, ad qvam prima ætas potisſimum inclinat, qvæqve debilitata concoctione facile generari poteſt; ab hac intelligi poteſt mollities oſſium, utpoteqvæ in acidis molleſcunt.

Diagnoſis a deſcriptis ſymptomatibus depromitur; ratione gradus diſtingvitur hic morbus in rachitidem incompletam, in qva nondum ulla osſium læſio obſervatur, & completam, ubi illa præſto eſt.

Prognoſis:

1. Duratio rachitidis ad annum ætatis tertium vel ſextum qvinimo duodecimum protrahi poteſt.

2. Spes ſanationis haberi poteſt imprimis ſub morbo minoris gradus & per ritam medelam, ſcabies tanqvam ſalutare molimen naturæ contra hunc morbum obſervata eſt.

3. Minor ſpes haberi poteſt, qvando notabilis morbi gradus ſigna adſunt, dentes decide-

dunt, halitus fœtidus ex ore ſpirat, inſignis dyspnœa, macies, febris hectica adſunt.

Curatio rachitidis perficienda eſt.

1. Antacidis remediis, qvæ mere talia incipienti morbo ſufficiunt, aut ſc. anima rhei uncia cum drachmis duabus olei tartari per deliqvium vel ſimul dimidia extracti gentianæ, ut in mixtura antirachitica ad guttas triginta vel plus juxta ætatem ter per diem porrigitur, aut pulvis infantum ſub alvo ſtricta ad cochleare minus bis per diem.

2. Roborantibus cum antacidis mixtis, inter qvæ præſtat decoctum chinæ ſimplex, cujus unciis octo drachma ſalis tartari appoſita eſt, ad cochleare majus trihorio aut bihorio ſumendum; hocce remedium præſertim ingraveſcenti & meris antacidis non cedenti morbo convenit.

3. Balneatione per aqvam frigidam; aut ſpongia madefacta bis per diem corpus, imprimis ſpina dorſi, lumbiqve & abdomen laventur, aut integrum corpus in aqva frigida immitatur; hoc auxilium maximi contra rachitidem habeo.

4. Diæta convenienti & roborantis indolis, qvo pertinent:

a) Victus imprimis e cibis ſalitis ſiccis depromendus, aromata & ſalita proſunt, potus ſit parcus etiam roborans, uti cereviſia fortis, vinum rubrum qvandoqve ſumendum, aqva frigida.

b) Aër calidus & ſiccus maxime proficit; ut

infantes tales debiles radiis ſolis exponantur, ſvadere ſoleo.

c) Integumenta corpori proxima lanea ſint; ſtragula lecti duriora.

d) Motus corporis inſignis utilitatis cenſendus eſt, qvalicunqve poſſibili modo faciendus per ambulationem, vectionem in curru, frictionem per pannum laneum ſimplicem vel fumo maſtichis imbutum in abdomine, præſertim dorſo & artubus applicandam.

GENUS III^tium.

ATROPHIA

Eſt tabes corporis chronica absqve ſignis phthiſeos aut rachitidis.

Cauſæ atrophiæ diverſæ ſunt & juxta illas dijudicatio & curatio hujus morbi differunt:

1. Atrophia ex evacuationibus nimiis, uti ſangvinis, alvi, urinæ, ſeminis, ſudoris præter curam cauſas debellantem deſiderat nutrientem victum & medicamen roborans in cortice peruviano petendum.

2. Atrophia ulceroſa ſ. ab ulceribus largiter ſuppurantibus ortum trahens præter curam ulceris deſiderat auxilia ſangvinem corrigentia ſc.

corticem peruvianum & aqvam ſelteranam cum lacte.

3. Atrophia ſcrophuloſa ſ. ex obſtructis glandulis producta; varia contra hunc morbum landantur remedia, uti ſpongia uſta, glandes qverni, ſolutio terræ ponderoſæ ſalitæ, mercurialia, aqva marina, inprimis extus applicita ceteraqve, qvibus omnibus juxta meam experientiam efficacior eſt tinctura noſtra antirachitica ad guttas ſexaginta ter die adultis porrecta. Profuit qvoqve ſemel eſſentia chinæ compoſita cum tertia parte elixirii aromatico-acidi ad guttas ſexaginta ter de die. Diæta ſit ut in rachitide.

4. Atrophia ſenilis ſ. maraſmus, naturalis, ut ita dicam, morbus conſiſtens in partium rigiditate nutritionem non amplius admittente, qvaqve ad omnes functiones ineptæ redduntur; eventus hujus eſt certa mors; vinum, cereviſia fortis juſcula carnea, calor, dulcia profunt.

5. Atrophia mere ſymptomatica ut e vermibus, ſcorbuto, hydrope, infarctu hepatis; dyſpepſia, vomitu habituali haud aliam curam, qvam qvæ morbis primitivis convenit, deſiderat.

ORDO IIItius.

DECOLORATIONES

Sunt morbi, qvorum præcipuum ſignum eſt depravatio viſibilis & coloris præternaturalis mutatio in cute.

Qvatuor genera ſub hoc ordine comprehenduntur ſc. Icterus, Scorbutus, Lues venerea, Scabies.

GENUS Imum.

ICTERUS

Eſt morbus, in qvo cutis, oculi, urina colorem habent flavum varii qvidem gradus, unde denominationes illius plures habentur ſc. icterus pallidus, ubi color pallido-flaveſcens obſervatur, icterus flavus ſ. aurigo, ubi color croceus eſt, icterus niger ſ. melaſicterus, ubi color in nigreſcentem vergit.

Cauſa proxima haud alia eſſe poteſt qvam bilioſi humoris in hepate præparati tranſitus in maſſam ſangvineam immediatus, unde hujus seroſa pars bile tingitur flavumqve colorem in partibus efficit. Viam talem poſſibilem monſtrat injectio anatomicorum e vaſis biliferis in venoſa penetrare valens; obſtructis ideo ductibus hepaticis,

bilis ab illis exclusa in venosis vasis suscipitur & ad massam sangvinis vertitur; si verò ductus choledochus haud pervius sit, bilis cystica eodem modo per ductum hepaticum in vasa hepatis demum venosa traduci potest, indeqve in sangvinem; e priori causa icterus pallidior, e posteriori autem intensior flavedo produci & intelligi potest.

Causæ antecedentes icteri variæ sunt, & harum differentia specialis icteri consideratio nititur.

Species I^ma.

ICTERUS VULGARIS

Est icterus freqventissime occurrens continuus chronicus s. nulla febre stipatus.

Symptomata præter definitionis notas possibilia & crebrius annexa sunt, alvi segnities, excrementa alba, sapor amarus, anorexia, nausea, qvandoqve molestus corporis pruritus, qvæ omnia e bilis defectu in intestinis & præsentia in aliis partibus intelliguntur, qvandoqve dolor pressorius imo tumor palpabilis in regione hepatis, infarctui ejusdem adscribendus.

Causæ antecedentes & efficientes esse possunt:

1. Animi ingrata pathemata, ira, terror, indignatio, qvalis causa constrictionem spasmodicam ductibus hepaticis inferre, itaqve refluxum bilis producere videtur; mihi etiam colica hysterica

icterum efficiens occurrit sine dubio eadem ratione ac animi pathema agens.

2. Impuritates primarum viarum mucosæ in duodeno præsertim hærentes & ductum choledochum qvodammodo obturantes, forsan ipsius bilis spissitudo, ut talis obstruens causa statui potest.

3. Febres intermittentes raro per se, sæpius per remedia adstringentia intempestive suppressæ, affectionis hepaticæ cum ictero causam sistunt, (vid. diar. 1785. April. 2, & 1786. Jun. 2.)

4. Infarctus s. obstructio hepatis e qvalicunqve origine proveniens sive simplex, sive schirrosa steatomatosa, rheumatica, arthritica, (vid. diar. 1785. Decembr. 4, & 1786. Decembr. 4.)

Diagnosis icteri vulgaris s. ab allatis causis producti imprimis per explorationem antecedentium eruitur; infarctum hepatis ut causam ex statu valetudinario & affectione hepatis præcedente, ictериqve diuturnitate atqve pertinacia contra debita remedia concludere licet; impuritates vero primarum viarum per citiorem morbi ortum & medicaminum cito observatam efficaciam probabiles redduntur.

Prognosis: icterus vulgaris utplurimum curabilis nec adeo diuturnus est morbus; excipiendus tamen ille est, qvi ex infarctu hepatis oritur, ut primitivus morbus dijudicandus, interdum igitur insanabilis & in hydropem lethalem transiens.

Curatio icteri vulgaris abſolvenda eſt remediis reſolventibus ſalinis rhabarbarinis ſaponaceis ita porrectis, ut modica alvi ſubductio promoveatur.

1. Pulvis e cremore tartari, nitro & rheo vel præſertim e ſapone hiſpanico, tartaro tartariſato et radice rhei ad partes æqvales compoſitus & ad cochleare minus ter qvaterve nychtemero exhibitus plurimos mihi obvios ictericos ſanavit; ſi forma pulveris ægrotis displiceat, mixtura e ſalis mirabilis Glauberi unciis duabus, aqvæ menthæ unciis octo, animæ rhabarbari uncia una alterave ad cochlearia duo majora bi vel trihorio loco pulveris præberi poteſt.

2. Tinctura aperiens ad guttas ſexaginta trihorio decreſcenti ictero imprimis ſub alvo ad laxitatem prona convenit & ſæpe ſufficit.

3. Pilulæ reſolventes cum rheo, vel ſi alvus valde ſegnis obſervetur, cum aloe, reqviruntur ad icterum magis inveteratum, ſupra allatis remediis non cedentem, & ad grana qvindecim vel ter nychtemero, vel modo mane & veſpera, dum mixtura aperiens interdiu adhibetur, porriguntur; in pertinaci tali malo decoctum reſolvens e radicibus graminis & taraxaci paratum etiam adhiberi poteſt; nec contemnendi ſunt vitelli ovorum recentes mane ingerendi.

4. Diæta f. victus ictericis maxime qvadrans eſt tenuis e juſculis potiſſimum tam carneis qvam alio modo paratis depromendus; cibi ſicciores viſcidæ indolis & ſpirituoſa ſcopo reſolventi minus congrua judicari debent.

Species II^da.

ICTERUS INFANTILIS

Eſt icterus in neonatis qvandoqve occurrens e meconio inteſtina implente derivandus atqve laxantibus ut ſyrupo e cichoreo cum rheo vel pulvere infantum ad ſufficientem effectum præbitis tollendus.

Species III^tia.

ICTERUS PERIODICUS

Eſt icterus per intervalla licet irregularia recurrens, alioqve tempore abſens.

Symptomata & ſigna illius ſunt:

1. Recurſus per paroxysmos fortiores, qvi conſiſtunt in gravi anxietate cardiæ & pectoris, vomitu moleſto, diarrhœa qvandoqve adjuncta, excretione per has vias qvandoqve bilioſa, & calculorum per anum; finito intra aliqvot horas tali paroxysmo flavedo cutis obſervatur magis magisqve increſcens, dein ſenſim imo ſponte evaneſcens.

2. Intervalla dein libera obſervantur variæ durationis, ad plures hebdomades imo menſes protracta, in qvibus ægroti qvodammodo tolerabilem degunt vitam.

Cauſa proxima icteri periodici eſt calculis in veſica fellea incluſus, vel aliud vitium bilem cyſticam notabiliter inſpiſſans & ad exitum per ductum choledochum prorſus ineptam reddens; hac ratione per affluentem bilem & effluxum impeditum cyſtis magis magisqve impletur ad tantum denuo gradum, ut dolorifica ejusdem diſtentio producatur, indeqve per conſenſum motus naturæ violenti ad cauſam mali per vomitum removendam nitentes, qvali molimine contentum cyſtidis exprimitur, qvandoqve ipſe calculus, ſi nimia illius moles exitum haud impediat, ſaltem vero pars incluſæ bilis partim in inteſtina protruſa, partim autem motu retrogrado per ductum hepaticum, atqve dein per vaſa bilifera & venoſa hepatis in maſſam ſangvinis communicata cum inſeqventi ictero, qvi dein eliminata materia bilioſa per vias ſolitas excretorias ſponte evaneſcit; intervalla dein ſuccedunt libera, donec nova & ſufficiens bilis in cyſtide accumulatio producta ſit.

Eventus icteri periodici dubius, qvandoqve fauſtus, adeo ut naturæ conatibus ejiciatur calculus vel materia cyſtidem obſtruens, itaqve cauſa morbi plenario tollatur, interdum vero infauſtus e crebriore morbi recurſu, utpoteqvi cauſam non

removendam indicat, timendus; miſeram tunc per plures annos vitam degere poſſunt tales ægroti, tandemqve ni alio morbo ſuccumbant conſumtionem letalem e violentia dolorum ſibi contrahunt.

Curationis modus ſub hoc morbo duplex:

1. Sub ipſis paroxysmis, qvi ad ſalutarem finem tendentes haud ſupprimendi ſunt; eorum nimia violentia imprimis in plethoricis venæſectionem deſiderat, aliàs linimentum volatile extus, clysma emolliens, potus largus aqvoſus, ſyrupus diacodii cum oleo crebro ſumtus, finito paroxysmo rhabarbarina cum ſale mixta, ut pulvis rhei et temperans camphoratus ana ad grana qvindecim bis terve per diem ad bilem in inteſtinis effuſam evacuandam conveniunt.

2. Extra paroxysmos haud alia indicatio locum habere poteſt qvam attenuatio bilis, ejusdemqve per appropriata & interpoſita purgantia evacuatio, qvali ratione bilis accumulatio in cyſtide, indeqve ſurgentes paroxysmi qvodammodo averti poſſunt. Hiſce ſcopis qvadrant diæta tenuis abſtinentia ab oleoſis & ſpirituoſis, ſalis largus uſus; decoctum radicum reſolventium imprimis graminis & taraxaci freqventer adhibitum, et pulvis ſupra laudatus ſemel ſaltem qvavis ſeptimana ſumtus; motus corporis modicus in curru aut eqvo ad promovendum bilis effluxum qvoqve convenit, violentior autem irritationi per calculum, indeqve renovato paroxysmo anſam dare

valet. Qvod ut ſpecificum contra calculos biliarios comendatur remedium, olei nempe terebinthinæ deſtillati et naphtæ vitrioli partes æqvales ad guttas ſedecim ter indies non ſine effectu aliqvali etjam in caſu pertinaciſſimo adhibitum obſervavi.

Species IVta.

ICTERUS SYMPTOMATICUS

Eſt icterus ab alio ſimul præſente morbo prorſus dependens, illoqve ſublato evaneſcens, talis eſt icterus inflammatorius hepatitidis qvandoqve effectus (vid. diar. 1783. Febr. 2.) Nec non icterus bilioſus ſtricte talis dicendus febre-bilioſos cholericas concomitans, (vid. diar. 1787. Auguſt. & inſeqventes menſes); uterqve ut merum ſymptoma juxta regulas principali morbo congruas dijudicari debet.

GENUS IIdum.

SCORBUTUS

Eſt morbus chronicus cum maculis lividis ad extremitates inferiores maxime crura limitatis, gingivis dentium tumidis livido-rubeſcentibus imprimis qvoad margines cruentis ſ. ſangvinem facile fundentibus, langvore univerſali, rigiditate genuum.

Symptomata ſcorbuti:

1. Eſſentialia conſtantiora:

a) Color faciei pallido-flaveſcens vel in viridescentem vergens; oculi ſimili modo comparati, pigri, hebetes.

b) Gingivæ dentium vel prorſus vel tantummodo in marginibus tumidæ livido-rubeſcentes, a minima preſſione ſangvinem fundentes, dentes qvandoqve vacillantes, & halitus fœtidus ex ore ſpirans; rariſſime gingivæ illæſæ, (vid. diar. 1786. Jul. 3.)

c) Langvor minoris vel majoris gradus primo ſeſe exſerens in genubus cum rigiditate, dein univerſalis, imo tanta poſſibilis, ut ægrotos neqvidem in lecto unicum membrum movere valentes obſervaverim; hinc averſatio motus vera tamen impotentia major.

d) Dyspnœa ſemper nonnulla, qvandoqve tanta, ut particularis pectoris affectionis imo hydrothoracis ſuſpicio citari qveat.

e) Maculæ extremitatum inferiorum vel minoris generis morſus pulicum æqvantes livido-nigreſcentes crura potiſſimum notantes vel qvandoqve majores flavo-virideſcentes præſertim circa genua & malleolos obſervatæ, (rariſſimum anomaliæ exemplum, ubi maculæ tales in brachiis aderant, vel ubi plane abſunt, vid. diar. 1786. Jun. 3.)

2. Minus conſtantia ſymptomata & effectus ſcorbuti.

a) Crurum vel tumor mollior aut durus, vel induratio, epidermidis exſiccatio, ita ut digito abradi poſſit.

b) Dolor artuum qvandoqve pectoris etiam fixus pertinax, verum absqve inflammationis periculo.

c) Tuſſis vel ſicca vel humida cum ſputo mucoſo.

d) Tabes corporis qvandoqve tanta, ut ad primum aſpectum phthiſica videretur.

e) Maximi gradus phænomena, plenaria immobilitas, tanta debilitas, ut minimus motus ſitusqve erectus lipothymiam imo mortem ipſam inducant, hæmorrhagiæ, hydrops internus vel externus, (vid. 1786. April. 3, & Jun. 3, & Aug. 14.)

Cauſæ antecedentes ſcorbuti, ſ. diætæ conditiones, qvæ imprimis ſub certo concurſu ad ſcorbutum procreandum agunt, teſtante experientia ſunt.

1. Defectus nutrimenti vegetabilis imprimis e recentibus vegetabilibus depromti; atqve uſus alimenti oppoſitæ indolis ſc. carnis ſalitæ ſemiputridæ, praviqve panis; navigantium ſcorbutus merito huic cauſæ præcipue adſcribitur; victus vegetabilis ad ſanandum ſcorbutum maxime efficax etiam probat vim oppoſitæ diætæ ad eundem procreandum.

2. Defectus motus corporei atqve moeror & depreſſio animi, qvibus circulatio humorum

lentefcit, teftante enim experientia pigri præfertim fcorbuto afficiuntur, & motus ad illum tollendum optime prodeft.

3. Frigus intenfum diuturnum, ideo fcorbuticus morbus imprimis ad regiones boreales pertinet, rariffime in meridionalibus obfervatur; in Norvegia valde freqvens, in Dania rarior, poft hyemes graviores tamen epidemicus, (vid. diar. 1786. April. & infeqventes menfes); navigantibus præfertim fupervenit fub tempeftate frigida procellofa.

4. Habitacula parva, aëre inclufo exhalationibusqve putridis multorum hominum inqvinata, qvibus utentes pauperes præ aliis fcorbuto affici obfervabam.

5. Vicisfitudines notabiles caloris & frigoris; Kongsbergæ in norvegia apud metallicos haud alios incolas fcorbutum endemicum vidi, cujus præcipuam caufam haud aliam detegere potui, qvam certum vitæ genus, qvod nimirum interdiu fub frigore intenfo labores fuos exerceant, vefperaqve & noctu igne hypocaufti nimium recalefcant.

6. Vernale tempus; qvod fcorbuticum morbum hyemali tempore contractum evolvit, ejusdemqve fymptomata manifefta reddit, (vid. diar. 1786. Jun. 3.)

7. Difpofitio corporis ad fcorbutum fufcipiendum effe poteft, fexus virilis, morbus idem

prægreſſus, debilitas poſt alios morbos imprimis putridam & intermittentem febrem.

Cauſa proxima ſcorbuti ſ. vitium ipſum corporis, in qvo ſcorbutus conſiſtit, e cauſis ejusdem antecedentibus, atqve effectibus ſ. ſymptomatibus deducenda eſt; qvale enim vitium illæ in corpore producunt, qvodqve ad ſymptomata declaranda convenit, talem qvoqve indolem ſcorbutici vitii ſtatuere licet. Juxta hoc ratiocinium cauſa proxima ſcorbuti conſiſtit in ſpisſitudine & acrimonia humorum ad putreſcentiam prona.

Nexus talis proximæ ſcorbuti cauſæ cum principiis prægresſis facile patet; hæc enim omnia ita ſunt comparata, ut allatum vitium, qvod ſcorbuticum ſtatuimus, efficiant; ſic victu pravo ſimilis generatur humorum indoles, defectu motus & frigore nimio perſpirabilis evacuanda materia retinetur & abundans redditur, hac ultima cauſa lympha inſpiſſata acrimoniam involvit, ideoqve inefficacem reddit, donec ſuperveniens vernalis calor reſolutionem lymphæ, evolutionem acrimoniæ, ejusdemqve efficaciam morbificam producat.

Declaratio ſymptomatum ſcorbuti ex allata ſuppoſita cauſa non minus probabilis fieri poteſt. Spisſitudo enim ſaltem ad initium hujus morbi pertinens lentam procreat circulationem indeqve retardatas ſecretiones humorum, qvæ ad omnes corporis functiones reqviruntur, ita ut ad illas peragendas langvor & impotentia exſurgant; e ple-

niore ſtagnatione maculæ, vibicis, gingivarum cruenta indoles non minus intelligi poſſunt, qvam ecchymoſis ſ. ſimilis color cutis a ſangvine ſub illo extravaſato, dyſpnoea e ſpiſſo ſangvine minora pulmonum vaſa difficulter permeante explicatur; ſangviſluvia ſub majori gradu morbi ex evoluta putreſcentia indeqve facta ſangvinis diſſolutione derivari poſſunt; putreſcentem demum indolem maxime probat juvantium natura, qvæ acida & antiſeptica eſt.

Diagnoſis ſcorbuti facillime e notis in definitione ejusdem porrectis eruitur, ſub gingivarum illæſa conditione rarisſime occurente reliqva tamen ſigna ſufficiunt rita exploratione detegenda, ne hic morbus primo aſpectu phthiſin ſimulans pro vera tali habentur.

Prognoſis:

1. Per ſe & ſine convenienti medela ſcorbutus ſemper pejor redditur & demum letalis vel per debilitatem vel hæmorrhagias vel hydropem; excepto tamen ſcorbuto phthiſi ſupervenienti et ſalutari, qvem ſine remediis æqve ac ſub remediis ceſſare obſervavi.

2. Per artem vero hic morbus qvamvis maximi gradus tamen ſanabilis eſt, & qvidem in plurimis intra tres hebdomades.

Medicatio ſcorbuti triplicem partem continet, ſc. curatoriam, ſymptomaticam, prophylacticam.

Curatio ſcorbuti ad humorum putreſcentem indolem per acida corrigendam & eorum evacuationem qvodammodo promovendam tendere debet, qvali ſcopo juxta indubitatam experientiam ſeqventia reſpondent.

1. Poma citrina & aurantia, qvorum duo vel tria, ſaltem unum æger qvotidie conſumere poteſt; loco fructuum forte deficientium eorundem ſuccus ad cochleare majus bis vel ter die ingeri poteſt, hoc auxilium in ſcorbuto vix minus ſpecificum qvam cortex peruvianus in febre intermittente cenſeri debet; alia tamen adminicula etiam in uſum trahenda ſunt, ut cura citius compleatur, & qvæ ſcire oportet in caſibus, ubi fructus illi peregrini vel prorſus non vel inſufficienti copia habentur; mirum videtur, qvod tamen verum eſt, acetum vices laudati acidi non ſupplere.

2. Herbæ recentes imprimis certæ antiſcorbuticæ dictæ, cochlearia, naſturtium aqvaticum, acetoſa, taraxacum, beccabunga, vel qvatales ingerendæ; vel earundem plurium vel pauciorum ſuccus expreſſus ad uncias tres imo ſex qvotidie bibendus; hæ ipſæ ut & alia olera etiam cum juſculo carneo cocta optime proſunt; huc referri poſſunt omnes fructus horæi, poma acidula, ribeſia, ceraſa, rubus chamæmorus & ſimilia.

3. Herba trifolii fibrini, non modo ejusdem recentis ſuccus ad modicam qvantitatem aliis laudatis commixtus, ſed etiam herba ſicca vel in aqva

calida infufa & ut potus theiformis adhibita, vel cocta cum cerevifia fc. herbæ manipuli duo cum cerevifiæ libris qvatuor; ejusdem præparata etiam qvadrant, mihi in ufu eft elixirium antarthriticum cum æqva vel dimidia parte aceti fcillitici ad guttas fexaginta ter per diem.

4. Lactea, alimenta ex his parata, ferum lactis, lac condenfatum, ebutyratum, etiam fcorbuticis valde proficua.

5. Motus corporis maxime neceffarius eft, qvantum vires valent, optimus in aëre libero & donec modicus provocetur fudor, ægrotis licet invitis inftituendus.

Scorbuticis communiter plura ex allatis auxiliis præfcribo fimul adhibenda fc. laudatum elixirium, infufum trifolii fibrini, ferum lactis, & qvando haberi poffunt, poma citri atqve fuccum herbarum, fub qvali medicaminum connubio citior cura peragitur.

Curatio fymptomatica certo fcorbuti gradui, ejusdemqve minus conftantibus fymptomatibus adaptanda eft.

1. Debilitas enormis ægrotos ad lectum cogens optime & certo debellatur decocto chinæ acido ad unciam bihorio fumendo & qvidem loco laudati elixirii, non omisfis reliqvis; fcorbuto ipfo hinc diminuto, viribusqve adeo reftauratis, ut

æger ambulare qveat, china haud amplius opus eſt.

2. Diarrhoea imo dyſenteria ſcorbuto annexa pulvere gummi arabici ad cochleare minus alternatim cum laudato decocto corticis certò compeſcitur.

3. Hæmorrhagiæ ſub hoc morbo incidentes eidem decocto cedunt.

4. Tumor crurum notabilior imprimis cum alvo ſegni juvatur thea amara ad patellam ſemel vel bis per diem ſimul cum aliis antiſcorbuticis ſumto.

5. Tusſis nimis moleſta præter remedia primitivo morbo congrua oxymelle ſcillitico vel linctu noſtro pectorali levabitur; ſi dolor pectoris pertinacior adjungatur, ex infuſo ſ. decocto radicis ſenegæ maximam opem obſervavi.

6. Rigiditas genuum poſt morbum devictum qvandoqve ſuperſtes optime balneo vaporis vel inunctione ſucci citrini tollitur, (vide Deſcriptionem & curam ſcorbuti in diar. 1786. April. & Jun. 3.)

Scorbuticis noxia deprehenſa ſunt.

1. Venæſectio præſertim ſub protracto morbo; verum initio ejusdem, ſi inflammatio forſan accedat haud timenda eſt. 2. Purgantia fortiora, unde fluxus dyſentericus excitari poteſt. 3. Subitaneus & violentior motus in magno morbi gradu periculoſus lipothymiam imo mortem inducere

valens. 4. Mercurialia, qvæ in ſcorbuticis ſalivationem citam, enormen, damnoſam & difficulter ſedandam provocant.

Curatio ſcorbuti prophylactica' cauſas ejusdem ſ. vitia diætæ ſupra memorata, unde hic morbus progignitur, avertendo & evitando, illisqve oppoſitum vitæ genus eligendo abſolvitur; diligens corporis motus, victus qvantum potis eſt, vegetabilis, transſpiratio cutanea æqvabili calore juxta normam naturæ conſervata, habitacula majora ſaltem depurata per aërem liberum, vel fumigationes aromaticas talis cautionis ſcopo conveniunt; cerevifia fortis, & brasſica alba ſale condita & conſervata meritò ad freqventem uſum commendantur navigantibus imprimis, ſi iter protracto tempore ſuper mare fiat.

GENUS IIItium.

LUES VENEREA s. SYPHILIS

Eſt morbus chronicus, cujus freqventisſimæ notæ ſunt ulcera diuturna, vel partium pudendarum vel faucium, vel cruſtoſa faciei, nec non dolor membrorum nocturno tempore præſens, exacerbatus ſomnumqve impediens.

Rita & completa definitio luis venereæ per notas conſtantes fieri neqvit, utpote ſymptomata

deſignantia ſemper in hoc morbo præſentia haud dantur; multa qvidem indicia illi propria ſunt, nulla autem inſeparabilia.

Symptomata, effectus & ſigna luis venereæ:

1. In partibus pudendis, ulcera (chancres dicta) in glande virili, vagina & labiis ejusdem; excreſcentiæ verucoſæ ſ. condylomata in his partibus, apud infantes præſertim circa anum ſe exſerentes; fluor ex pudendis femineis flaveſcens, virideſcens, excorians, dyſuriam inducens; non modò conjuncta hæc ſigna ſed ſingula eorundem certam morbi diagnoſin præbent.

2. In ſuperficie cutanea, ulcera cruſtoſa variolis ſiccatis ſimilia, illis parum majora in facie circa os vel mentum, in fronte, circa aures apparentia, chronica, qvæ etiam certum morbi ſignum conſtituunt: ulcera qvandoqve majora aperta, lardacea facie prædita in aliis partibus occurrunt, imprimis in mammis nutricum, qvibus morbus ab infantibus communicatus eſt; hæc per ſe minus diagnoſtica aliis certioribus ſignis confirmanda ſunt. Huc pertinent effloreſcentiæ aliæ cutaneæ, ſcabies, herpes & ſimilia, qvæ etiam originem veneream habere poſſunt, non tamen proprii ejusdem effectus ſunt, ſed anſam dant examen de ceteris ſignis inſtituendi.

3. In cavitate oris & faucium, ulcera chronica alba cum circumferentia rubra in palato, velo palatino, potiſſimum tonſillis; hoc non modò pro-

prium sed freqventissimum luis venereæ signum est; qvandoqve dolor & deglutitio difficilis juncta sunt, sæpius absunt, lardacea ulcuscula in labiis vel oris angulis fere æqve certum indicium præbent, inprimis sub suspecta syphilide.

4. In extremitatibus & capite dolor gravis interdiu mitescens vel silens, nocturno tempore sese exserens vel graviter exacerbatus somnumqve impediens; capitis dolor ad certum locum, vel alterutrum latus limitatus esse solet. Hicce dolor etiam diagnosticum morbi signum sistit, imo per se satis certum, imprimis si remediis doloribus alterius indolis congruis pertinaciter resistat, vel si alia symptomata syphillitica adfuerint aut adsint.

5. In ossibus protuberantiæ s. excrescentiæ aut minus duræ, tophi nominatæ, aut duritie ossea præditæ, exostoses dictæ, qvandoqve graviter, qvandoqve haud dolentes; qvæ etiam ut signa pathognomonica censeri possunt; rarissimam enim exceptionem faciunt similia ex causa scorbutica ortum trahentia; caries qvoqve ossium imprimis tenuiorum, nasalium vel palati effectus proprii luis venereæ esse possunt.

6. In glandulis, qvæ non raro intumescunt, præsertim ingvinales, inflammationem dein & suppurationem contrahentes, hæ bubones dictæ etiam signum sat certum morbi sistunt.

7. Minus crebra nec propria symptomata & effectus luis venereæ sunt affectio oculorum,

chronica inflammatio, lippitudo, hemicrania pertinax, aurifluxus purulentus, dolor nasi formicatorius valde freqvens in syphillide norvagica, qvæ omnia licet morbum non indicantia tamen ad curatius de illo examen instituendum nos dncunt et veneree indolis haheantur, si vel juncta sunt cum qvibusdam ex allatis certioribus signis, vel hisce successerint, vel in subjectis contagio expositis occurrant; etiam vertigo, epilepsia, phthisis, obstructio hepatis, abortus freqvens; debiles, mortui, exulcerati & semiputridi foetus hujus morbi producta esse qveunt. Vidi qvoqve sudorem nocturnum enormen diu durantem sine alio symptomate syphilitico, sed post hunc morbum solitis remediis fugatum; mercurius et dein cura famis profuit; in alio sudor similis junctam habuit arthritidem.

Causa efficiens & origo unica luis venereæ est contagium, s. ejusdem communicatio a personis illo afflictis ad alias sanas; circa tale contagium scire utile est.

1. Modum & vias, qvibus propagatio hujus morbi possibilis inventa est: a) per coitum carnalem; b) per osculationem, imprimis si labia exulcerata sint; c) mediante officio nutricis, qvo & ab infantibus ad nutrices & ab his ad illas morbus communicatur; d) mediante generatione a parentibus infectis ad infantes; e) mediante alio com-

mercio familiari, uti decubitu in lecto cum talibus ægrotis vel veftibus et integumentis eorum utendo.

2. Efficaciam contagii fere univerfalem, adeo ut raro ullus allatis modis illi expofitus morbo non inficiatur; exempla exceptionis mihi aliqvoties obvia fuerunt, vidi mulieres infectas earumqve viros illæfos & vice verfa. Maxime contagiofus eft morbus efflorefccntias cutaneas fecum ducens, minus fub aliis formis, & minime fi miasma tantummodò in offibus hæreat vel fuperfit.

3. Evolutionem miasmatis ad diverfum tempus poft fufceptum contagium; in aliis citius, in aliis tardius imo poft annos plures fefe per manifefta fymptomata exferit morbus; qvandoqve poft morbos febriles celatum virus ad actum excitatur.

Caufa proxima luis venereæ adhuc ignota eft.

Diagnofis fyphilidis e fignis ejusdem fupramemoratis, propriis dictis five pluribus five paucioribus depromitur, illamqve confirmat contagium defcriptis viis admiffum.

Prognofis:

1. Per fe & fola naturæ vi hic morbus incurabilis eft, admodum diu durans, femper in pejus tendens, corruptionem & diffolutionem ulcerofam in fluidis & folidis tam mollibus qvam duris, tam internis qvam externis, itaqve miferrimam vitam & tandem tabem funeftam efficere valens.

2. Per artem in universum curabilis declarari potest ad gradum tamen minus vel magis perfectum sc.

a) Facilius & prorsus curabilis est, si modò partes molles & fluidæ symptomata continent; si morbus non nimis inveteratus sit, & viscera interna illæsa.

b) Difficilius sanationem admittit morbus mercurialibus jam incomplete tractatus, excrescentias osseas secum ducens, in senibus, in infantibus, in gravidis, in complicatione cum aliis morbis, scorbuto, diarrhœa, epilepsia aliisqve convulsivis ægritudinibus.

c) Vix juvandus & funestus habeatur morbus, si vel cerebrnm sine dubio ob cariem cranii affectum sit, indeqve vertigo, epilepsia, cœcitas, fluxus aurium purulentus cum enormi dolore interno capitis surgant; vel pulmones lædantur cum inseqventi phthisi, cujus curatæ exempla rariora sunt non curatis: vel hepar afficiatur, cujus incipiens obstructio sanabilis qvidem est, inveterata schirrositas, aut jam contractus abscessus funesta; vel demum uteri scirrhus & cancer oboriantur, qvi licet veneream causam habentes remediis illi appropriatis non cedunt.

d) Medicus etiam in culpa esse potest sanationis incompletæ fomitisqve morbosi residui, citius seriusqve fecundi, si vel ob ignorantiam vel sordidi lucri causa remedia ad celanda symptoma-

ta haud vero ad morbum ipſum exſtirpandum ſufficientia porrigat, ex. gr. mera topica ad ulcera glandis ſiccanda et bubonem fugandum aut mercurium ſublimatum aut alia mercurialia per ſe efficacia, ſed non diu ſatis continuata aut deniqve remedia haud mercurialia, uti acida mineralia præſertim nitri, qvorum efficacia nondum probata eſt.

Curatio ſyphilidis continet 1) dijudicationem ſubjectorum, qvæ curam huic morbo qvadrantem ſufferre vel non ſufferre qveunt; 2) medicationem præparatoriam; 3) medicationem curatoriam ſ. curationem per mercurium abſolvendam.

Dijudicandi regulæ qvoad ſubjecta ſyphilide afflicta & mercurii uſum ideo adhibendum ſeqventes ſint.

1. Prorſus inutilis, noxius mortemqve accelerans ſub gradu notabili & incurabili hydropis & phthiſeos, ſive ex venerea ſive ex alia origine hi morbi derivari poſſunt, nec non ſi ſchirrus uteri vel aliarum partium adſit.

2. Conditionaliter incongruum & damnoſum remedium eſt mercurius, qvamdiu cum ſyphilide juncta ſunt ſcorbutus, morbi nervoſi, diarrhoea, febres qvæcunqve, ultimumqve graviditatis tempus, qvæ omnia convenienti medela tolli debent, anteqvam curatio morbi venerei per mercurium inſtituatur.

3. Usum mercurii non prohibent alia incommoda chronica, ut dyspepsia, asthma, lithiasis; in feminis mox post finitam menstruationem cura incipienda est.

Præparatio mercurii applicationem tutiorem & efficaciorem reddens illiqve igitur præmittenda consistit.

1. In balneis tepidis aqvosis universalibus alternis diebus adhibendis & ad decem vel qvindecim vices repetendis; qvali balneatione sangvis diluitur, & vasa omnia emolliuntur & aperiuntur, ita ut mercurius eo melius & certius ubiqve penetrare & vim suam exserere valeat, in gravidis hæc præparatio locum habere neqvit.

2. In certo vivendi genere, tempore balneationis observato sc. potu largo blando ut seri lactis, decoctive tenuis e radicibus graminis & taraxaci parati, abstinentia a calefacientibus, spirituosis, salitis, acidis; victu modico non nimis nutriente; qvinimo ut obesitas, si adsit, diminuatur, fami neqvidem satis faciendum; decoctum lignorum a qvibusdam tempore & loco præparationis commendatum vix requiritur.

3. In alvi purgatione bis tempore præparationis instituenda, initio sc. & circa finem, ne mercurii actio occasione cruditatum intestinalium diarrhoeam provocet, in plethoricis qvoqve venæsectio ut cautela utilis adhiberi potest.

Incompletus mercurii effectus in exſtirpanda ſyphilide haud immeritò neglectæ huic præparationi inprimis per balnea adſcribendus eſt; vix igitur ſine illa, qvando poſſibilis eſt, ipſa curatio facienda eſt.

Curatio ipſa luis venereæ per mercurium ejusdemqve præparata varia abſolvi poteſt, qvò pertinent.

1. Ungventum mercuriale ſ. neapolitanum, circa cujus uſum notanda ſunt.

a) Qvantitas ungventi qvavis viceapplicandi ad drachmas duas.

b) Partes corporis inungendæ, qvæ ſunt ſeqventis ordinis, primò inferior dimidia pars unius cruris, dein ſimilis pars alterius lateris, tunc ſuperior dimidia pars cruris primi lateris & dein ſimilis pars alterius, poſtea femora eodem modo & lumbi tandemqve, ſi opus ſit, ipſa brachia.

c) Modus inunctionis, primò fricetur inungenda pars, donec caleſcat, tunc applicetur definita doſis ungventi & inungatur per aliqvot minuta, & pars ita inuncta linteo involvatur.

d) Repetitio talis inunctionis vel omni veſpera vel in debilioribus alternis veſperis fieri poteſt & qvidem ad tot vices, ut ſufficiens mox definienda ſalivatio producatur, tophi & exoſtoſes forſan præſentes qvotidie inungi debent.

e) Salivationis per talem mercurii ufum productæ determinatio & tractatio: falivatio hæc tunc demum utilis & fufficiens æftimanda eft, qvando vix defınente fluxu provenit faliva fpiffa a libris circiter tribus ad fex qvovis nychtemero, qvando talis falivatio faltem ad qvindecim dies nec ultra viginti qvinqve perdurat & qvando omnia fymptomata morbi fub eadem evanefcunt; donec defcripta falivatio fpiffa proveniat, inunctio continuari debet, & dein feponi; fi falivatio ante dictum terminum ceffare incipiat, nova inunctio reqviritur; fi verò ultra allatum terminum protrahitur, lintea membra inuncta obtegentia auferantur, os diligenter collutorio ex aqva rofarum cum qvarta parte mucilaginis feminis cydoniorum abftergatur, imo vino rubro aqva diluto, & aqva laxativa ad fufficientem dofin porrigatur; incommodum ipfius rite procedentis falivationis tolerari debet, nec alio modo qvam per collutionem oris crebram mediante decocto avenæ vel infufo radicis altheæ mitigari poteft, vel deniqve mera aqva frigida, qvæ ad falivationem enormen qvandoqve fangvine mixtam compefcendam optime convenit.

f) Diæta ad ufum mercurii & falivationem reqvifita fc. potus largus ad tres circiter menfuras qvovis nychtemero confumendus, cujus indoles effe poteft vel decoctum avenæ, vel infufum rafuræ ligni faffafras & gvajaci, vel aqva fimplex lacte mixta, cibus fit tenuis blandus, jufcula carnea vel

e granis cerealibus parata, panis albus, piſces recentes; ſalita, acida, aromatica, dura haud conveniunt; aër liber fugiendus eſt, ſed qvodammodo calidus ſit ad gradus circiter qvindecim; qvamdiu ſalivatio procedit, ut in lecto teneatur æger, tutiſſimum eſt. Ad alvum biduo vel triduo forſan clauſam ſolvendam clysma aut aqvæ laxativæ aut oleum ricini uncia una alterave convenit; ſi autem alvus laxa reddatur, unde ſalivatio impediri poteſt, a mercurialibus deſiſtendum & decoctum album pro potu adhibendum eſt, donec fluxus hic naturalis fiat.

g) Salivatione finita lintea artubus obvoluta auferenda ſunt, & veſtimenta renovanda, etiam cubicula immutari & aëre libero depurari poſſunt; laxans remedium ſupra-laudatum qvovis tertio die ad qvatuor vel qvinqve vices porrigatur; & alimenta ſolidiora initio e carnibus tenerioribus parata ſumantnr.

2. Mercurius dulcis intus ſumendus, vel cum ſaccharo albo in ſubjectis ad alvum ſtrictam pronis vel in aliis cum oculis cancrorum ſc. ſcrupulo hoc remedium jungere ſoleo. Incipiendum eſt a minori doſi ſc. granis duobus mane & veſpera porrigendis; ſi octiduo elapſo ſigna ſalivationis ſc. tumor glandularum ſalivalium & gingivarum ſeſe haud exſerant, qvævis doſis ad grana tria imo qvatuor & qvinqve ſenſim augeri poteſt, donec

rita ſalivatio producatur; ſi nihilominus ſalivatio haud procedat, inunctiones per ungventum neapolitanum ſupra allato modo præſcribo & ad optatam ſalivationem usqve productam continuo, reliqva tractatio eadem eſt ac in ſalivatione per inunctiones promota. Si alvus ad laxitatem prona eſt vel corticis caſcarillæ grana qvatuor vel granum dimidium opii pulveri mercuriali apponenda ſunt, qvod ultimum remedium vel moſchus optime qvoqve convenit, ubi convulſivi affectus adſunt.

3. Mercurius ſublimatus corroſivus, cujus grana ſex ſolvantur in ſpiritus frumenti unciis duodecim, cujusqve ſolutionis uncia dimidia bis terve per diem ingeritur, vel pilulæ ex hoc medicamine cum mica panis paratæ ad eandem doſin exhibenntur; jamjam obſoleta eſt hæc medicina, utpote ejus efficacia fallax ſc. ad morbum pro tempore celandum, haud verò ad eundem exſtirpandum ſufficiens obſervata eſt: in unico caſu, ubi exoſtoſes tanqvam reliqviæ morbi adfuerunt, proficua mihi apparuit per ſe tamen haud ſufficiens ad eradicandum malum. Diæta ſub hoc medicamine adhibito ab ordinario diſcrepans haud reqviritur, ſi uſus ſaliti, acidi, ſpirituoſi, excipiatur.

Cura morbi per mercurium abſoluta, ſive reliqviæ qvædam morbi ſive nullæ ſupereſſe videantur, tanqvam tutiſſima exſtirpationis mali via ſeqvens methodus comendanda eſt: loco omnis cibi

pro prandio carnis non pingvis coctæ aut assæ unciæ duæ cum æqvali parte panis; pro cœna qvalitas & qvantitas alimenti eadem; loco omnis potus decoctum nychtemero consumendum, paratumqve e radicis sassaparillæ, aut chinæ unciis duabus coctis cum aqvæ simplicis libris qvinqve ad remanentem partem dimidiam; atqve demum pilulæ ex extracto cicutæ ad grana sex mane & vespera sumendæ. Spatio sex hebdomadum hæc medela optatum effectum præstare solet, raro longior illius usus desideratur. Probata satis hæc methodus est contra ulcera et efflorescentias cutis chronicas fere omnis generis et affectus doloresqve syphiliticos aliis remediis non tollendos.

GENUS IVtum.

SCABIES

Est efflorescentia cutis chronica pruriens pustulosa, materiem purulentam utplurimum continens.

Symptomata vix alia ad hunc morbum pertinent qvam allata efflorescentia qvandoqve humida sc. cum pustulis suppurantibus, qvandoqve sicca absqve suppuratione manifesta, totam superficiem cutaneam, potissimum manus, rarissime fa-

ciem occupans; inqvietudo & infomnia ob pruritum calore lecti adauctum qvandoqve accufantur; macies itidem & color cacochymicus fub protracto malo induci poffunt.

Caufæ antecedentes fcabiei poffibiles.

1. Contagium f. infectio hujus morbi a perfonis illo afflictis ad alios fanos mediante contactu propagata. Hæc freqventiffima caufa eft.

2. Corruptio humorum per fe generata ob pravam vitæ rationem, victum talem, aqvam putrefcentem, defectum motus, immunditiem, tranfpirationem frigore multo inhibitam, (vid. diar. 1785 Mart. 4.) In regionibus borealibus fcabies freqventior eft qvam alibi, maxime apud pauperes, qvi & frigori & aliis diætæ vitiis præfertim obnoxii funt; etiam ex acrimonia venerea fcabiem produci poffe fupra dictum eft.

Caufa proxima fcabiei fine dubio eft acrimonia & fpiffitudo humoris per vafa cutis exhalantia evacuandi, qviqve ideo circa fines vaforum qvodammodo ftagnat, irritationem, indeqve pruritum, inflammationem & fuppurationem generare valet. Nonnulli infecta fc. acaros cuti adhærentes pro origine fcabiei ftatuunt; mihi probabilius videtur, hos per microfcopium obfervatos ut effectum qvam ut caufam fcabiei habere.

Diagnofis fcabiei per notas definitionis fat manifefta eft; etiam fine definitione per nomen

ſolum cuicunqve cognitus eſt hic morbus. Datur tamen efflóreſcentia ſaltem ſub initio dubia, adeo ut etiam a prægreſſo contagio morbus concludi debeat.

Prognoſis:

1. Per ſe ſcabies diuturans incommodum eſt, raro ſaltem, non niſi mutata diæta, qvæ ejusdem cauſa eſt, evaneſcens.

2. Per artem convenientem impune curabilis eſt, eò tamen difficilius, qvo magis protracta illius duratio eſt.

3. Per artem imprudentem, ut topica intempeſtive ſiccantia, purgantia fortiora, nec non frigus intenſum cum periculo tolli poteſt hæc efflореſcentia, dum materia illam conſtituens reſorbetur & dein aut maſſam ſangvinis contaminans, aut in certis corporis partibus depoſita morbos fere omnis generis progignere valet ſc. febriles tam intermittentes qvam putridæ & inflammatoriæ indolis, dolores colicos & arthriticos, nervoſos morbos, convulſiones, epilepſiam, obauditionem; infarctus viſcerum tam abdominis qvam pectoris cum inſeqventi phthiſi, hydropes & alvi fluxus moleſtos, (vid. diar. 1785. Mart. 4, & April 5, & Maj 3, & Jul. 8 & 9, & 1784. Octobr. 6; & 1787. Mart. 1, & Maj. 7; & 1786. Auguſt. 1, & Mart. 11; & 1783. Octobr. 5; & 1785. Aug.

4; & 1786 Sept. 5; & 1787 Novembr. 5.) Mediante tali retrogreſſu ſcabies proinde funeſtos effectus creare poteſt.

Curatio ipſius ſcabiei. Mihi ſolita & per multiplicem experientiam probata methodus triplici remedio conſtat ſc.

1. Balneo univerſali tepido alternis diebus adhibendo per totam morbi durationem ſaltem in illis vix omittendo, qvi diu hoc malo afflicti fuerunt. Commendanda eſt ſimul freqvens lotio cum aqva marina vel decocto avenæ, qvo ultimo ſcabioſam efflorefcentiam aliis remediis non vincendam aliqvoties ſanavi.

2. Floribus ſulphuris, qvos jungo vel cum æqva parte cremoris tartari, ſi alvus per ſe ſtrictior ſit, vel cum oculis cancrorum, ſi alvus minus ſtricta ſit, vel cum pulvere radicis gei urbani, ſi alvus revera laxa obſervetur, cujus compoſiti cochleare minus ter qvaterve per diem ingeritur.

3. Ungventis ſc. ungvento ad ſcabiem Ph. dan., poſtqvam pulvis nuper allatus per aliqvot dies plures vel pauciores juxta variam mali durationem porrectus ſit, omni veſpera partibus maxime ſcabioſis inungendo, ſtrenue continuando et repetendo, licet medicatio ſat lenta videatur, vel ſemel fugatus morbus recrudeſcat. Linimentum ex axungiæ porcinæ uncia cum drachma mercurii præcipitati albi eodem modo adhibitum

cum fructu interdum applicatur. Commendatur porro, nec immerito in ſcabie ſimplici, ungventum ad ſcabiem piceum toti corpori capite excepto tribus veſperis continuis inungendum, qvarto die nec antea, lavetur corpus aqva tepida vel melius ſaponata; poſt biduum utplurimum cruſtæ ſcabioſæ exſiccatæ decidunt, qvod ſi non obſervatur, inunctio allata ratione repeti debet. Cito qvoqve abſolvetur cura ope ungventi ſulphuris cum helleboro, cujus uncia et dimidia totum corpus a collo inde ad plantas pedum inungatur, reiteratur inunctio ſexta qvavis hora per nychtemeron nec abluitur aqvæ ſaponatæ ope ungventum ante ſextam poſt ultimum applicationem præterlapſam horam. Lectum per hoc tempus tenere debet ægrotus, laneis tegumentis præſertim involutus. Desqvamatio et pruritus, qvæ curam ſeqvuntur graviora, brevi ſæpiſſime unacum ſcabie evaneſcunt ſine ulla ſanitatis noxa; raro ſimilem ungventi applicationem repetere neceſſe eſt.

Effloreſcentias ſcabioſas vel potius herpetoſas, qvæ omnem aliam curam reſpuunt, acidorum mineralium, ſulphurici præſertim, interno uſu non ſemel ſanatas obſervavi.

Curatio morborum e ſcabie ortum trahentium duplice medicatione conſtat; altera indoli ipſi talium morborum appropriata; altera ad ſca-

biem verſus cutem revocandam tendente; in morbis acutis prior ſolummodò applicari poteſt, in chronicis verò utraqve medela utplurimum conjungi; revocatio ſcabiei per balnea & ſulphurea ſupra laudata promoveri debet; etiam commercium cum aliis ſcabioſis, eorumqve veſtimenta adhibenda hoc ſcopo commendantur.

FORMULAE
AD
SYSTEMA PERTINENTES.

Aqva ophthalmica ſimplex.

R. Aqvæ roſarum Unc. duas
Mucil. ſeminis cydonior. Unciam.
M.

Aqva ophthalmica camphorata.

R. Aqvæ ophthalm. ſimpl. Unc. tres
Spirit. vini camphor. Drachm. dimid.
M.

Aqva ophthalmica cum flor. zinci.

R. Aqvæ roſar. Unc. duas
Spirit. vini gall. Drachm. duas
Flor. zinci gr. qvatuor.
M.

Decoctum album.

R. Pulv. teſtar. ppt. Drachm. ſex.
Gummi arabic. Drachm. duas
Aqvæ fontan. Libr. tres
coq. ad Libr. duas
add.
Aqv. Cinamomi c. vino Unc. un.
Pulv. ſacchar. alb. Drachm. duas.
M.

Decoctum chinae ſimplex

R. Cort. chinae reg. opt. Unc. duas
coq. cum
Aqv. ſimpl. Libr. un. & dimid. ad Libr. un.
colat. add.
Syrup. commun. Unc. duas.
M.

Decoctum chinae acidum

R. Decoct. chinae ſimpl. Libr. un.
Elixir. vitrioli acidi. Unc. dimid.
M.

Decoctum chinae cum ſenega

R. Cort. chinae reg. opt. Drachm. ſex vel Unc. dimid.
Radic. ſeneg. inciſ. Drachm. duas
M. coq. cum Aqv. ſimpl. Unc. duodec.
ad remanent. Unc. octo.
Colat. refrigerat. add.
Syrup. alth. Unc. un.
M.

Decoctum mundificans

R. Rad. ſaſſapar. Unc. duas
Raſ. ſaſſafr. Unc. dimid.
Coqv. c. aqv. ſimpl. Libr. qvatuor
ad. rem. colat. Libr. duar.
D.

Decoctum Senegæ — ſ. Infuſum Senegæ

R. Radic. seneg. Unc. tres
Coq. c. aqv. ſimpl. Libr. tres ad Libr. duas.
Colat. add.
Pulv. nitr. depurat. Unc. dimid.
Syrup. altheæ
Oxymell. ſcillitic. aa. uncias duas.

M.

Decoctum reſolvens

R. Radic. gramin.
— taraxac. aa. Unc. tres
M. coq. c. aqv. ſimpl. Libr. qvatuor
ad remanent. Libr. duarum.

D.

Electuarium ad Hæmoptoen

R. Pulv. nitri depurat. Unc. un.
— bol. armen. Drachm. duas.
Conſerv. roſar. Unc. unam.
Syrup. alth. q. ſ. ut f. Electuar.

D.

Elixir antarthriticum

R. Extract. trifol. fibr. Unc. dimid.
Solv. in Eſſent. trifol. fibr. Unc. tres
add.
Elix. acid. Unc. dim.

M.

Emplaſtrum reſolvens

R. Emplaſtr. melilot.
— diachyl. c. Gummi aa. Libr. un.
Pulv. camphor. Unc. un.
M.

Emulſio ammoniacalis

R. Gummi ammoniac. drachm. duas
ſolv. in
Aqv. hyſſopi Unc. oct.
Oxymell. ſcillitic. Unc. un.
M.

Emulſio communis

R. Sem. cucumer
— papaver. alb.
Amygdalar dulc. aa. Unc. un.
M. fiat c. aqv. commun. Libr. duab. emulſio
add.
Sacchar. alb. Unc. un.
M.

Emulſio camphorata

R. Emulſ. commun. unciis octo
Pulv. camphor. grana duodecim.
M.

Infuſum radicis Salab

R. Radic. salab drachm. tres
Macer in aqv. fontan. Unc. trig. der lenem
calorem ad maſſam gelatinoſam:
cui add.
Syrup. diacodii Unc. tres.
D.

Julapium falinum

R. Aqv. menth. Unc. qvatuor
Succ. citri Unc. un. & dimid.
Sal. tartar. Drachm. un.
Sacchar. alb. Unc. dimid.
M.

Linctus boracinus

R. Mell. rofar. Unc. duas
Mucil. femin. cydon. Unciam
Borac. raffin. Drachmam.
M.

Linctus pectoralis

R. Oxymell. fcillit.
Syrup. Altheæ
Mucilag. gummi arab. aa.
M.

Linimentum refolvens

R. Ungv. neapol.
Linim. volat. camphor. aa.
M.

Liqvor antifpafticus

R. Liqvor. cornu cerv. fuccinat.
— anodyn. miner. ad part. æqvales.
M.

Liqvor nervinus

R. Liqvor anodyn. m. H. Unc. dimid.
in qvo folv.
Camphor. Scrup. duos.
D.

Mixtura acida mineralis

R. Aqv. menth. Unc. ſex
Spirit. vitriol. Drachm. un.
Syrup. rub idei Unc. dimid.

M.

Mixtura acida vegetabilis

R. Sal. eſſent. tartari Drachmam
Aqv. menthæ Unc. octo
Sacch. albi. Drachm. duas.

M.

Mixtura camphorato-acida

R. Camphor. Drachm. dimid.
Sacchar. alb.
Mucilag. gi. arab. $\overline{aa.}$ Drachm. un.
Trit. in mortario vitr.
add.
Acet. calid. Unc. dimid.
Aqv flor. ſambuc. Unc. ſex.
Syrup. papaver. rhoead. Unc. un.

M.

Mixtura camphorato-nitroſa

R. Mixt. camph. n. acidæ. Unc. octo.
Pulv. nitri depur. Drachm. duas.

M.

Mixtura camphorato laxativa

R. Mixt. camph. n. acid.
Aqv. laxat. Vienn. $\overline{aa.}$

M.

Mixtura diapnoica

R. Spirit. Minder. Unciam.
Aqv. ſambuci. Unc. qvatuor
Syrup. diacod. Unciam.

M.

Pilulae anthelminticae

R. Gi aſæfœtidæ part. tres.
Extr. aloes aqv. part. unam.
M. f. pil. pond. gr. trium.

D.

Pilulae aperientes cum marte

R. Croc. mart. ſulphurat. Unc. duas.
Myrrh. rubr.
Gummi ammoniac.
— galban.
— aſæfœtidæ.
Aloes ſuccotrin. $\overline{aa.}$ Unc. un.
Olei ſuccini drachmas duas
Mercur. dulc.
Sulphur. aurat. antimon. $\overline{aa.}$ Unc. dimid.
M. f. pilul. pond. gr. duor.

D.

Pilulæ ad hydropicos

R. Sapon. venet. Drachm. tres.
Olei juniper.
Pulv. ſqvill. compoſit. aa. Drachm. unam.
Mercur. dulc.
Kerm. mineral. aa. Drachm. dimid.
M. Fiant. pilul. pond. gr. duorum.
D.

Pilulæ pectorales

R. Extract. con. macul.
Gummi ammoniac. deparat.
Flor. ſulphur. ad partes æqvales.
M. f. Pilul. pond. gr. trium.
D.

Pilulæ pectorales cum Kerm. miner.

R. Maſſæ pilul. pector. drachm. ſex
Kerm. mineral. gr. duodecim
M. f. pilul. pond. gr. trium.
D.

Pilulæ reſolventes

R. Gumm. ammoniac. in aceto ſcillit. ſolut. & inſpiſſat.
Sapon venet.
Extract. con. macul. ad part. æqval.
M. f. pilul. pond. gr. trium.
D.

Pilulæ reſolventes cum aloe

R. Maſſ. pilul. reſolv. partes ſex
Extract. aloes aqvoſ. part. unam
M. f. pilul. pond. gr. trium.
D.

Pilulæ resolventes cum rheo

R. Mass. pilul. resolv. partes sex
Pulv. radic. rhei part. unam
M. f. pilul. pond. gr. trium.

D.

Pulvis antemeticus

R. Crem. tartari Unc. dimid.
Magn. albæ
Pulv. sacch. alb. aa. Drachm. duas.

M.

Pulvis anticolicus

R. Pulv. folior. senn.
— Nitr. depurat. ad part. æqval.

M.

Pulv. antispasticus

R. Pulv. refriger. Unc. unam
— rad. valer. sylv. Unc. dimid.
Moschi orient. gr. qvatuor.

M.

Pulvis digestivus cum rheo

R. Cremor. tart. Unc. dimid.
Pulv. nitr. depurat. Drachm. duas
— radic. Rhei. optim. Drachm. unam.

M.

Pulvis digestivus sine rheo

R. Cremor. tart. part. duas
Pulv. nitr. depurat. part. un.

M.

Pulvis digeſtivus ad qvartanas

R. Cremor. tart. Unc. un.
Sal. ammoniac. Unc. dimid.
Pulv. radic. rhei Drachm. duas.
M.

Pulvis eccoproticus

R. Cremor. tart. part. duas
Pulv. radic. rhei part. un.
M.

Pulvis eccoprotico-tonicus

R. Pulv. cortic. chinæ reg. opt. part. duas
— radic. rhei part. un.
M.

Pulvis emeticus fortis

R. Tart. emetic. gr. duo
Pulv. radic. ipecacoanh.
Sacchar alb. $\overline{aa.}$ Scrup. un.
M.

Pulvis expectorans

R. Pulv. kerm. mineral. gr. un.
— sacchar. alb. Scrup. un.
M.

Pulvis pectoralis antiſpaſticus

R. Pulv. opii puri
— rad. ipecacoanhæ $\overline{aa.}$ gr. tria
— amyli. Drachm. duas
— ſacch. albi. Unc. dimid.
M.

Pulvis febrifugus ad qvartanas

R. Pulv. cortic. chinæ reg. opt. Unc. un.
Sal. ammoniac. Drachm. duas
Pulv. radic. rhei. Drachm. unam.
M.

Pulvis flor. zinci

R. Pulv. flor. zinci gr. duo
— magn. albi gr. qvinqve
— ſacch. albi Scrup. unum.
M.

Pulvis pectoralis reſolvens

R. Pulv. radic. ireos florent.
— — ari
flor. ſulphur. ad partes æqvales.
M.

Pulvis pro ſuffitu

R. Raſſur. ſuccin.
Bacc. juniper.
Folior ſabin.
Gummi maſtich. aa.
M.

Serum lactis aluminoſum

R. Lact. vaccin. Libr. duas
ebull. add.
Alum. crudi Drachmam unam et dimid.
Serum col.
D.

Solutio emetica

R. Tart. emet. gr. tria
ſ. in
Aqv. font. Unc. duas.
D.

Solutio Gummi Guajaci aqvoſa

R. Gummi Guajac. Drachm. tres
— Arabici Drachm. un.
Aqv. deſtillat. Menth. Unc. ſex
Terendo fiat ſolutio.
D.

Solutio mannato-oleoſa

R. Mannæ calabrin. Unc. duas
Sal anglican. Unc. dimid.
M. ſolv. in Aqv. fervid. Unc. qvinq.
add.
Ol. olivar. alb. Unc. un. & dimid.
D.

Solutio ſalis anglicani

R. Sal. anglicani. Unc. duas
ſolv. in
Aqv. menth. Unc. octo.
D.

Solutio tartari tartariſati

R. Pulv. tart. tartariſ. Unc. un.
Aqv. ſimpl. Unc. duas.
M.

Species pro balneo vaporis
R. Herb. abſynth.
— ſerpill.
Flor. arnicæ
— ſambuc.
— melilot. ad part. æqvales.
M.

Species ſtomachicæ externæ
R. Herb. menth.
— abſinth.
Flor. chamomill.
Semin. cumin. ad part. æqvales.
M.

Thea amara
R. Herb. trif. fibr.
Bacc. junip.
Fol. ſennæ $\overline{aa}$.
M.

Thea carminativa
R. Herb. menthæ pip. Unc duas
Flor. chamom. rom. Unciam
Sem. foenic. Drachm. tres.
M.

Thea arnicae
R. Flor. arnicae Unc. un.
— lavendul.
Semin. foenicul. $\overline{aa}$. Drachm. duas.
M.

Thea demulcens

R. Herb. plant. aqv. c. Unc. duas
Rad. altheæ. Unc. unam
Sem. foeniculi. Drachm. duas.
M.

Thea juniperina

R. Bacc. juniper. contuſ. Unc. un. & dimid.
Semin. aniſ. Drachm. un.
D.

Thea pectoralis

R. Flor. ſambuc.
— verbaſci $\overline{aa.}$ Libr. un.
Radic. Liqvirit. Libr. dimid.
Semin. foenicul. Unc. duas.
M.

Thea sambuci

R. Flor. ſambuc. Libr. un.
Semin. aniſ. Unc. un.
M.

Tinctura antaſthmatica

R. Eſſ. aſæfoet.
Eſſ. digit. purp.
Liqv. nerv $\overline{aa.}$
M.

Tinctura aperiens

R. Animæ rhei
Sol. tart. tartaris $\overline{aa.}$
M.

Tinctura aperiens amara

R. Extr. gentianæ Drachmam dimid.
solv. in
Tinct. aperient. Uncia
D.

Tinctura antirachitica

R. Extr. gentian. rubr. drachm. dimidiam
solv. in
Animæ rhei Uncia
adde
Olei tartari p. d. drach. duas
M. D.

Ungventum ad scabiem piceum

R. Picis liqvid. Part. duas
Butyri saliti
Ciner. clavell. aa. Part. unam
M.

Ungventum ad scabiem cum helleboro

R. Sulph. sublimati Unc. qvat.
Pulv. hellebori alb. Unciam
Sapon. moll. Unc. qvat.
Axung. porc. Unc. octo.
M. f. Ungv.
D.

Ungventum sinapinum

R. Pulv. sem. sinap. angl.
Aceti vini qv. s. ut f. Ungv.
D.

Ungventum terebinthinatum

℞. Terebinthinæ venet.
Ceræ flavæ āā. Drachm. tres
liqveſ. adde
Olei terebinth. Unc. dimid.
M.

Vinum roborans

℞. Limatur. mart. ſ. rubig.
Pulv. cortic. chinæ reg. opt.
— radic. calam. aromat. āā. Unc. unam
Vini alb. Gallic. Menſur. duas
Stent in digeſtion. per duos dies. Colatur.
D.

Not. Qvæ cæteræ paſſim occurrunt ſormulæ, in Pharmacopoea danica inveniuntur.

ERRATA.

Pag.	117	Lin.	4	effica ſirvari . . .	l.	efficax ſervari.
-	118	-	8	Prætera	-	Præter
-	-	-	-	humans	-	humanas.
-	-	-	14	tale	-	ætate.
-	-	-	17	profererumpunt	-	prorumpunt.
-	-	-	23	port	-	poſt.
-	129	-	6	ſpecunen	-	ſpeciem.
pluribus locis.				Schirrus	-	Scirrhus.
				Aphtæ	-	Aphthæ.
				Ophtalmia . . .	-	Ophthalmia.
Pag.	168	Lin.	15	aures	-	auris.
-	252	-	16	ascitis	-	ascites.